


N. ABRAHAMI FRAMBESARII, VEROMANDVI, MEDICI REGII, PRIMARII IN Academia Remensi Professoris,

SCHOLÆ MEDICAE,

MVLTO' QVAM ANTEHAC AMPLIORES ac locupletiores.

IN QVIBVS DE MEDICINÆ THEORIA & Praxi acriter disputatur.

AD CANDIDATORVM EXAMEN PRO laurea impetranda subeundum.

Editio sexta, præcedentibus emendatior, dimidióque auctior, partim nouâ quæstionum variarum passim insertarum accessione, partim examine quadruplici: Primo super Anatomica administratione, ad Physiologię calcem addito: Secundo super actionibus, excrementis & habitu corporis, ad morbi diagnosin & prognosin accuratè perpendendis, in quibus Semeiotice vltima Pathologię pars versatur: Tertio super medicamentorum præparandorum methodo duplici, analytica & synthetica, sub Therapeuticæ finem: Quarto super Symptomatôn Febres comitantium curatione, ad Pyrctologiæ coronidem.



PARISIIS,
Apud IOANNEM IOST, viâ Iacobeâ, sub signo Spiritus sancti.
M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





LVDOVICO IVSTO, GALLIARVM ET NAuarræ Regi Christianissimo,

N. AB. FRAMBESARIVS S. P. D.

APollinares Scholæ (Rex Christianissime) ingentes tibi gratias agunt, quòd incolumes authoritate tua fultæ iam quinquies à duodecim annis per celeberrimas Christiani orbis Academias peragrarint. Gestiunt iter iterum ingredi in exoticas regiones, inuictissimæ Maiestatis tuæ clypeo tectæ. Intrepidè progrediũtur sub augustissimi nominis tui patrocinio, obtrectatorum licèt procellæ sæuiant. Vbique commendatiores fore sperant, quod

nunc ampliores & ſplendidiores quàm antea prodeant. Tuis ſubſidijs adiutus (æquiſsime Monarcha) ſtudioſè Apollinari arti excolendæ operam nauaui. Ergo tuus ſtudiorum meorum fructus. Gloriam tua virtute partam in alium transferre nefas. Quocirca Clientem tibi addictiſsimum, ac ſaluberrimum eius Gymnaſium in tuam clientelam commiſſum, tibi denuò conſecratum, ab omni periculo ſartum tectum, pro tua ſingulari benignitate conſerua. Tanti beneficii memor in perpetuum erit,

Chriſtianiſſimæ Maieſtatis tuæ religioſiſſimus cultor,

FRAMBESARIVS.

Calend. Octobr. 1635.

N. AB. FRAMBESARII, IN SVAS SCHOLAS MEDICAS, PRÆFATIO.

AD I. HEROARDVM, Valgriniosæ Dominum, Regis in sacro Consistorio Consiliarium, & Archiatrorum Comitem.

De Scholarum Medicarum Regi dicatarum institutione (Vir Illustrissime) ad te Medicorum Regiorum Principem pauca præfari mihi visum est. Antequam Franciscus Frambesarius filius meus consilio tuo celeberrimã adiret Academiam Monspeliẽsem, in qua Doctoris lauream adeptus est, quantum paternis institutionibus, atque clarissimis Academiæ Parisiensis Professoribus, per quadriẽnium auditis, Medicinæ studio profecerit, scire volui. Idcirco ad illũ exami-

nādum priuatas habui Scholas, quas nunc, in Candidatorū omnium ad Apollinarem lauream aſpirantium gratiam, publicas facio; vt labores in vno erudiendo à me exantlati, ad cōmunem vtilitatem referantur. Bonum quippè quò communius, eò melius eſſe ſemper exiſtimaui. Nō minùs luculenta quàm compendiaria methodo vſus ſum, in ſingularum Medicinæ partiū quæſtionibus proponendis ac diſcutiendis. Generalia medēdi præcepta generatim imprimis exagitātur, de ſpecialibus deinceps ſpeciatim agitur. Examinandi verò formula celebrioribus Academiis conſueta, hîc eſt accuratè obſeruata. Cur autem has quæſtiones Medicas, Scholas inſcripſerim, duæ cauſæ extant; vna quòd ex Academiarum ritè inſtitutarum ritu, quatuor intùs

Doctores induxerim cum Candidato examen subeunte, de tota Medicina in totidem partes distributa disputantes; quorum senior priorem disceptandã aggreditur, reliqui suo ordine suã sigillatim persequuntur: altera quod Scholas non rarò Cicero pro disputationibus ipsis quę in Scholis agitari solẽt, vsurparit, vt libro primo Tusculanarum. Hãc perfectã Philosophiã semper iudicaui, quæ de maximis quęstionibus copiosè posset, ornatéque dicere; in quam exercitationem ita nos studiosè operam dedimus, vt iam etiã Scholas Græcorum more habere auderemus, vt nuper, tuũ post discessum in Tusculano, cùm essent complures mecum familiares, tentaui quid in illo genere possem. Vt enim antea declamitabam causas, quod nemo me diu-

tiùs fecit: sic & nunc mihi seni iis est declamatio. Ponere iubebã, de quo quis audire vellet; ac id aut sedẽs, aut ambulans disputabã. Itaque dierũ quinque scholas (vt Græci appellãt) in totidẽ libros cõtuli. Et libro tertio. Tractatum est à nobis id genus ęgritudinis, quod vnum est omniũ maximũ, vt eo sublato reliquorũ remedia ne magnoperè quærenda arbitraremur. Sunt enim certa quæ de paupertate, certa quæ de vita inhonorata & ingloria dici soleant. Separatim autem certæ scholæ sunt de exilio, de interitu patrię, de seruitute, de debilitate, de cæcitate & de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Hæc Græci in singulas scholas, & in singulos libros dispertiunt. Opus enim quærunt, quamquam planè disputationes sunt, delectationis.

Hactenus Cicero. Non diutiùs in vestibulo morabor, Amplissime *Heros artis* nostræ. Id vnum à te supplex peto, vt lucubrationes hasce meas serena fronte excipias. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumul⁹ accedet. Regi nostro, tibi ac nobis viue diu felix. Vale. Lutetiæ Parisiorum Cal. Mart. Anno 1622.

N. AB. FRAMBESARII IN SCHOLARVM MEDICARVM AMPLIFICATIONEM.

PROLOGVS.

AD D. C. BVVARDVM, REGIS Consiliarium, primariúmque Medicum.

CVM Scholas Medicas sub Christianissimi Regis auspicio, ante annos octo à me constructas, Philiatris admodum frequentes, per vniuersas Galliarum Academias animaduerterem (Vir Clarissime) in horum gratiam illas amplificaui, atque

locupletaui, Theoretico Examini Practicũ subnectens, in quo tot de singulis Febribus curandis disputationes instituuntur, quot in priori de vniuersalibus Medicinæ præceptis habentur: vt Candidati deinceps, de Medendi arte generatim & speciatim, æquâ rationis trutinâ, nõ aurificis staterâ, examinentur, ac demum Examinatores, quíque ægrum vnum & alterum curãdum Baccalaureis Licentiæ gradum persequentibus proponant. Admitte serena fronte hoc munusculum, dum maius monumentum Nomini tuo inscribam, ad mei perpetui in te obsequij testimonium posteritati relinquendum. Vale. Remis, Calend. Ianuar. anno 1630.

IN SCHOLAS MEDICAS D. Frambesarij, Medici Regij, Ἐξαστιχον.

SAT, FRAMBESARI, patriis celebratus in oris,
Et laribus nostris sat reor esse datum:
Quin pateris latũ volitet tua fama per orbẽ,
Tutáque sit scriptis vita salúsque tuis?
Quid dubitas juuisse Homines? sic itur ad astra,
Sic merito æternus iure paratus honos.

GVIDO PATINVS, Bellouacus,
Doctor Medicus Parisiensis.

DOMINO
N. AB. FRAMBESARIO,
CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO ET MEDICO,
Militiæque Gallicæ Archiatro, chariſſimo Patri ſuo, Franciſci Frambeſarij Euchariſticon.



Ædaleis Cecrops erupit Theſeus antris,
Dum regit & relegit certo veſtigia filo:
A maris irati furÿs excuſſus in vndas
Delphini tergum ſubiens emerſit Arion.
Me labyrintheis implexũ flexibus ecquis
Diriget? Indomitas tranante examinis vndas
Quo duce ſecurum dabitur contingere portum?
En mihi quæ ſemper, quæ primis artibus olim
Præluxit fax, ecce micat, facilíque docẽdi
Diſcendíque modo, ſolertíque ordine nobis
Pandit iter: chari veſtigia certa Parentis
Agnoſco, agnoſco, Pater ô chariſsime, felix
Ingenium, geniúmque tuum, methodúmque ſagacem,

Qua ductrice fretum nauis mea freta per omne
Curret, & Iatricæ cunctos penetrabo recessus
Artis, vt in tuto consîdam littore tandem.
Vos etiam, quibus assiduo quæsita labore
Præmia virtutis debentur, nocte diéque
Qui Coï monumenta senis, qui scripta Galeni
Versastis, studij maturos carpere fructus,
Et Medicæ optantes ornari insignibus artis,
Macti animis, subeunda licet discrimina pugnæ;
En clypeos vobis, en FRAMBESARIVS arma
Porrigit, his vigili quamuis seruata dracone
Aurea doctrinæ referetis vellera, vósque
Laurea certa manet, spolium virtutis opimum.
Quas Patri referam grates? Quo tota iuuentus
Pæonia, hæc animo mecum benefacta rependet?
Musa hîc siste, decent seruata silentia Natum,
Nil meritis credas æquari posse Parentis.



N. ABRAHAMI FRAMBESARII SCHOLÆ MEDICÆ,

AD CANDIDATORVM EXAMEN, PRO LAVREA impetranda, ſubeundum.

EXAMEN THEORETICVM.

DISPVTATIO I.

De Medicinæ definitione & partitione, déque rebus naturalibus, in quarum contemplatione pars prior occupatur.

DECANVS.



RÆCLARE Philoſophus, nedum Orator, Tullius primo Officiorũ libro ſcriptum reliquit: Omnis, quę à ratione ſuſcipitur, de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci; vt intelligatur Quid Medicina.

quid sit id, de quo disputatur. *Cum igitur inter nos de re Medica disputatio futura sit, imprimis ex te quaero quid sit Medicina?*

CANDIDATVS.

1 Definitio Galeni.

Obseruande Decane, ἰατρική, Medicina ex fine definitur à Galeno, lib. de Constitutione artis. τέχνη ὑγιείας μὲν οὔσης φυλακτική, διαφθειρομένης δ' ἐπανορθωτική, ars praesentis sanitatis conseruatrix, & labefactatae instauratrix: & lib. introductorio, ἐπιστήμη ὑγιείας μὲν τηρητική, νόσου δ' ἀπαλλακτική, scientia sanitatis protectrix, & morborum expultrix.

2 Definitio Hippocratis.

Ab Hippocrate verò libro de flatibus, ex effectis, πρόσθεσις μὲν τῶν ἐλλειπόντων, ἀφαίρεσις δὲ τῶν ὑπερβαλλόντων, adiectio quidem deficientium, detractio verò redundantium.

Definitio Herophili.

Ab Herophilo autem, ex subiectis, ἐπιστήμη ὑγιεινῶν, καὶ νοσωδῶν, καὶ οὐδετέρων scientia salubrium, insalubrium & neutrorum.

Prima Galeni definitio oppugnatur.

D. Nulla harum Medicinae definitionum mihi probatur. Galenicae mihi non arrident, quòd Medicina nec ars, nec scientia sit. Artem non esse sic demonstro:

Ars est systema praeceptorum homogeneorum methodicè dispositorum ad eius finem consequendum: sed praecepta Medicinæ non sunt homogenea, sed heterogenea: **Defenditur.**

Ergo Medicina non est ars.

C. Nego minorem, eruditissime Præceptor.

D. Probo:

Medicina tractat de salubribus & de insalubribus: sed salubria & insalubria, sunt heterogenea.

Ergo Medicinæ præcepta sunt heterogenea.

C. Respondeo, quamuis propter subiectæ materię varietatem, Medicinæ præcepta videantur heterogenea; ratione tamen vnius formæ redduntur homogenea. Adde quod omnia proposita Medica, quantumuis discrepantia & *ἀντιδιῃρημένα*, cùm ad eundem finem consequendum conspirét, homogenea esse constet.

D. Medicinam inficior esse scientiam.

Scientia solum est de necessarijs & perpetuis, vt patet ex Aristotele lib. 6. Ethic. **Altera Galeni definitio conuellitur.**

At Medica facultas est de rebus contingentibus, & quæ possunt aliter se habere:

Ergo Medicina non est scientia.

Discutitur.

C. Nego minorem. Etsi enim Medicina finem habet contingentem, theorematis tamen constat necessariis & perpetuis.

D. *Plurima sunt in Medica facultate controuersa, & diuersis opinionibus implicata, quæ scientiæ opponuntur:*

Ergo theoremata Medica non perpetuò certa & necessaria sunt.

C. Nego consequentiam. Licet enim probabilia quędã problemata in facultate Medica disceptentur, vniuersalia nihilominus theoremata demonstratione stabilita, certa & necessaria sunt, ac proinde scientifica.

D. *At Medicina tractat innumera singularia sensibus subiecta, quorum haberi scientia non potest, cùm sit habitus intellectus per demonstrationem acquisitus.*

Ergo Medicina non est scientia.

C. Nego antecedens. Nec enim Medicina de Petro aut Paulo, sed de corpore sano vel ægro in genere, scientifico modo differit, quanquam Medicus in particulari considerat ea omnia, quæ sensibus subiiciuntur.

D. *Quid ad hoc argumentum respon-*

des, Candidate?

Finis scientiæ sola est contemplatio.

At Medicinæ finis est actio, sanitatis nempe adeptio:

Ergo Medicina non est scientia.

C. Distinguo maiorem. Finis scientię speculatiuæ est sola contemplatio: At scientię practicæ finis est actio. Adde quod Medicina duplex, docens & vtens.

Docentis Medicinæ finis est certa & vera præceptorum Medicinalium cognitio: vtentis verò Medicinæ finis est actio, nempe sanitatis conseruatio vel restitutio.

Hippocratica Medicinæ definitio exagitatur.

D. Hippocraticam Medicinæ definitionem sic oppugno:

Omnis legitima definitio ex genere constat & differentia;

Sed nec πρόσθεσις, nec ἀφαίρεσις, genus est Medicinæ:

Ergo malè definitur Medicina per prosthesin & aphæresin.

C. Nego minorem. Neutra enim actio separatim, sed vtraque coniunctim Medicinæ genus est. Soluitur.

D. Probo minorem.

Medicinæ genus est facultas:

Ergo neutra activ, Medicinæ genus dici potest.

C. Nego consequens.

D. Probo.

Genus continet causas essentiales quæ ad suas species æqualiter attinent. Sic animal, genus hominis & bestiæ, continet substantiam corpoream, quæ materia est; & facultatem vitæ & sensus, quæ forma est communis hominis & bestiæ.

Sed adiectio & detractio sunt effecta Medicinæ, quia Medicina adijcit deficientia, & detrahit superuacanea, ad sanitatem restituendam: Ergo neutra genus Medicinæ dici potest.

C. Respondeo Hippocraticam Medicinę definitionem, non essentialem esse: sed ex effectis. Vbi actiones μετωνυμικῶς vsurpantur pro facultate vnde prodeunt.

Herophilea Medicinæ definitio disceptatur. Propugnatur.

D. Herophileam Medicinæ definitionem sic refuto: Non datur corpus neutrum. Ergo Medicina malè definitur ab Herophilo, scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum.

C. Nego antecedens.

D. Probo.

Salubre corpus est quod fruitur sanita-

te: insalubre quod affligitur morbo:

Sed corpus perpetuò vel sanitate fruitur, vel morbo affligitur:

Ergo nullum corpus neutrum.

C. Nego minorem. Est enim neutra constitutiò, quâ corpus indifferenter se habet, nec planè sanum, nec dum ægrum.

D. *Probo minorem.*

Sanum & ægrum sunt contraria immediata, ex Aristotele.

Cum igitur sanitas & morbus è diametro opponantur, nulla est dispositio media inter sanitatem & morbum.

C. Respondeo sanum & ægrum esse contraria immediata apud Aristotelem, non apud Medicos.

D. *Contrà, ex doctrina Galeni, sanitas est symmetria, morbus ametria.*

At medium non datur inter σύμμετρον *&* ἄμετρον, *moderatum & immoderatum.*

Item sanitas est affectus, qui actionem bonam edit, & non sensibiliter læsam: morbus qui actionem edit sensibiliter læsam.

At inter id, quod est sensibiliter, & non sensibiliter læsum, non datur medium. Obiectio.

Declaro insuper authoritate Galeni:

Galenus 1. de loc. affectis, cùm corpus

egreditur sanitatem, ingreditur morbum, *inquit.* Et 1. de cris. ca. 1. *Trāsitus à sanitate in morbum, fit in puncto imperceptibili*, & initio lib. de diff. morborū, *qui operationes solitas exercere potest, sanus est: cùm autem eas non amplius exercere potest, morbo laborat. Et à perfectissima actione vsque ad sensibilem læsionem extenditur sanitatis latitudo: à sensibiliter autem læsa incipit morbus. In his & infinitis alijs locis nullam neutrius mentionē facit Galenus, licet neutrum inter sanum & ægrum aliquando ponat.*

Responsio. C. Respondeo Galenum sumere sanitatem aliquando latiùs, aliquādo vero strictiùs suos limites contrahere: ac quandam esse in habitu sanitatem, quæ firma est & stabilis, aliam in dispositione & affectione positam, quæ stabilis non est, sed ita debilis vt promptè violetur ab iniuriis. Cùm Galenus sanos statuit qui nondum coguntur intermittere solita officia, licet debiliter illa exerceant, tunc & neutros decidentiæ, in morbum ruere paratos: & neutros conualescentiæ, à morbo resurgentes, sub sanis complectitur, & neutrū statum intra sanita-

tis limites assumit: Cum verò ambos ſtatus excludit, eo quod firmi non ſint, & actiones edãt ad humana officia non ſufficientes, tunc datur neuter ſtatus, qui ſanus non eſt, eo quod illi non conueniat conſeruatio: ſed neutris in morbum delabentibus Prophylactice, & nouiſſimè à morbo reſurgentibus Analeptice dicata ſit.

D. Quot ſunt Medicinæ partes?

C. Quatuor, φυσιολογικὴ, ὑγιεινὴ, παθολογικὴ, καὶ θεραπευτική. Ab aliis quinque enumerantur, φυσιολογικὴ, ὑγιεινὴ, αἰτιολογικὴ, σημειωτικὴ, καὶ θεραπευτικὴ. Sed αἰτιολογικὴ & σημειωτικὴ ſub pathologia à me comprehenduntur. Quot ſint Medicinæ partes.

D. Hæc Medicinæ partitio non placet. Phyſica ſiquidem eſt ſcientia ſpeculatiua: Medicina verò ars factiua. Quo fit vt Phyſiologia vtriuſque pars eſſe nequeat. Propoſita Medicinæ partitio oppugnatur.

At Phyſiologia eſt Phyſicæ pars,
Ergo non eſt pars Medicinæ.

C. Sic argumentaris, ſapientiſſime Præceptor: Defenditur.

Phyſiologia eſt pars Phyſicæ,
Ergo non eſt pars Medicinæ.

Nego Phyſiologiam Phyſicæ par-

tem esse.

D. Sic probo:

Physica vt aliorum animalium, sic & hominis corpus perfectè describit:

Ergo Physiologia Physicæ pars est.

C. Physica quidem corpus humanum, quatenus est naturale generaliter contemplatur: sed Physiologia, quæ prior Medicinæ pars habetur, id peculiariter qua ratione est sanum, vel ægrum, aut neutrum considerat; adeo vt particularis hominis physica nonnullis dicatur.

Quæ ad cōsummatam Medicinæ cognitionē requirantur.

D. Ad perfectam Medicinæ notitiam consequendam, quot res cognitu necessariæ perhibentur?

C. Tres, res naturales, in quarum contemplatione φυσιολογία versatur; res non naturales, in quarum rectione ὑγιεινὴ consistit; & res præter naturam, in quarum cognitione παθολογικὴ, & depulsione θεραπευτικὴ occupatur.

Quæ & quot sint res naturales.

D. Quid vocas res naturales?

C. Quæ naturam hominis constituunt.

D. Quot sunt res naturales?

C. Septem sunt numero: elementa, temperamenta, partes, humores, spi-

ritus, facultates, & functiones.

D. Septem vulgò recensentur, Candidate. Verùm si principia vitæ, cælesti naturæ analoga, subiectis elementis superaddantur, erunt octo numerandæ, quæ profectò distinctiùs enarrabuntur, & clariùs intelligentur, analytica methodo per dichotomias ita digestæ: Physiologia est prima Medicinæ pars, quæ naturalem hominis constitutionem contemplatur. Natura humana duabus constituitur partibus, corpore & anima. Essentiales corporis causæ & partes accuratè sunt considerandæ. Essentiales causæ sunt elementa & principia vitæ, vnde temperamenta nascuntur duplicia, vnum mixti, alterum viuentis corporis. Partes corporis sunt continentes, vel contentæ. Continentes, quæ per se sustentantur, sunt similares, vel organicæ. Similares sunt spermaticæ, vel sanguineæ. Organicæ sunt animales, vel vegetales. Hæ vitales, vel naturales. Singularum vna princeps, aliæ subministrantes. Contentæ quæ aliarum adminiculo sustentantur, sunt humores, aut spiritus. Humores sunt alimentarij, vel excrementitij. Alimentarij sunt primarij, vel secundarij. Primarij sunt calidi vel frigidi. Calidi sunt sanguis & bilis.

Physiologiæ definitio & dichotomia.

Frigidi sunt pituita & melancholia. Secundarÿ sunt tenuiores, vel crassiores. Tenuiores sunt appositus & roridus: Crassiores, gluten, & cambium. Spiritus est fixus, vel influens. Influens est animalis, vel vegetalis. Vegetalis est vitalis vel naturalis. Ab anima proficiscuntur facultates & functiones. Ambæ sunt animales, vel vegetales. Vegetales sunt vitales, vel naturales. Naturalium aliæ indiuidui conseruationem, aliæ speciei propagationem spectant.

DE ELEMENTIS.

Quid elementum.

D. Quid est elementum?

C. τὸ στοιχεῖον ἐλάχιστόν ἐστι μόριον, οὗ περ ἂν ᾖ στοιχεῖον, Elementum est minima pars eius, cuius est elemẽtum, authore Gal. l. de Elem. Minimam autem partem vocat simplicissimam, quæ in alias specie diuersas diuidi nequit. Itaque elementum est simplicissima pars mixti.

Ab aliis elementum definitur corpus simplex, ex quo quidque primum constituitur, & in quod reuera postremò resoluitur.

Obiectio.

D. Ergo os, cartilago, caro, & reliquæ partes similares, erunt corporis humani elementa,

elementa, quia sunt simplicia corpora, ex quibus organica membra primùm constituuntur, & in quæ singula diuiduntur.

C. Nequaquam. Etsi enim ad sensum simplices apparent, reuera tamen compositę sunt ex quatuor elementis, & in ea vltimò resoluuntur, quia vltima resolutio mixtorum in elementis consistit. **Solutio.**

D. Quid? Nónne elementa ipsa in materiam & formam, communia corporum naturalium principia, resoluuntur?

C. Cogitatione quidem resoluuntur, non re ipsa.

Elementa siquidem ratione sola, non actu sunt diuidua.

D. Quo discrimine à principijs elementa seiungis?

C. Duplici. 1. quòd elementa ex aliis se prioribus, atque ex se inuicem oriantur: principia verò neque ex aliis, neque ex se vicissim fiant; sed ex se omnia, quæ naturaliter fiunt, producant. Secundò, quòd elementa eiusdem sint generis, cum iis quorum sunt elementa: principia verò non possint cum rebus, quarum sunt principia, eiusdem esse generis. Itaque **Quo dissciant elementa à principijs.**

cùm elementa sint corpora, constat ea, quorum sunt elementa, esse corpora: at principia corporum sunt incorporea.

Quot sint elementa.

D. Quot sunt elementa?

C. Quatuor, ignis, aër, aqua, terra: quæ ab Hippocrate passim dicuntur, calidum, humidum, frigidum, siccum.

D. Quibus argumentis quaternarius elementorum numerus demonstratur?

C. Tribus potissimum, primo quòd quatuor sint primę qualitates tactiles, ac totidem legitimæ primarum qualitatum tactilium combinationes: altero quod quatuor elementa ad mixti constitutionem concurrant: postremo quod mixtum in quatuor elementa resoluatur.

D. Quomodo corpus humanum ex his quatuor elementis ortum fuerit, demonstres velim.

Quomodo ex 4. elementis corp9 humanū sit constitutū.

C. Vna manet omnium firma consensio, corpus nostrum è membris organicis primum constitui, organica deinde membra è partium similarium strue integrari, similares verò partes ex semine & materno sanguine

ortus ſui primordia duxiſſe, vtrúmque autem ex mixta humorum congerie proceſſiſſe, háncque ab eſculentis potulentíſque ingeſtis naſci, quæ profectò ſiue animantium carnes erant, ſiue piſces, ſiue terræ fruges & ſtirpium fructus, à promiſcua elementorum concurſione ſunt procreata. Cùm igitur ex elementis fiant alimenta, ex alimentis humores, ex humoribus partes ſimilares, ex partibus ſimilaribus membra organica, ex membris organicis corpus humanum, id ordine compoſitionis ex quatuor elementis conflatum eſſe conſtat.

Quin & corpus humanum à primis illis naturis ortum, demonſtrare licet ex vltima eius reſolutione; quia omnia per interitum eò, vnde prodierũt, reuertuntur. Cùm homo ſolutis corporis vinculis è vita excedit, quantum innati caloris diſſipatur, id omne in ignis naturam reuolat. Spiritus ſubſtantia partim in ignem, partim in aëris regionem nobis offuſam refunditur. Profluens humor aqua rurſus fit, qui tum aquæ, tum aëri confinis eſt.

Solidiores partes, quibus crassior inest firmitudo, vbi sensim aqueus humor fuerit exhaustus, tandem dissolutæ in cinerem & terram abeunt. Hoc mirus Hippocrates omnium primus attigit, promulgans nimirum homine animam agente singula in propriam naturam discedere, atque in eas naturas refluere, ex quibus vnumquódque consisteret. Cuius verba hæc sunt: καὶ πάλιν γ' ἀνάγκη ἀποχωρεῖν ἕκαστον εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν τελευτῶντος τοῦ ἀνθρώπου, τότε ὑγρὸν πρὸς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν πρὸς τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ θερμὸν πρὸς τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν πρὸς τὸ ψυχρόν. Et singula cùm vita homo defungitur, ad suam rursus naturam recedere oportet, humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum. *lib. de Nat. hum.*

Quod corpus nostrum non ex pura elementorũ materia, sed etiã ex qualitatibus eorum constet.

D. Declara apertiùs quomodo corpus humanum ex primis illis mundi elementis generetur?

C. Non ex solis elementorum corporibus, sed etiam qualitatibus eorum coniunctis generatur; nec his quidem puris, verum inuicem mixtis & temperatis, quarum ratione inui-

cem agunt patiuntúrque.

D. Recense singulorum elementorum qualitates?

C. Ignis est summè calidus & remissè siccus: aër summè humidus, remissè calidus: aqua summè frigida, remissè humida: terra summè sicca, remissè frigida. Sunt igitur quatuor primæ qualitates, calor, frigus, humiditas, siccitas, quarum elementa sunt prima subiecta, ex horum mixtione, & illarum temperie corpus nostrum cõstituitur: quamdiu vtráque, nempe μίξις & κρᾶσις, seruatur incolumis, valet: simul ac alterutra labefactatur, ęgrotat; vtpote ἀποστασία vel ἀκρασία, vt docet Hippocrates. **Quæ sint elementorum qualitates.**

D. Quid est mixtio?

C. Mixtio ab Aristotele definitur mixtilium alteratorum vnio. **Quid mixtio.**

D. Dic mihi quomodo fiat mixtio, an secundum qualitates, an secundum formas, an καθ' ὅλον?

C. Alterantur qualitates, vniũntur formæ, elementa tota totis miscentur. **Quomodo fiat.**

D. Ostende mihi clarius mixtionis rationem.

C. Mixtionem alteratio præcedit, seu contrariarum qualitatum conflictus, actionem illam & perpessionem mutuam contactus antecedit, agentia enim Physica agunt tangendo, proinde elementa quæ ad constitutionem mixti concurrunt, imprimis se tangunt, deinde sua repugnantia & contrarietate inuicem agunt, agendo & repatiendo vicissim, sese ad minima diuidunt, vndique sese permeant, & veluti perfundunt, quod est καθ' ὅλον permisceri.

D. Substantiæ igitur substantijs permiscentur.

C. Quidni?

D. Quia non fit mixtio sine repugnantia, substantia autem substantiæ non pugnat.

C. Substantia substantiæ non aduersatur per se, qua ratione substantia est: sed ratione qualitatum. Sic ignis suâ formâ & substantiâ totâ non aduersatur aquæ, sed qualitate solâ, quod sit calidus, aqua frigida. Alteratio non est formarum, sed qualitatum mutatio. Elementa mutuâ pugnâ qualitatibus suis alterantur, ijsque re-

tusis & refractis contemperantur, sublatâ repugnantiâ facilè vniuntur: ex formarum verò cuiúsque elementi vnione, vna mixti forma exurgit.

DE PRINCIPIIS VITÆ.

D. Quot sunt vitæ principia?

C. Vitæ principia duo sunt, calidum innatum, & humidum primigenium, à duobus generationis nostræ principijs, semine parentum, & sanguine materno, propagata. Vitæ principia quæ & quot sint.

D. Quid calidum innatum appellas?

C. Calidum innatum (quod τὸ ἔμφυτον θερμὸν Græci vocant) est præcipuum animæ instrumentum, quo vitæ actiones obit, omnésque naturę functiones exequitur, & cuius ministerio hęc morbos, morborúmque causas & symptomata depellit, vnde morborum medicatrix ab Hippocrate dicitur. Duo quippè per calidum innatum comprehendo, subiectum, cui calor inest, & qualitatem, à cuius prædominio subiectum denominatur. Quid calidum innatũ.

D. Quid humidi primigenij nomine hîc intelligis?

C. Substantiam oleaginosam soli- Quid humidũ primigenium.

dioribus corporis partibus ab originis suæ primordio insitam, spiritus & calidi innati basim ac sedem. Vnde humidum radicale dicitur.

DE TEMPERAMENTIS.

D. Quid est temperamentum?

Quid sit téperamétum? C. Temperamentum (quod à Græcis κρᾶσις dicitur) à Galeno definitur principium facultatum & functionum naturalium.

D. Quotuplicia sunt temperamenta?

Quotuplicia temperaméta. C. Duplicia sunt temperamentorum genera, vnum mixtionis, alterum vitæ. Illud corpori competit, quatenus mixtum est, hoc quatenus viuens.

D. Quid est temperamentum mixti?

Quid temperamentũ mixti? C. Temperamentum mixti, est proportio quatuor principum qualitatum elementarium, functionibus naturalibus obeundis idonea. Auicennas id definit qualitatem ex elementis proportione mixtis exurgentem.

D. Putásne primarum qualitatũ crasin, sine elementorum mixtione fieri posse?

Quod sine elementorũ mixtione fieri nequeat. C. Nequaquam. Etsi enim temperamentum à mixtione hoc discrimine seiungitur, quod hæc maximè elemétorum propria sit, illud verò qua-

litatum: sic tamen iuncta sunt, vt neque mistio citra efficientium qualitatum opem, neque sine elementorum omnium substantia temperamentum induci possit. Adeo vt temperamentum sit concentus quidam quatuor qualitatum principum, ex omnium elementorum permixtione.

D. Quot sunt in vniuersum temperamentorum mixti differentiæ?

Quot quæ-que sint temperamentorum differentiæ.

C. Nouem. Vnum quidem temperatum, octo verò intemperata, ex quibus quatuor sunt simplicia, calidum, frigidum, humidum, siccum: ac totidem composita, calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum.

D. Quódnam est temperatum illud?

Quid temperamētũ εὔκρατον.

C. Quod Græcis εὔκρατον dicitur, omnium temperamentorum veluti norma & regula.

Quotuplex est?

Quotuplex sit.

C. Duplex, vnum absolutè & ad pondus temperatum: alterum ad iustitiam in singulis generibus.

D. Quid vocas temperamentum absolutum & ad pondus?

Quid tēperatum ad pondus.

C. Id in quo par & æqualis est cō-

mixtorum elementorum portio, nec plus calidi quàm frigidi, nec humidi quàm ficci.

Hoc Galenus cogitatione potiùs, quàm reipsa subsistere putat; ac, si alicui vnquam contingit, ne momento quidem durare.

D. Quid vocas temperatum ad iustitiam in singulis generibus?

Quid téperatum ad iustitiá.

C. Quod paritatem quidem exactam contrariorum in se non habet, sed eam mediocritatem decoram, quę suæ naturæ debetur, & generi aut speciei maximè conuenit: Adeo vt mixtionis æqualitas non Arithmeticâ, sed Geometricâ proportione æstimetur. Iustitiæ siquidem est Geometricè suum cuique tribuere, pro dignitate.

D. Quid vocas temperamenta simplicia intemperata?

Quid tempe-tamenta intépe-rata simplicia.

C. Simplicia intemperata dicuntur, in quibus vna tantum ex quatuor qualitatibus superat, vt calor, frigus, humiditas, aut ficcitas.

D. Quid composita?

Composita.

C. Composita intemperata vocantur, in quibus duarum qualitatum

excessus est, vt temperamentum calidum humidum, in quo calor frigori, & humor siccitati præpollet: frigidum siccum, quod habet plus frigidi, quàm calidi, & plus sicci quàm humidi elementi.

D. Frustra distinxisti temperamenta in simplicia & composita, cùm nullum prorsus simplex, sed omnia sint composita. Obiectio.

C. Nego.

D. Probo. Temperamentum simplex illud est, in quo vnicum dominatur elementum, vt calidum in cuius mistione vicit ignis, frigidum in quo vicit aqua, &c. Sed vnum quodque elementum duas habet qualitates. Nam ignis est calidus & siccus: aqua frigida & humida.

Ergo nullum datur temperamentum simplex.

C. Temperamentum simplex appellatur, in quo vnica qualitas dominatur, non in quo vnicum elementum.

D. Contra tuam responsionem sic argumentor:

Qualitas cum sit accidens, per se & sine subiecto consistere nequit. Itaque si dominetur aliqua qualitas elementi, suum

elementum prædominetur necesse est.

Solutio. C. Vnumquódque elementum licet duas habeat qualitates, vnica tamen dominatur, à qua temperamentum nomen sortitur. Sed ideo temperamentum calidum aut frigidum dicitur, quod calor in contrarium frigus, aut frigus in aduersum calorem dominetur, cum humiditatis ac siccitatis æqualitate: humidum verò aut siccum, quod humiditas siccitate, aut siccitas humiditate sit potentior, cum pari portione caloris ac frigoris.

D. Quotuplex est temperamentum vitæ.

Quotuplex té peramẽtum viuentis. C. Duplex, vnum insitum, quod ex calido innato, humidóque primigenio constat, partibus viuentibus à primo ortu inhærens: alterum verò influens, quod è partibus principibus, corde præsertim scaturiens, per vniuersum corpus spargitur.

Vt temperamẽtum viuentis, à mixti té peramẽto discrepet. *D. Censes igitur temperamentum viuentis, à mixti temperamento discrepare?*

C. Maximè, cum seorsim & per se subsistant. Nam calor vitalis nequaquam elementaris est, sed cælesti calori analogus, & cum per mortem ex-

tinguitur, cadauer nihilominus aliquandiu suum ab elementorum mixtione temperamentum retinet. Quin & viuificus calor, si elementaris esset, omnia viuentia temperamento calida esse oporteret: At multa sunt viuentia frigido temperaměto, in quorum mixtione calidum elementare superatur à frigido. Discrimen vtriúsque temperamenti, ab ipsamet similarium partium origine clariùs elucescit. Hæ siquidem à duobus generationis nostræ principiis, semine & menstruo sanguine oriuntur, quorum corpulentia ex elementorũ mixtione proficiscitur; vtpote ex mixta humorum congerie, quæ ab assumptis alimentis, ex promiscua elementorum concursione procreatis, duxit exordium: sed genitales spiritus quibus vndique perfunditur, ex prima rerum creatione singulis speciebus viuentium, quasi per traduces Creatoris vi propagantur & conseruantur.

Cum eo tamen conspiret, ad animæ functiones obeundas.

Licet autem vitæ temperamětum, à mistarum qualitatum elemětarium temperamento sit reipsa distinctum,

hoc tamen in corporibus animatis cum illo copulatum, naturalibus animæ actionibus edendis aptissimum est.

DE PARTIBVS.

D. Sed de elementis & temperamentis quidem satis; ad partes veniamus. Quid est pars.

Quid pars. C. Partis nomen latè sumptum significat quicquid ad humani corporis constitutionem facit. Ὅ, τι γὰρ ἂν ᾖ τῶ παντὸς συμπληρωτικὸν, μέρος ὀνομάζεται. Latè sumpta. Quicquid enim totum complet atque integrat, pars nominatur, authore Galeno *cap.5.l.1. meth. Med.* Hac fusa & ampla partis significatione vsus est Hippocrates; dum ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα, humores & spiritus partes appellat. Sed pars propriè à Fernelio definitur, Propriè dicta. *corpus toti cohærens, communíque vita coniunctum, & ad illius functionem vsúmve comparatum.* Qua definitione humores ac spiritus idcirco ex partium numero excluduntur, quòd nusquam hæreant, sed per venas & arterias motu ferantur.

Partium prima diuisio. *D. Quotuplex est partium diuisio?*

C. Multiplex partium diuisio, sed

omnium prima eſt in continentes & contentas.

D. Quænam ſunt partes continentes?

C. Partes ſolidæ, quæ per ſe ſuſtentantur. Ab Hippocrate τὰ ἴσχοντα dicuntur. Quæ cōtinentes partes ſint.

D. Quomodo diuiduntur?

C. In ſimilares & diſſimilares. Earum diuiſio.

D. Quænam ſunt partes ſimilares?

C. Partes ſimilares à Græcis ὁμοιομερεῖς, id eſt eiuſdem naturæ dicuntur, quæ vna parilique ſubſtantia conſtāt, & vndique ſibi ſimili, in quibus tanquam ſenſu minimis, corporis diſſolutio conſiſtit. Quam ob cauſam ſimplices ac primę nōn rarò appellantur; quandóque & elementa ſenſibilia, quia ad ſenſum ſimpliciſſimæ apparent. Quæ ſimilares partes ſint.

D. Quomodo partes ſimilares diuiduntur? Earum diuiſio.

C. In ſpermaticas & ſanguineas.

D. Quænam ſunt partes ſpermaticæ?

C. Quæ ex ſemine conſtant.

D. Quot ſunt partes ſimilares ſpermaticæ? Quæ & quot ſint partes ſpermaticæ.

C. Nouem, os, cartilago, ligamentum, fibræ, membrana, ner-

uus, vena, arteria, cutis.

Obiectio. *D. At, inquam, neruus, vena, arteria, & cutis, sunt partes dissimilares. Galenus quippe* lib. de placitis Hippoc. & Plat. *&* de vsu partium, *docet neruos intùs medullosos, extrinsecus membranosos esse, vt venarum & arteriarum corpus membranis & fibris variis est contextum, cutísque neruis, venis & arteriis constituta.*

Ergo inter partes similares recenseri non debent?

Solutio. C. Respondeo partium similarium duo esse genera, quædam enim reuera similares sunt, vt os, cartilago, ligamentum, fibræ, membrana: aliæ sensus iudicio tantùm. Hac ratione nerui, venæ, arteriæ, & cutis, similares erunt: quia primo obtutu intuentibus nobis apparet earum substantia vniusmodi.

D. Quænam sunt partes sanguineæ?

Quæ partes sanguineæ. C. Quæ à sanguine originem habent, vt caro & adeps.

Quænam sunt partes dessimilares?

Quæ sunt partes dissimilares. C. Partes ἀνομοιομερεῖς, id est dissimilares dicuntur, quæ non ex partibus eiusdem naturæ componuntur, sed ex pluribus specie differentibus.

Aliàs ὀργανικὰ, id est instrumentariæ appellantur, quod facultatum ac functionum animæ sint instrumenta.

D. Quomodo diuiduntur partes organicæ?

C. In animales, vitales & naturales: ac singulæ in principem, & sub ministrantes. **Cur organicæ dictæ. Organicarum partium diuisio.**

D. Quid vocas partes animales, vitales & naturales?

C. Organa functionum animalium, vitalium & naturalium. **Quæ partes animales, vitales & naturales dicātur.**

D. Quid vocas partem principem?

C. Quæ aliarum gubernationi præest. **Quæ princeps.**

D. Quid subministrantes?

C. Quæ principi subseruiunt, & ab ipsa vt plurimum originem ducunt. **Quæ subministrantes.**

D. Quódnam est princeps organum functionum animalium.

C. Cerebrum. Est enim animalium facultatum cùm sentientium, tum motiuarum omnium origo, animalis spiritus sedes, & neruorum principium. **Princeps organum functionū animalium.**

D. Quotuplicia sunt organa cerebro subministrantia, ad functiones animales obeundas? **Quotuplicia sint organa cerebro subministrantia.**

Quæ sint organa facultatẽ animalẽ deferentia. C. Duplicia. Alia quippe facultatem animalem deferunt ad sensum & motum: alia operantur, cuius generis sunt propria sensus cuiusque exterioris, ac motus voluntarij organa.

D. Quænam sunt organa facultatem sentiendi & mouendi deferentia?

C. Nerui sensitiui & motiui.

Quę sint propria singulorum sensuũ organa. *D. Quænam sunt propria cuiúsque sensus organa?*

C. Oculi visus, aures auditus, nares odoratus, lingua gustus, & cutis tactus, propria organa sunt.

Quæ motus voluntarii organa. *D. Quænam sunt propria motus voluntarij organa?*

C. Musculi.

Princeps organum functionum vitalium. *D. Quódnam est princeps organum functionum vitalium?*

C. Cor. Est enim facultatis & spiritus vitalis fons, natiui caloris præcipua sedes, arteriarúmque principium.

Quotuplicia sint organa facultati vitali subministrãtia. *D. Quotuplicia sunt organa cordi subseruientia?*

C. Duplicia, respirationis nimirum & pulsus organa.

Quæ sint respirationis organa. *D. Quænam sunt respirationis organa?*

C. Ea trium sunt generum. Alia sunt deducentia, alia excipientia, alia mouentia. Deducentia aërem sunt larynx & aspera arteria. Excipientia sunt pulmones, haustum enim aërem excipiunt, præparántque cordi. Mouentia sunt musculi thoracem distendentes & contrahentes. Non enim sine motu thoracis ducitur aër, vapórque fumidus excluditur. Deducētia. Excipiētia. Mouentia.

D. Quænam sunt pulsationis organa? Quæ pulsus organa.

C. Arteriæ.

D. Quódnam est princeps organum functionum naturalium? Princeps organum functionum naturaliū.

C. Hepar. Est enim facultatis naturalis, venarúmque omnium principium, & primum generandi sanguinis instrumentum.

D. Quotuplicia sunt organa facultati naturali subseruientia? Quotuplicia sint organa facultati naturali subseruientia.

C. Duplicia. Alia enim nutritioni, alia generationi dicata.

D. Quænam sunt subministrantia nutritionis organa?

C. Ea trium sunt generum. Alia quippe præparando, alia expurgando, alia distribuendo alimento inseruiunt. Quæ nutritioni famulētur.

D. Quanam præparando alimento inseruiunt?

Organa inseruientia alimento præparando.

C. Os & ventriculus cibum pręparant, illud manduçatione, hic coctione.

D. Quanam expurgando alimento inseruiunt?

Expurgando.

C. Ea duorum sunt generum. Alia quippe chylo, alia sanguini expurgādō suam dicarunt operam. Intestina chylo expurgando dicata sunt. Chyli siquidem excrementa per aluum expellunt. Kystis fellis, lien, renes & vesica, ad sanguinis expurgationem destinata sunt organa. Excipiūnt enim & secernunt à sanguine excrementitios humores è substantia chylosa in hęmatosi procreatos.

D. Quanam distribuendo alimento inseruiunt?

Distribuendo.

C. Venæ.

D. Quotuplex venarum genus?

Venarū genera.

Vetustū.

C. Duplex, vnum jampridem Anatomicis omnibus notum, quo sanguis ab hepate per vniuersum corpus dispergitur, duas complectēs species, venam portam vulgò nuncupatam, quæ crassiorem intestinis alendis, &

venam cauam quæ tenuiorem sanguinem cæteris corporis partibus nutriendis dispertit: alterum nouissimè à Gaspare Asellio Cremonensi, Anatomico Ticinensi in viuis animalibus dissecandis inuentum, mox à nobis in academia Remensi obseruatum, quo chylus, in ventriculo confectus, ad hepar defertur. **Nouum. A quo inuentũ.**

D. Quando & quomodo Asellius ad horum vasorum Chylodochon antiquioribus Medicis ignotorum inuentionem peruenit?

C. Cùm fortè fortunâ, anno 1622. die 23. Iulij, canem benè habitum, benéque pastum, secandum viuum sumpsisset, aperto abdomine, præter triplicia vasa Mesaraïca, vulgares venas, arterias & neruos, repentè plurimos candentiũ vasorũ ramulos, eósque tenuissimos ceu funiculos per omne mesenterium & per intestina infinitis propemodum propaginibus dispersos conspicatus est; & quidem à reliquis vasis Mesaraïcis distinctos, cauitate à neruis, tenuitate tunicarum ab arterijs, candore à venis, ab omnibus simul succo, quem includũt, **Quando & quomodo. Vt à reliquis vasis Mesaraïcis distinctũ.**

succo, obliterantur venæ istæ?

C. In ijs animalibus, quæ fato suo, aut vi morbi pereunt, non magnoperè mirandum, quod functiones naturales omnes, inter quas non minima illa chyli est confectio ac distributio, exoletæ iacent, & cum ipsis veluti emoriuntur. At cur idem iis quoque vsuvenit, quæ sectione viua, citra morbum violenter occumbunt, rationi consentaneum videtur, quod ex ingenti dolore à sectione orto spiritus dissipentur, ad quorum instaurationem cor nouam ex hepate materiam rapit, hepar subinde ex hisce venulis lacteum succum valido tractu totum exhaurit, quo illę priuatæ, nec nouo alio in exhausti locum reposito, præ sui tenuitate necessariò concidũt, collabuntur, ac se sensui subducunt.

D. Lactearum venarum sedem in mesenteria quidem constituisti, sed originem & insertionem nondum aperuisti?

Lactearum venarum orgo. Cur iecori tribuatur.

C. De hac re obscura, nihil absolutè decernit Asellius, liberũ cuique iudicium relinquit. Principium iecori, an pancreati debeant istæ venæ, in dubium reuocat. Cùm in iecoris gratiam

tiam prorſus extitiſſe videantur, ab eo oriri veriſimile eſſe cenſet. Annuit nihilominùs quorumdam opinioni, qui à pancreate earum originem repetũt: quia pancreas maxima glandula eſt, colore iſtis venis haud abſimili, in qua omnes coëunt, & miris anfractibus ac gyris toto eius corpore intextæ & implicatæ conſpiciantur, indéque tum deorſum ad inteſtina, tum ſurſum ad hepar porrigi appareant. Cur pancreati.

D. Lactium origo, Candidate, nec hepati, nec pancreati accepta mihi videtur. Rationi quippe conſentaneum ipſas venas ab ijs locis primordium capere, à quibus perfectus chylus in hepar primùm deriuatur: Sed ſimul ac confectus in ventriculo chylus eſt, in inteſtina deponitur, à quibus per lactes ad hepar defertur. Ergo lacteæ venæ ab inteſtinis ducunt originem. Idcirco hirudinum inſtar ad interiorem inteſtinorum capacitatē ſuis oſcillis hiāt, ac ſpongioſis capitulis intùs penetrantibus inſtruuntur, quæ tanquam radices chylum ex illis ſugunt, ac pluribus valuulis intus forâs ſpectantibus, quæ impediunt ne chylus remeat in partem vnde hauſtus eſt. Deſinúntque in cruſtam, quæ operimenti Cur ab inteſtinis potius ducatur.

elementum prædominetur necesse est.

Solutio. C. Vnumquódque elementum licet duas habeat qualitates, vnica tamen dominatur, à qua temperamentum nomen sortitur. Sed ideo temperamentum calidum aut frigidum dicitur, quod calor in contrarium frigus, aut frigus in aduersum calorem dominetur, cum humiditatis ac siccitatis æqualitate: humidum verò aut siccum, quod humiditas siccitate, aut siccitas humiditate sit potentior, cum pari portione caloris ac frigoris.

D. Quotuplex est temperamentum vitæ.

Quotuplex té peramé tum viuentis. C. Duplex, vnum insitum, quod ex calido innato, humidóque primigenio constat, partibus viuentibus à primo ortu inhærens: alterum verò influens, quod è partibus principibus, corde præsertim scaturiens, per vniuersum corpus spargitur.

Vt temperamé tum viuentis, à mixti té peramé to discrepet. *D. Censes igitur temperamentum viuentis, à mixti temperamento discrepare?*

C. Maximè, cum seorsim & per se subsistant. Nam calor vitalis nequaquam elementaris est, sed cælesti calori analogus, & cum per mortem ex-

tinguitur, cadauer nihilominus aliquandiu ſuum ab elementorum mixtione temperamentum retinet. Quin & viuificus calor, ſi elementaris eſſet, omnia viuentia temperamento calida eſſe oporteret: At multa ſunt viuentia frigido temperamẽto, in quorum mixtione calidum elementare ſuperatur à frigido. Diſcrimen vtriúſque temperamenti, ab ipſamet ſimilarium partium origine clariùs eluceſcit. Hæ ſiquidem à duobus generationis noſtræ principiis, ſemine & menſtruo ſanguine oriuntur, quorum corpulentia ex elementorũ mixtione proficiſcitur; vtpote ex mixta humorum congerie, quæ ab aſſumptis alimentis, ex promiſcua elementorum concurſione procreatis, duxit exordium: ſed genitales ſpiritus quibus vndique perfunditur, ex prima rerum creatione ſingulis ſpeciebus viuentium, quaſi per traduces Creatoris vi propagantur & conſeruantur.

Licet autem vitæ temperamẽtum, à miſtarum qualitatum elemẽtarium temperamento ſit reipſa diſtinctum,

Cum eo tamen conſpiret, ad animæ functiones obeundas.

hoc tamen in corporibus animatis cum illo copulatum, naturalibus animæ actionibus edendis aptissimum est.

DE PARTIBVS.

D. Sed de elementis & temperamentis quidem satis; ad partes veniamus. Quid est pars.

Quid pars. C. Partis nomen latè sumptum significat quicquid ad humani corporis constitutionem facit. Ὅ, τι γὰρ ἂν ᾖ τοῦ παντὸς συμπληρωτικὸν, μέρος ὀνομάζεται, Latè sumpta. Quicquid enim totum complet atque integrat, pars nominatur, authore Galeno *cap.5.l.1.meth.Med.* Hac fusa & ampla partis significatione vsus est Hippocrates; dum ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα, humores & spiritus partes appellat. Sed pars propriè à Fernelio definitur, Propriè dicta. *corpus toti cohærens, communíque vita coniunctum, & ad illius functionem vsúmve comparatum.* Qua definitione humores ac spiritus idcirco ex partium numero excluduntur, quòd nusquam hæreant, sed per venas & arterias motu ferantur.

Partium prima diuisio. *D. Quotuplex est partium diuisio?*

C. Multiplex partium diuisio, sed

nium prima est in continentes & ntentas.

D. *Quænam sunt partes continentes?* Quæ cōtinentes partes sint.

C. Partes solidæ, quæ per se sunt tantur. Ab Hippocrate τὰ ἴσχοντα dicuntur.

D. *Quomodo diuiduntur?*

C. In similares & dissimilares. Earum diuisio.

D. *Quænam sunt partes similares?*

C. Partes similares à Græcis ὁμοιομερεῖς, id est eiusdem naturæ dicuntur, Quæ similares partes sint. uæ vna pariliique substantia constāt, x vndique sibi simili, in quibus tanquam sensu minimis, corporis dissoutio consistit. Quam ob causam simplices ac primę non rarò appellantur; quandóque & elementa sensibilia, quia ad sensum simplicissimæ apparent.

D. *Quomodo partes similares diuiduntur?* Earum diuisio.

C. In spermaticas & sanguineas.

D. *Quænam sunt partes spermaticæ?*

C. Quæ ex semine constant.

D. *Quot sunt partes similares spermaticæ?* Quæ & quot sint partes spermaticæ.

C. Nouem, os, cartilago, ligamentum, fibræ, membrana, ner-

uus, vena, arteria, cutis.

Obiectio. *D. At, inquam, neruus, vena, arteria, & cutis, sunt partes dissimilares. Galenus quippe* lib. de placitis Hippoc. & Plat. *&* de vsu partium, *docet neruos intùs medullosos, extrinsecus membranosos esse, vt venarum & arteriarum corpus membranis & fibris variis est contextum, cutísque neruis, venis & arteriis constituta.*

Ergo inter partes similares recenseri non debent?

Solutio. C. Respondeo partium similarium duo esse genera, quædam enim reuera similares sunt, vt os, cartilago, ligamentum, fibræ, membrana: aliæ sensus iudicio tantùm. Hac ratione nerui, venæ, arteriæ, & cutis, similares erunt: quia primo obtutu intuentibus nobis apparet earum substantia vniusmodi.

D. Quænam sunt partes sanguineæ?

Quæ partes sanguineæ. C. Quæ à sanguine originem habent, vt caro & adeps.

Quænam sunt partes dessimilares?

Quæ sunt partes dissimilares. C. Partes ἀνομοιομερεῖς, id est dissimilares dicuntur, quæ non ex partibus eiusdem naturæ componuntur, sed ex pluribus specie differentibus.

Aliàs ὀργανικὰ, id est instrumentariæ appellantur, quod facultatum ac functionum animæ sint instrumenta.

D. Quomodo diuiduntur partes organicæ?

C. In animales, vitales & naturales: ac singulæ in principem, & subministrantes. Cur organicæ dictæ. Organicarum partium diuisio.

D. Quid vocas partes animales, vitales & naturales?

C. Organa functionum animalium, vitalium & naturalium. Quæ partes animales, vitales & naturales dicātur.

D. Quid vocas partem principem?

C. Quæ aliarum gubernationi præest. Quæ princeps.

D. Quid subministrantes?

C. Quæ principi subseruiunt, & ab ipsa vt plurimum originem ducunt. Quæ subministrantes.

D. Quódnam est princeps organum functionum animalium.

C. Cerebrum. Est enim animalium facultatum cùm sentientium, tum motiuarum omnium origo, animalis spiritus sedes, & neruorum principium. Princeps organum functionū animalium.

D. Quotuplicia sunt organa cerebro subministrantia, ad functiones animales obeundas? Quotuplicia sint organa cerebro subministrantia.

Quæ sint organa facultaté animalé deferentia. C. Duplicia. Alia quippe facultatem animalem deferunt ad sensum & motum : alia operantur, cuius generis sunt propria sensus cuiusque exterioris, ac motus voluntarij organa.

D. Quænam sunt organa facultatem sentiendi & mouendi deferentia?

C. Nerui sensitiui & motiui.

Quę sint propria singulorum sensuũ organa. *D. Quænam sunt propria cuiúsque sensus organa?*

C. Oculi visus, aures auditus, nares odoratus, lingua gustus, & cutis tactus, propria organa sunt.

Quæ motus voluntarii organa. *D. Quænam sunt propria motus voluntarij organa?*

C. Musculi.

Princeps organum functionum vitalium. *D. Quódnam est princeps organum functionum vitalium?*

C. Cor. Est enim facultatis & spiritus vitalis fons, natiui caloris præcipua sedes, arteriarúmque principium.

Quotuplicia sint organa facultati vitali subministrãtia. *D. Quotuplicia sunt organa cordi subseruientia?*

C. Duplicia, respirationis nimirum & pulsus organa.

Quæ sint respirationis organa. *D. Quænam sunt respirationis organa?*

C. Ea trium ſunt generum. Alia ſunt deducentia, alia excipientia, alia mouentia. Deducentia aërem ſunt larynx & aſpera arteria. Excipientia ſunt pulmones, hauſtum enim aërem excipiunt, præparántque cordi. Mouentia ſunt muſculi thoracem diſtendentes & contrahentes. Non enim ſine motu thoracis ducitur aër, vapórque fumidus excluditur. Deducétia. Excipiétia. Mouentia.

D. Quænam ſunt pulſationis organa? Quæ pulſus organa.

C. Arteriæ.

D. Quódnam eſt princeps organum functionum naturalium? Princeps organum functionum naturaliũ.

C. Hepar. Eſt enim facultatis naturalis, venarúmque omnium principium, & primum generandi ſanguinis inſtrumentum.

D. Quotuplicia ſunt organa facultati naturali ſubſeruientia? Quotuplicia ſint organa facultati naturali ſubſeruientia.

C. Duplicia. Alia enim nutritioni, alia generationi dicata.

D. Quænam ſunt ſubminiſtrantia nutritionis organa?

C. Ea trium ſunt generum. Alia quippe præparando, alia expurgando, alia diſtribuendo alimento inſeruiunt. Quæ nutritioni famulétur.

D. Quanam praparando alimento inseruiunt?

Organa inseruientia alimento præparando. C. Os & ventriculus cibum preparant, illud manducatione, hic coctione.

D. Quanam expurgando alimento inseruiunt?

Expurgando. C. Ea duorum sunt generum. Alia quippe chylo, alia sanguini expurgãdõ suam dicarunt operam. Intestina chylo expurgando dicata sunt. Chyli siquidem excrementa per aluum expellunt. Kystis fellis, lien, renes & vesica, ad sanguinis expurgationem destinata sunt organa. Excipiunt enim & secernunt à sanguine excrementitios humores è substantia chylosa in hęmatosi procreatos.

D. Quanam distribuendo alimento inseruiunt?

Distribuendo. C. Venæ.

D. Quotuplex venarum genus?

C. Duplex, vnum jampridem Anatomicis omnibus notum, quo sanguis ab hepate per vniuersum corpus dispergitur, duas complectẽs species, venam portam vulgò nuncupatam, quæ crassiorem intestinis alendis, &

Venarũ genera. Vetustũ.

venam cauam quæ tenuiorem sanguinem cæteris corporis partibus nutriendis dispertit: alterum nouissimè à Gaspare Asellio Cremonensi, Anatomico Ticinensi in viuis animalibus dissecandis inuentum, mox à nobis in academia Remensi obseruatum, quo chylus, in ventriculo confectus, ad hepar defertur. **Nouum.** **A quo inuentū.**

D. Quando & quomodo Asellius ad horum vasorum Chylodochon antiquioribus Medicis ignotorum inuentionem peruenit?

C. Cùm fortè fortunâ, anno 1622. die 23. Iulij, canem benè habitum, benéque pastum, secandum viuum sumpsisset, aperto abdomine, præter triplicia vasa Mesaraïca, vulgares venas, arterias & neruos, repentè plurimos candentiū vasorū ramulos, eósque tenuissimos ceu funiculos per omne mesenterium & per intestina infinitis propemodum propaginibus dispersos conspicatus est; & quidem à reliquis vasis Mesaraïcis distinctos, cauitate à neruis, tenuitate tunicarum ab arterijs, candore à venis, ab omnibus simul succo, quem includūt, **Quando & quomodo.** **Vt à reliquis vasis Mesaraïcis distinctū.**

qui neruis nullus, in venis & arterijs colore & totâ substantiâ dispar. Vbi quippe adacto scalpello vnum ex illis pertudit, confestim liquorem album cremoris instar prosilire vidit. Hoc facto periculo, totum se dedit ad perquirendam in aliis etiam animalibus veritatem. In quam curam ita incubuit, vt nullus mensis abierit sine viua vna, aut altera sectione, non canum tantùm, sed & felium, agnorum, porcorum, vaccarum, equorum. Hominem viuum non incidisse fatetur, sed pro certo statuit, quæ in tot brutis visa illi sunt candida vasa, in vno homine non deficere. Nec credibile esse in re tam necessaria plus de bestiis, quàm hominibus naturam, communem omnium parentem, laborasse; & illis matrem, nobis nouercam fuisse.

D. Quomodo vocantur hæc vasa?

Cur lactearum venarũ nomen adeptũ sit.

C. Inuentor lacteas venas, & absolutè lactes appellauit, quod lactis candorem referant, & humorem lacti similem in se contineant.

D. Quam putas causam cur hæ lacteæ venæ ad nostrum vsque seculum, tot perspicaces Anatomicos latuerint?

C. Quia non in viuis, sed demortuis animalibus, anatomes suas instituerunt, in quibus has venas experiētia docet, ita confestim vanescere, vt omnem aspectum etiam attentissimum fallant, atque effugiant. cur tandiu lacteæ venæ latuerint.

D. At Galenus sexcentas viuas sectiones se administrasse gloriatur. Erasistratus & Herophilus plures etiam homines viuos olim secuerunt, qui fieri potest, vt lacteas hasce venas non deprehenderint? Obiectio.

C. Viua quidem secuerunt animalia, sed non suo tempore, aut scilicet absoluta iam perfectáque, aut nedum tentata, inchoatáque chyli distributione, atque ad hepar delatione. Sennertus huius rei rationem reddit: Causa ob quam animalia viua secuerunt Antiqui, est vt motum cordis, vel cerebri, vel diaphragmatis, vel vocis instrumenta viderent, & inuestigarent, vel quomodo cibus in ventriculo mutaretur, agnoscerent. Quæ dum fiunt, ipsa interim moriuntur, mox lacteæ venæ delitescunt & exolescunt. Solutio. Cur moriente animali lacteæ venæ euanescant.

D. Cur in mortuis, aut etiam morientibus, ita repentè exhausto, qui in eis est

succo, obliterantur venæ istæ?

C. In ijs animalibus, quæ fato suo, aut vi morbi pereunt, non magnoperè mirandum, quod functiones naturales omnes, inter quas non minima illa chyli est confectio ac distributio, exoletæ iacent, & cum ipsis veluti emoriuntur. At cur idem iis quoque vsuvenit, quæ sectione viua, citra morbum violenter occumbunt, rationi consentaneum videtur, quod ex ingenti dolore à sectione orto spiritus dissipentur, ad quorum instaurationem cor nouam ex hepate materiam rapit, hepar subinde ex hisce venulis lacteum succum valido tractu totum exhaurit, quo illę priuatæ, nec nouo alio in exhausti locum reposito, præ sui tenuitate necessariò concidũt, collabuntur, ac se sensui subducunt.

D. Lactearum venarum sedem in mesenterio quidem constituisti, sed originem & insertionem nondum aperuisti?

Lactearum venarum orgo. Cur iecori tribuatur.

C. De hac re obscura, nihil absolutè decernit Asellius, liberũ cuique iudicium relinquit. Principium iecori, an pancreati debeant istæ venæ, in dubium reuocat. Cùm in iecoris gratiam

tiam prorsus extitisse videantur, ab eo oriri verisimile esse censet. Annuit nihilominùs quorumdam opinioni, qui à pancreate earum originem repetũt: quia pancreas maxima glandula est, colore istis venis haud absimili, in qua omnes coëunt, & miris anfractibus ac gyris toto eius corpore intextæ & implicatæ conspiciantur, indéque tum deorsum ad intestina, tum sursum ad hepar porrigi appareant. Cur pancreati.

D. Lactium origo, Candidate, nec hepati, nec pancreati accepta mihi videtur. Rationi quippe consentaneum ipsas venas ab iis locis primordium capere, a quibus perfectus chylus in hepar primùm deriuatur: Sed simul ac confectus in ventriculo chylus est, in intestina deponitur, à quibus per lactes ad hepar defertur. Ergo lacteæ venæ ab intestinis ducunt originem. Idcirco hirudinum instar ad interiorem intestinorum capacitatẽ suis oscillis hiant, ac spongiosis capitulis intus penetrantibus instruuntur, quæ tanquam radices chylum ex illis sugunt, ac pluribus valuulis intus forás spectantibus, quæ impediunt ne chylus remeat in partem vnde haustus est. Desinúntque in crustam, quæ operimenti Cur ab intestinis potius ducatur.

vicem supplet, ne obliteratis earum osculis, occæcatísve à sordibus, chyli pereat distributio, abolescátque. Ab intestinis igitur per mesenterium obliquo ductu, duas inter eius tunicas, partim seorsum à vasis reliquis, partim cum illis vnà, modò recto ductu, modò eadem transscendentes & veluti decussantes, per plures glandulas, ad diremptĩs ramorum præsertim collocatas, in pancreas vsque perferuntur. Vt autem longiori morâ chylus magis magísque elaboraretur, puriórque euaderet, in pancreate variè cancellorum in modum, vel specie retium lactes implexæ sibi mutuò, & corpore confusæ, in plurimos gyros, anfractúsque hac illac, vt in labyrinthis intorquentur. Ab eo rursus maioribus iam ramis per portæ latera, quam quibusdam locis corollæ instar, sine annuli incingunt, ambiũntque, in iecoris caua subeunt. Inde in minutissimos surculos discissæ, veluti quædam capillamenta in hepatis carnem quaquauersum, tandiu disperguntur, dissemínantúrque, dum prorsus obliterentur. Dic mihi, Candidate, cur lacteæ venæ adeò tenues & pusillæ sunt in hepate?

Cur lactes adeò tenues & pusillæ sint in hepate.

C. Vt quàm fieri potest in minutissimas partes diuisus, distractúsque

chylus, illinc trahatur commodiùs, minima quáque sui parte à vi hepatis contactus.

D. Possúntne lacteæ venæ admodum exiles & angustæ sufficientem alimentarij succi quantitatem iecori suggerere, ad conficiendam sanguinis copiam toti corpori nutriendo necessariam?

C. Maximè. Siquidem oculorũ fides eas propemodũ infinitas esse docet, adeò vt non magnitudine quidẽ, sed numerò Mesaraïcas rubras plurimùm excedant. Quippè non solũ eas comitantur vbicunque sunt, sed pluribus locis, vbi illarũ nulla cernitur, spatiis intermediis ipsæ nihilominus & copiosis surculis veluti fruticant. Sed plurimæ ad gracilia, pauciores ad crassa pertinent intestina: quod illa succi alibilis, hæc fæcum & purgamentorum inutilium receptacula sint; ac illa proinde distributioni, hæc excretioni magis inseruiant. Nullæ prorsùs ex eis ad ventriculum delatæ conspiciuntur, ne imperfectum inde chylum trahant.

Cur tãtũ chyli suppeditét iecori, quãtum sanguinis toti corpori nutriendo requiritur.

D. Cur numerosæ sunt lacteæ venæ per omnia intestina fusæ, eaque paruæ, non

autem pauca, & ampla?

Cur numerosæ, sint ac paruæ: nõ paucæ & amplæ.

C. Ne crassæ & inutiles chyli partes simul cum vtilibus temerè in eas subeant: & ne confertim & tumultuariè fiat distributio.

D. Quomodo per lacteas venas tam exiguas chylus sanguine etiam crassior perlabitur?

Quî per tam exiguas lactes chylus sanguine crassior permanat.

C. Quidam chylum sanguine tenuiorem faciũt, quia minus est, quàm ille excoctus. Crassescit autem omne, quod coquitur. Sed quicquid sit de hac crassitie, nihil ea chyli distributionem impedire potest. Ita enim ab aquoso cibi vehiculo diluitur, vt vel arctiores venas subire posse videatur.

D. Quî fieri potest vt excrementitia bilis ab hepate per proprium ductum ad ieiunum depulsa, chylum quem lactea venæ hauriunt, nec colore nec viru suo contaminet?

Cur chylus quẽ lactes sugunt nõ inquinetur à bile quæ ad intestina detruditur.

C. Quia nunquam nisi perfecta prorsus chyli distributione, cùm scilicet depellendæ detergendæque cibi reliquiæ sunt, in intestina bilis excidit, dum integra sanitate corpus est, nec à statu suo motum.

D. Sed iam satis de Chylodochis venis nuperrimè repertis disseruimus. Venæ traducendo sanguini dicata clariùs in administratione Anatomica demonstrabuntur. Recensuisti omnia nutritionis organa, enumera nunc generationis instrumenta?

C. Generationis organa quædam mari & feminæ communia sunt, alia alterutri sexui propria. Generationis organa.

D. Quænam vtrique sexui communia sunt?

C. Testes, & vasa spermatica, cùm præparantia, tùm deferentia. Communia.

D. Quænam propria?

C. Penis mari, vterus fœminæ proprius. Propria.

DE HVMORIBVS.

D. Enumeratis partibus continentibus, ad contentas transeundum est. Quænam sunt partes contentæ?

C. Partes fluidæ, quæ aliarum adminiculo sustentantur, quales sunt humores & spiritus: illos generali nomine τὰ ἰσχόμενα, hos verò τὰ ἐνορμῶντα, id est impellentia vocat, Hippocrates. Quæ sint contétæ partes.

D. Quotuplices in corpore continentur humores?

Quotuplices humores. C. Præter primigenium, aduentitii duplices in corpore continentur humores, alimentarii nimirum, & excrementitii.

D. Quid vocas humores alimentarios?

Quid humores alimentarij. C. Succos partium solidarum nutritioni dicatos, qui ex quatuor elementorum commixtione originem ducunt.

D. Quid excrementitios?

Quid excrementitii. C. Superfluos corporis liquores, naturæ vtiles.

D. Quomodo distinguuntur alimentarij humores?

C. In primarios & secundarios.

D. Quinam primarij habentur?

Quid & quot sint primarii humores. C. Qui à chylo in iecore, vi caloris natiui geniti, singulis corporis partibus ad nutritionem per venas distribuuntur.

D. Quot sunt primarij humores?

C. Quatuor, sanguis, bilis, melancholia, & pituita, qui simul omnes in venis misti sunt. Hæc quatuor humorum mistura, massa sanguinaria vocatur, ratione sanguinis in ea exuperantis.

D. Quid sãguinis nomine intelligitur?

C. Sanguinis nomen aliquando latè sumitur pro tota massa sanguinaria; sed propriè significat puriorem & benigniorem eius portionem. Quid sanguis generaliter & propriè dictus.

D. Quænam est sanguinis temperatura?

C. Sanguis generaliter acceptus pro tota massa sanguinaria, est εὔκρατος benè temperatus; quòd εὐκρασία ex æquali quatuor humorum contrariorum mixtione, iustáque proportione & decenti harmonia exurgat: sed per se consideratus, vt purus & syncerus, temperamento calidus est & humidus, aëreæ naturæ æmulus. Nec huiusce temperamenti ratione duntaxat, verùm etiam consistentiâ, colore, sapore, & vsu, à cæteris humoribus secernitur. Sanguinis temperatura.

D. Quænam est sanguinis consistentia, quíque color, sapor & vsus?

C. Sanguis est consistentia adeo mediocris, vt, dum intra naturæ limites coërcetur, neque crassior, neque tenuior videatur, éstque colore rubeus, gustúque dulcis. Nutrit potissimum musculosas partes, quotiésque præualet, homines carnosos, floridos, Cōsistētia. Color, sapor, vsus.

venustos, blandos & hilares facit.

D. Quibus dominatur sanguis?

Quibus dominatur. C. Pueris, puberibus & adolescentibus, authore Gal. in 3. epid. τὰ παιδία καὶ τὰ μειράκια, καὶ οἱ ἐν τῷ μεταξὺ ἀμφοτέρων ἥβηνται, πλεῖστον ἔχουσι τοῦ αἵματος χυμόν. Pueri & adolescentes & in amborum medio constituti puberes humoris sanguinei plurimum habent, quod à suis vitæ principiis non ita procul absint.

D. Quando exuperat in corpore?

Et quando. C. Τοῦ ἦρος αἷμα πλεῖστον. Vere sanguis vberrimus, quod tum frigora remittant, & aquæ superueniant, ait Hippocrates *lib. de Nat. human.*

D. Quid est bilis?

Quid bilis alimétaria. Eius natura, téperaméntum, color, sapor, vsus. C. Bilis alimentaria est tenuior pars massæ sanguinariæ, igneæ naturæ particeps, temperamento calida & sicca, colore flaua aut pallida, gustu amara: homines quibus redundat macilentos, duros, agiles, præcipites & iracundos efficiens, affines naturę suæ partes nutriens: qua potissimum ratione ab excrementitia differt.

D. Quænam est bilis excrementitia?

C. Quæ ad fellis κyſtim amandatur, vt ad excrementorum deiectionem incitet atque exſtimulet, lētámque inteſtinis adhærentem pituitam detergat.

Quid bilis excrementitia.

D. Quibus dominatur bilis?

C. Ἡ ξανθὴ χολὴ κατὰ τὴν ἀκμαστικὴν ἡλικίαν πλεονάζει, Flaua bilis ætatem floridam degentibus exuperat, authore Gal. *in Aph.29.l.3.*

Quibus bilis dominatur.

D. *Quando exuperat bilis?*

C. Τοῦ θέρεος ἡ χολὴ πλείστη. Æſtate bilis vberrima, ex Hippocrate *lib. de Nat. human.*

Et quando.

Necnon & ſicca cęli conſtitutione, quia ἡ ξηρότης τοὺς χυμοὺς ἐργάζεται χολωδεστέρους τῇ ποιότητι, ſiccitas humores efficit qualitate bilioſiores, authore Galeno *in Aph.7 .lib.3.*

D. Quid eſt melancholia?

C. Melancholia alimētaria eſt craſſior maſſæ ſanguinariæ pars, naturę terreſtris, temperamento frigida & ſicca, calore nigra, guſtu acida; Homines quibus exuperat, triſtes, cogitabundos, moroſos, ſeueros, & conſtantes reddens: ſolidiores ſicciorēſque corporis partes, veluti oſſa nu-

Quid melancholia alimentaria. Et natura i. vi

triens, vnde ab excrementitia plurimùm distat.

D. Quanam est melancholia excrementitia?

Quid melancholia excrementitia.

C. Quæ ad lienem fertur, vbi à benigniori succo alimentum ipsi suppeditante secernitur, indéque in ventriculum effunditur, vt ciborum appetentiam excitet, & eos exquisitè retineri, donec concocti sint, cogat.

D. Qua ætate dominatur melancholia?

Qua ætate dominatur.

C. Μέλαινα χολὴ κτ̀ τὴν παρακμαστικὴν ἡλικίαν πλεονάζει, Atra bilis ætate declinante exuperat, authore Gal. *in 3. Prog.*

D. Quando luxuriat in corpore?

Et quando.

C. Μέλαινα χολὴ τοῦ φθινοπώρου πλείστη, Atra bilis autumno plurima, ex Hip. *l. de Nat. human.*

D. Quid est pituita?

Quid pituita alimentaria. Eius natura, temperamentum color, sapor, vsus.

C. Pituita alimentaria est liquidior massæ sãguinariæ pars, naturæ aqueæ, temperamento frigida & humida, colore alba, sapore dulcis, aut potius saporis expers: homines, in quibus luxuriat, segnes, somnolentos, crassos, pingues, candidos & molles reddens, cerebro, aliísque frigidis & humidis

partibus alimentum miniſtrans. Vnde ab excrementitia plurimùm diſcrepat.

D. Quænam eſt pituita excrementitia?

C. Seroſa ſuperfluitas, quam renes à ſanguine ſecernunt, & ad veſicam per vreteras tranſmittunt, vbi vrina dicitur. Quid pituita excrementitia.

D. Qua ætate pituita dominatur?

C. Κατὰ τὴν γεροντικὴν ἡλικίαν πάμπολυς ἐστὶν ὁ χυμὸς φλεγματώδης. In ſenili ætate plurimus eſt humor pituitoſus, ob caloris natiui penuriam, auth. Gal. *in Aph. 13. l. 3.* Qua ætate pituita dominatur.

D. Quando luxuriat in corpore?

C. Ὁ χειμὼν πληροῖ τὸ σῶμα φλέγματος. Hyems corpus pituita replet, ob pluuiarum copiam, noctiúmque longitudinem, auth. Hippocrate, *lib. de Nat. human.* Et quando.

Necnon & humida cæli conſtitutio, quoniam ἡ ὑγρότης τοῦ περιέχοντος τούς τε φλεγματώδεις ἀθροίζει χυμοὺς καὶ τῶν ὑδατωδῶν περιττωμάτων οὐκ ὀλίγα. Aëris ambientis humiditas pituitoſos aceruat humores, & nõ paucas generat aquoſas ſuperfluitates, auth. Gal. *in Aph. 7. l. 3.*

D. Quinam secundarij habentur humores?

Qui & quot sint secundarij humores. C. Qui è prioribus in quaque corporis parte originem ducunt, vbi exactius postrema elaborantur coctione, è qua duo manifesta prodeunt excrementa, sudor & sordes, pręter id quod per insensilem transpirationem exit.

D. Quot sunt secundarij humores?

C. Quatuor enumerantur, pro varietate alterationum quas subeunt, dum ad nutritionem cuiusque partis
1. præparantur. Primus est Appositus in exilibus venis, hinc mox in vacua spa-
2. tia influxurus: Alter, in partis substātiam diffusus, per eam roris modo
3. spargitur, vnde ros nuncupatur. Tertius, circa villos concrescens, illis agglutinatur, vnde gluten appellatur, Quartus, ceu concretus liquor, solidis fibris ita adhærescit, vt iam sit in similaris partis substantiam conuersus, quem cambium ideò vocant. Sic humores varia commutatione tandem in corporis naturam commigrant.

D. Putásne humores corporis naturam constituentes, perpetuò naturales esse?

Q[illegible] du[illegible] mo[illegible] s præter naturam euadant. C. Nequaquam. Vt enim humores,

vbi suam κρᾶσιν καὶ μίξιν seruant, naturales sunt: sic vbi à sua κατασάσει desciscunt, præter naturam euadunt. Vnde corpus modò sanum, modò ægrum, vt præclarè Hippocrates *lib. de Nat. hum.* scriptum reliquit, his verbis: τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑαυτῷ αἷμα, καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν διττὴν, ξανθήν τε καὶ μέλαιναν· καὶ ταῦτά ἐστιν αὐτῷ ἡ φύσις τοῦ σώματος, καὶ διὰ ταῦτα ἀλγεῖ, καὶ ὑγιαίνει. Corpus hominis sanguinem in se continet, & pituitam, & bilem vtramque, flauam & atram: quibus natura corporis illius constituitur, & per quę ægrotat, & valet. Valet enim horum beneficio, quando scilicet & quoad κρᾶσιν, sibi inuicem respondent, debita tum quātitate, πλήθει; tum qualitate, δυνάμει; & quoad μίξιν, inter se mixti sunt, non secreti. Ægrotat verò horum maleficio, quando scilicet vel quoad κρᾶσιν, respectu quantitatis, abundat vnus, alter deficit; aut qualitatis, facultas vnius intensior est, alterius remissior: vel quoad μίξιν, humor vnus à massa reliquorum humorum segregatur & recedit. Quando enim segregatur humor à reliqua massa, necesse est humor-

Quomodo humores naturales sint causæ sanitatis.

Quomodo humores præter naturam sint causæ morbificæ.

Quomo-... -na... sic...

bum oriri tum in ea parte, à qua præter naturam recessit; tum in ea parte, in quam præter naturam incubuit. Quòd si recedens humor à reliquis, extra corpus pellatur, ipsa euacuatio simplicem morbum pariet: sin autem intra corpus maneat, geminus morbus excitabitur: in parte quidem vnde excessit, ab euacuatione: in parte verò, in quam incubuit, à repletione.

D. Quomodo sanguis à naturæ modo desciscit?

Quomodo sanguis à naturæ modo desciscat.

C. Cùm putrescit, eius tenuior portio in flauam, crassior in atram vertitur bilem. Vnde χολωδέστεροι ϗ μελαγχολικώτεροι euadit. Quin & ab aliis humoribus, qui vel ex fellis vesicula, liene, aliísve partibus in venas influxerunt, vitiosus redditur.

D. Quomodo bilis præter naturam euadit?

Quomodo bilis præter naturam euadat.

C. Cùm intra, vel extra venas, à natura sua permutatur.

D. Quotuplex bilis præter naturam gignitur intra venas?

C. Triplex, pallida, vitellina, & atra.

D. Quomodo bilis pallida fit?

C. Ex admixtione serosi humoris.

D. Quomodo vitellina?

C. Ex flaua aut pallida fit, dum caloris non naturalis acrimonia vehementiùs coquitur ac quasi torretur, sic vt inde ex tenui substantia crassiorem consequatur, & color eius intendatur, crudi lutei ouorum speciem & crassitudine & colore referens. Quomodo nat bilis pallida. Vitellina.

D. Quomodo atra?

C. Ex bile vitellina, per summam exustionem fit bilis atra. Atra.

D. Quotuplex bilis præter naturam gignitur extra venas?

C. Triplex πρασοειδὴς, porracea, porri colorem referens: ἰώδης, æruginosa, ab æruginis similitudine dicta: & ἰσατώδης, colore cæruleo glastum referens. Bilis porracea.

D. Vbi & ex qua gignuntur materia?

C. In ventriculo potissimum proueniunt, & sæpenumero ab esculentis vitiosis & mali succi. Conuerti tur & in has quandóque vitellina in ventriculum effusa, ex loci frigiditate alium colorem contrahens. Æruginosa. Cerulea. Vbi & qua nascantur.

D. Quomodo melancholia præter naturam euadit?

Quomodo melácholia præter naturam euadat.

C. Cùm melancholicus humor caloris ardore quasi in cinerem vertitur; adeo vt acris & mordax euadat, hoc discrimine à melancholico succo dissidens, quo fæx vsta à non vsta. Hæc melancholiæ species, & atra bilis, & atrabilarius humor appellatur.

D. Quomodo pituita præter naturam euadit?

Quomodo pituita præter naturam euadat.

C. Cùm in venis, vel extra venas deprauatur.

D. Quotuplex pituita præter naturam gignitur in venis?

C. Duplex, acida & salsa.

D. Quænam est acida?

Pituita acida.

C. Quæ summè quidem est cruda, & præter primam in ventriculo alterationem, eámque imperfectam, vix vllam aut minimam præterea concoctionem accepit.

D. Quomodo fit salsa?

Quomodo fiat salsa.

C. Salsa redditur ex dulci pituita putrescente, vel ex serosi, tenuísque humoris admixtione.

D. Quotuplex pituita præter naturam gignitur extra venas?

Quæ pituita aquosa.

C. Quadruplex, aquosa, mucosa, vitrea, & gypsea.

D. Quænam est aquosa?

C. Quæ adeo tenuis est, vt aquæ mo... plerúmque è naribus stillet, aut à cerebro in subditas partes effundatur.

D. Quæ mucosa?

Quæ muco similis, calore corporis cogente, ex tenui crassior reddita est. **Mucosa.**

D. Quæ vitrea?

C. Quæ vitro fuso substantia ac calore similis, mucosa crassior. **Vitrea.**

D. Quæ gypsea?

C. Quæ gypsi instar crassa est, qualis quandóque in articulis cernitur, in quibus post præcedentes destillationes tenuioribus materiæ partibus resolutis, tandem in extremam tophi duritiem euadit. **Gypsea.**

DE SPIRITIBVS.

D. Missis humoribus, ad spiritus pergamus. Cur ἐνορμῶντα, i. impellentia dicuntur ab Hippocrate?

C. Quòd eorum ministerio corporea moles animantium moueatur, necnon & sentiat, viuat & subsistat: imò eorum interuentu crassa animantium corpora, animæ imperio subiiciantur, ac sub ditionem potestatém- **Cur spiritus impellentium nomine designentur.**

que suam redigantur: quin & substantia corporea, cum incorporea iis intermediis cohæreat: Quo fit vt corporis & animæ tanquam vinculum habeantur.

D. Quid est spiritus?

Quid & quotuplex sit spiritus.

C. Spiritus, aëria, tenuis & pellucida est substantia, caloris natiui sedes, facultatum vehiculum, primúmque obeundarum functionum instrumentum.

D. Quotuplex est spiritus?

C. Duplex, vnus insitus, alter influens.

D. Quínam est insitus?

Qui insitus.

C. Qui singulis partibus similaribus à principiis generationis insertus est. Vnde Græcis ἔμφυτος dicitur. Cuius fundamentum est humidum radicale.

D. Quínam influens?

Qui influens.

C. Qui aliunde manat, insitúmque fouet ac conseruat, facultatem & calorem vbique deferens, ad functiones obeundas.

D. Quotuplex est influens?

Quotuplex sit spiritus influens.

C. Triplex, animalis, vitalis & naturalis.

D. Quínam est spiritus animalis?

C. Qui ex spiritu vitali, atque ex aëre inspirato, in cerebri ventriculis gignitur, vnde per neruos motiuos ac sensitiuos distributus, omnes corporis partes motus ac sensus compotes reddit. Qui animalis.

D. Quínam est vitalis?

C. Qui in sinistro cordis sinu, ex spiritu naturali, & ex aëre in pulmonibus præparato gignitur; vnde per arterias singulis partibus distribuitur, ad insitum spiritum recreandum, natiuum caloré roborandum, viresque instaurandas. Qui vitalis.

D. Quínam naturalis?

C. Qui à iecore proficiscens, per venas cum sanguine, in extremas corporis partes diffunditur, generationis, nutritionis ac incrementi auctor. Qui naturalis.

D. Spiritus influẽtis trichotomia, quam luculenter enarrasti, licet à tota ferè Medicorũm schola Galenum secuta celebretur, vt quæ sit facultatum & functionum, necnon & organicarum partium trichotomiæ analoga: vitiosa nihilominus videtur, quòd legitima diuisio in partes inter se dis- Obiectio.

sentaneas fieri debeat: vocabula verò quibus distinguuntur spiritus influentes, vt & facultates & functiones, atque organicæ partes, inter se non dissentiant, sed consentiant: quia omne animale, verè dici potest vitale: & omne vitale, naturale.

Responsio. C. Galenus passim nos monet, ne simus de nominibus solliciti, modò res intelligatur. Sed cùm specierum generi subiectarum nomina sunt homonyma, singularum definitiones adeò rem explicãt, vt nulla relinquiatur amphibolia. Clarioris doctrinæ gratia, trichotomia spiritus in duas dichotomias tibi vsitatas diducatur, ac cuiúsque speciei definitio subiiciatur, hoc modo: Spiritus influens est animalis, vel vegetalis. Animalis est qui in cerebro genitus, per neruos diffusus, sentiendi & mouendi facultatem singulis partibus tribuit. Vegetalis qui nec sensui, nec motui edendo, dicatus est: Sed vitalis vel naturalis est. Vitalis est halitus tenuis in corde genitus, qui per arterias transmittitur ad vitam singulis membris impertiendam. Naturalis est vapor tenuis in iecore genitus ex sanguine, & cum

reo per venas in totum corpus delatus, ad promouendas actiones naturales. Sic specierum differentia magis apparebit. Si pariter facultatum, functionum, & partium organicarum trichotomia, in duas dichotomias dirimatur, opposita singularum repugnantia, clariùs elucesceт.

DE FACVLTATIBVS.

D. Hactenus de humani corporis partibus solidis & fluidis disseruimus: de animæ facultatibus ac functionibus disputatio superest. Cedo animæ definitionem?

C. Anima est forma corporis viuentis. Ab Aristotele definitur entelechia corporis naturalis, organici, potestate vitam habentis. Quid anima.

D. Quid appellas ἐντελέχειαν?

C. Quidam τὸ ἐντελὲς ἔχειν, perfectionis adeptionem; alij ἐνέργειαν, id est actum interpretantur. At posterior interpretatio mihi non arridet: quia anima non est actus, sed ipsius actus efficiens causa, *quemadmodum vita ipsa est actus animæ*, non anima.

D. Quoniam in hominis contemplatione versamur, quid sit anima humana aperias velim.

Quid anima humana. C. Est quæ vegetalem, sensualem & intellectualem vitam largitur. Ab Aristotele definitur principium viuendi, sentiendi & intelligendi. Ab aliis causa prima omnium functionũ nostri corporis, ad quas obeundas multiplici facultate prædita est.

D. Quid est facultas?

Quid facultas. C. Est insita animæ vis, qua ad proferendas actiones ipsa vtitur. A Galeno definitur effectrix actionũ causa. Cur sic appellata. Ideóque facultas est appellata, quòd quæ facit, facere possit. Sic facultatis nomine id intelligitur, quod agendi potestatem habet.

D. Cur Galenus actionum causam, ad temperamentum refert?

Cur actionum causa ad temperiem referatur. C. Quia temperies, causa est sine qua non profert anima suas actiones. Idcircò Galenus libro de præsagitione ex pulsibus, facultatis essentia, inquit, in singularum partium commodo temperamento posita est. Nam tum demùm suum quæque munus obit strenuè, vbi est temperatissima: contra malè fungitur, si intemperata.

D. Ergo facultas non solùm ab anima, sed etiam à temperamẽto manat, nisi putes

animam ipſam temperiem eſſe.

C. Ego animam, temperiem eſſe non puto, quia anima eſt ſubſtantia, temperies verò accidens: ſed facultatem ab vtraque dimanare cenſeo: ab anima quidem, tanquam à forma eſſentiali, quæ eſt prima & præcipua cauſa omnium actionum quas quotidie obimus: à temperie verò, tanquam à forma accidentali, quæ cauſa eſt adiuuans, ſine cuius miniſterio animæ actiones proferri nequeunt. Cur anima non ſit temperies. Vnde facultas dimanet.

D. Quotuplex eſt facultas?

C. Etſi animæ eſſentia ſimplex, quia vnius corporis vnica eſt forma; facultas tamen triplex, à Medicis ſtatuitur, animalis, vitalis, & naturalis. Quotuplex ſit facultas.

D. Natura corporis architectrix, in ipſo ſtatim ſtructuræ noſtræ initio, ad totius conſeruationem, ſingulis partibus facultates quaſdam indidit. Ergo tot ſunt animæ facultates, quot corporis partes. Obiectio.

C. Corporis partes ſuis quæque ſunt facultatibus inſignitæ, quò totũ integrum ſeruent iis actionibus quibus carere nequit; adeo vt par ſit facultatum, & partium organicarum numerus; ſed vt partes, ſic & faculta- Solutio.

tes singulę, tribus summis animalium, vitalium & naturalium generibus, continentur.

D. Quanam est facultas animalis?

Quæ & quotuplex sit facultas animalis. C. Est quæ solis animalibus obtigit. Vnde & illi nomen inditum.

D. *Quotuplex est facultas animalis?*

C. Triplex, princeps, sentiens & mouens: prima ἡγεμονικὴ, altera αἰσθητικὴ, postrema κινητικὴ, Græcis dicitur.

D. Quenam est princeps facultas?

C. Quæ in solo cerebro, non in aliis organis sedem habet.

D. Quotuplex est?

Quæ & quotuplex sit princeps facultas. C. Triplex à Galeno statuitur, imaginatrix, ratiocinatrix & memoratrix. Sed prima & postrema ad interiorem sensum referuntur ab iis, quibus solus intellectus homini proprius, Principis nomine dignus videtur.

D. Quenam est imaginatrix?

Quæ sit imaginatrix. C. Est quæ obiectas rerum imagines, à sensibus acceptas concipit & apprehendit: ex quibus permistis & confusis plerúmque multa fingendo inducit atque profert, quæ sub sensum nō venerāt. φανταστικὴ, Græcis dicitur.

D. Quanam

D. Quanam est ratiocinatrix?

C. Mens est, qua præditus homo vnus cæteris antecellit animantibus, cuius opera res incorporeas, formásque ab omni materia abstractas cognoscit, hinc vniuersales rerum notiones ex aliis alias eliciens. Græcis modò λογιστικὴ, modo διανοητικὴ, interdum νοῦς, nonnunquam γνώμη, id est intellectus appellatur. Quæ ratiocinatrix.

D. Quanam est memoratrix?

C. Est quæ forma & imagines rerum, à phantasia repræsentatas, & sub rationis iudiciū reuocatas excipit, recondit, & in se velut consignat. Græcis μνημονευτικὴ, id est recordatrix, dicitur. Quæ memoratrix.

D. Vbi principes animæ facultates locantur?

C. Arabes imaginatricem in anterioribus cerebri ventriculis, ratiocinatricem in medio, recordatricem in posteriore collocant: Sed Græci locis disclusas esse negant, verùm per omnes sinus, & per totam cerebri substantiam diffusas putant. Principum facultatum sedes.

D. Quid de hac controuersia sentis?

Arabum opinio improbatur.

G. Arabum opinio nequaquam mihi arridet, licet probabilibus videatur rationibus ſtabilita. Auicenna & Auerroës, principes facultates ſedibus diſtinctas eſſe, ex eo demonſtrare conantur, quod earum altera nonnumquam lædatur, reliquis illæſis: nec ſit credibile in eadem ſubiecti parte diſſimiles facultates & functiones exiſtere.

Ego quidem fateor vnam interdum offendi facultatem, cōſtantibus aliis. Extat enim apud Galenum elegans hiſtoria Theophili, qui tibicines arbitrabatur eſſe in angulo cubiculi, & aſſiduè clamitans iubebat eos inde expelli, cùm alioqui prudenter diſſereret, in quo ſola imaginatio lædebatur. Extat & hiſtoria phrenetici, qui obſeratis int⁹ ianuis, ſingula vaſa, quę propriis nominibus deſignabat, ad feneſtras deferebat, prætereuntes ad vnum interrogās iuberéntne ea proiicere; in quo ſola ratiocinatio lædebatur. Extat & apud Thucydidem hiſtoria multorum, qui ſæuiente per Græciam peſte, ita omnium rerum fuerant obliti, vt nec familiares, nec

parentes agnoſcerent; in quibus ſola memoria lædebatur. Sed id ex varia corporis cōſtitutione prouenit. Anima quippe vna & ſimplex, pro varietate temperamenti & conformationis inſtrumentorum, non vbique ſimiliter operatur, nec pares in omnibus vires habet. Alios naturâ animaduertimus imaginatione & ingenio valere, quibus infirma eſt memoria atque ratiocinatio: alios memoria præſtare, quibus nihil aut minimum ſit rationis ac iudicii: alios ſolido ac bene naturali eſſe iudicio, quorum non æquè prompta ſit imaginatio, aut firma memoria: adeo vt nihil mirum ſi quibuſdam delirio lædatur imaginatio, incolumi remanente memoria, necnon & ratiocinatione: vel contra, quia robuſtior facultas iniuriis externis potentiùs reſiſtit, imbecillior faciliùs ſuccumbit. Quemadmodum igitur in vna & eadem particula diuerſæ ſunt facultates naturales, attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, quarum vna ſępè læditur, aliis illæſis, nec propterea ſedibus diſcluſas eſſe dixerit vſquam Medicus, ſic

de principibus facultatibus cum Galeno statuendum esse sentio.

Arabum ratio altera. Vrgent nihilominus Arabes, imaginationem in anterioribus ventriculis, memoriam in posteriore, ratiocinationem in medio sitam ex eo inferentes, quod anterior cerebri pars mollior, & ad recipiendas imagines aptior, postrema durior & ad notiones diutius retinendas conuenientior, media verò mediocris sit. At con-

Responsio. sequentiam nego: sed in anteriore cerebri parte promptiùs, in posteriore perfectiùs principes functiones omnes obiri concedo, quod illa mollior, hæc durior sit: quemadmodum si vniuersa cerebri substantia paulò siccior existat, aptiùs memorari animum, si humidior meliùs imaginari, si temperatior rectiùs ratiocinari iudico.

Obiectio. Obijciunt insuper Arabum sectatores, vel ipso Galeni testimonio sinus aliis alios esse nobiliores, quia nobiliorum facultatum sunt sedes. Sed posteriorem ventriculum cæteris præ-

Solutio. fert Galenus, non quòd in eo meminerit tantùm, in medio ratiocinetur, in prioribus imaginetur animus, sed

quod in anterioribus imperfectiùs imaginetur, ratiocinetur, meminerit, perfectiùs in medio, perfectissimè in vltimo, quia perficitur illic spiritus animalis.

Addunt Galenum læsa imaginatione topica remedia syncipiti admouere, quod in eo phantasiæ sit sedes. Sed non vident Galenum idem præstare in omnibus penè cerebri affectibus, vt caro, apoplexia, phrenitide, melancholia: non quod diuersæ sint facultatum sedes, sed vt vis medicamenti ad interiores cerebri partes celeriùs permeet, ob cranij tenuitatem & suturæ coronalis raritatem. Obiectio altera. Responsio.

D. Perdoctè profectò falsam Arabum opinionem de principum facultatum sede refutasti, pergamus ad facultates ministrantes.

Quænam est facultas sentiens?

C. Est quæ ex cerebro per neruos sensum in vniuersum corpus transmittit. Quæ sit facultas sentiens.

D. Quid est sensus?

C. Hic μετωνυμικῶς pro sensione vsurpatur. Sed sensus propriè sumptus, est facultas ab animali spiritu diffusa

organo sensorio intercedente, quo sensibilia percipiuntur.

D. Quotuplex est sensus?

C. Duplex, interior & exterior.

D. Quinam est sensus interior?

C. Est qui singulorum sensuum externorum obiecta discernit.

Quid sensus interior. Sensus communis appellari solet, quod ei sensus externi omnes circumiecti proximè assideant, in quorum organa neruorum propagines disperse sunt, quibus anima vires suas effundit. Primarius ille sensus tanquam rex atque iudex sedem stabilem habet in cerebri corpore, è quo velut è suggesto rerum omnium imagines à ministris & nuntiis sensibus extrinsecus allatas, & ante se positas contemplatur, omnésque sensuum actiones obseruat. Galenus sensum communem sub imaginatrice comprehendit.

D. Quot sunt sensus exteriores?

Quot sint sensus exteriores. C. Quinque, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus.

D. Quid est visus?

Quid visus. C. Est sensus in oculis situs, qui colores per medium reipsa conspicuum excipit.

D. Quid auditus?

C. Est sensus in auribus situs, sonos percipiens. Quid auditus.

D. Quid odoratus?

C. Est sensus, qui per narium ductus odores percipit. Quid odoratus.

D. Quid gustus?

C. Est sensus linguæ insidens, qui rerum sapores internoscit. Quid gustus.

D. Quid tactus?

C. Est sensus, qui nullo proprio organo conclusus, sed toto corpore æquabiliter, neruorum ope diffusus, omnes qualitates tractabiles, earúmque differentias animaduertit, vt sunt calor, frigiditas, humiditas, siccitas, durities, mollities, asperitas, læuitas. Quid tactus.

D. Quænam est facultas mouens?

C. Est quæ voluntatis imperio, motum toti corpori, musculorum adminiculo, præbet. Quæ sit facultas mouens.

D. Adhuc de facultate animali. Quænam est facultas vitalis?

C. Est quæ vitalem in corde spiritum gignit, & inde per arterias quoquouersum diffundit, ad vitæ conseruationem, vnde & illi nomen est impositum. Quæ sit facultas vitalis.

D. Quid est vita?

Quid vita. Quid mors. C. Vita est caloris natiui in humore primigenio micantis permansio: vt mors eiusdem caloris vitalis est extinctio. Ab Aristotele vita modò definitur mansio animæ vegetantis in corpore, modo ἐνέργεια corporis animati: Ab aliis verò modò animæ cum corpore vnio; modò duratio corporis animati vsque ad terminum quo desinit esse: quemadmodum mors definitur modò separatio animæ à corpore organico, modò corruptio substantialis corporis animati.

D. *Quot facultates vitali inseruiunt?*

Quomodo facultas respirandi, & pulsifica fiat vitalis ministræ. C. Duæ, respirans atque pulsans, quia vitalis spiritus respirationis & pulsus opera procreatur & distribuitur. Vt autem respiratio, inspiratione, & expiratione constat, sic & pulsus diastole & systole perficitur.

D. Nónne facultas irascibilis à Philosophis in corde collocata, ad vitalem pertinet?

Cur facultas irascibilis & concupiscibilis ad vitalem sint referendæ. C. Quoniam ad vitam tuendam, non minùs prosequendum bonum, quàm fugiendum malum, non modò θυμοειδὴς, id est irascibilis, animosáue

facultas, qua cor mouetur ad obiectum malum repellendum: verumetiam ἐπιθυμητικὴ cócupiſcibilis, qua cor ad obiectum bonum amplectendum referatur, ad vitalem facultatem referri debet.

D. At Galenus 3. de locis affectis, & lib. de placitis Hipp. & Plat. vt cor iraſcibilis, ſic hepar concupiſcibilis facultatis ſedem aſſignat. Obiectio.

C. Galenus per concupiſcibilem illic non intelligit appetentiam, quæ feratur cum apprehenſione in obiectum, ſed appetitum naturalem ad alimentum, qui licet ſingulis partibus inſitus ſit, iecori tamen hæmatoſeos officinæ præcipuè tribuitur. Reſponſio.

D. Quænam eſt facultas naturalis?

C. Eſt quę ſanguinem in iecore gignit, & inde per venas quoquouerſum diffundit ad corporis nutritionem, accretionem ac procreationem. Quæ & quotuplex ſit facultas naturalis.

D. Quotuplex eſt?

C. Triplex, altrix, auctrix, & generatrix.

D. Quænam eſt facultas altrix?

C. Altrix quæ θρεπτικὴ Gręcis dicitur, eſt quæ aſſumptum alimentum in Quæ ſit facultas altrix.

corporis substantiam conuertit, eique assimilat. Restaurat hæc, quod assidua corporis resolutione deperit, & ad vsque extremum vitę diem permanet.

D. Quot facultates altrici subseruiunt?

Quæ facultates altricis sint ministræ.

C. Quatuor, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.

D. Quænam est attractrix?

Quæ sit facultas attractrix.

C. Est quæ conuenientem cuique particulę succum appetit & attrahit.

D. Quænam est retentrix?

Quæ retentrix.

C. Est quæ attractum succum eo vsque retinet, donec alteratrix eum in naturam partis quæ nutritur, mutauerit.

D. Quænam est concoctrix?

Quæ cõcoctrix.

C. Est quæ id quod attractum, & aliquandiu retentum est, alterat, immutat, concoquit, & parti quæ alitur, apponit, agglutinat & assimilat. Gręcis ἀλλοιωτική, id est alteratrix dicitur.

D. Quænam est expultrix?

Quę expultrix.

C. Est quæ id quod à corporis nutritione alienum, & superuacaneum est, segregat & expellit.

D. Quænam est facultas auctrix?

C. Est quæ corpus ad præstitutum quoddam à natura tempus, quoquouersum porrigit ac profert. Quæ sit facultas auctrix.

D. *Quænam est facultas generatrix?*

C. Est quę sibi simile quid procreat. Ea autem non simplex, sed ex duabus aliis componitur facultatibus. Quę generatrix.

D. *Quænam illa sunt?*

C. Immutatrix & formatrix.

D. *Quænam est facultas immutatrix?*

C. Est quæ primam substantiam, ex qua generatio fit, commutat, & in idoneam conuenientémque ipsius quæ generatur materiam conuertit. Aliàs alteratrix dicitur. Quę immutatrix.

D. *Quænam est formatrix?*

C. Est quæ formam toti corpori, & cuíque parti congruam effingit. Quę formatrix.

D. *Hactenus de facultate animali, vitali & naturali. Estne mutuus omnium consensus?*

C. Mutua conspiratione vsque eo inter se omnes connexæ sunt (inquit Fernelius) vt vnaquæque reliquarum ope consistat. Vitalis cæteras perficit, & ad agendum impellit, & ab iisdem mutuis iuuatur officiis. Naturalis enim pabulum ei suggerit, animalis Trium facultatum cōsensus.

autem pectus pulmonésque agitans, tum alimenti tum refrigerationis eius est effectrix.

Animali porro reliquæ duæ materiam subiiciunt: naturalem autem vitalis per arterias illapsa tuetur atque auget, quæ ipsa animali perpetuo eget.

D. Quis ex mutuo consensu, facultatum ordo statuitur?

Ordo procreationis, dignitatis, necessitatis.

C. Procreatione quidem prima est naturalis, deinde vitalis, postrema animalis.

Nobilitate & dignitate prima & præstantissima est animalis, ab hac vitalis, tertia naturalis. In actionum autem & vitæ necessitate omnium prima vitalis, proxima naturalis, vltima animalis.

DE ACTIONIBVS.

D. Facultatem actio sequitur. Quid est actio?

Quid & quotuplex sit actio.

C. Est motus à facultate procedēs: Græcis ἐνέργεια dicitur. Latini functionem, quandóque & operationem appellant.

D. Quotuplex est functio?

C. Vt facultas sic & functio triplex

animalis, vitalis, & naturalis.

D. At Galenus lib. de Sympt. diff. duplicem duntaxat actionem constituit, animalem & naturalem: τῶν ἐνεργειῶν (inquit) δύο εἰσὶν αἱ πρῶται διαφοραί. αἱ μὲν γὰρ ψυχῆς, αἱ δὲ φύσεως εἰσι. καὶ καλοῦνται διὰ τοῦτο ψυχικαὶ μὲν αἱ πρότεραι, φυσικαὶ δὲ αἱ δεύτεραι. *Actionum duæ sunt primæ differentiæ. Aliæ enim animæ, aliæ verò naturæ: proinde priores animales, secundæ verò naturales appellantur.*

C. Respondeo Galenum illic sub actionibus naturalibus vitales comprehendere.

D. Quo differunt actiones intellectuales à sensibilibus?

C. Eo potissimum discrimine seiunguntur, quod sensibiles suum quæque organum habeant, quo eduntur, visio oculum, auditio aurem, actio odoratus narem, gustus linguam, tactus cutim: intellectuales verò nullius instrumenti corporei opera indigeant, quia corporis nequaquam participes sunt. Intellectualiũ & sensibilium actionũ discrimen.

D. Quasi verò cerebrum non sit functionum mentis organum, cuius temperies ad intellectiones, cogitationes, & ratioci-

nationes ritè obeundas adeo requiritur, vt ab eâ labefactatâ delirationes obtingant.

C. Concedo cerebrum imaginationis organum esse, quod corporearum rerum imagines contineat, sed non mentis, nisi quatenus absque sensibilibus imaginibus in corpore operari nequit.

D. Quo discrepant actiones voluntariæ à naturalibus?

Actionũ voluntariarum & naturalium differentia.

C. Eo discrepant, quod illæ à voluntate nostra pendeant, ac musculorum adminiculo edantur: hæ verò extra omnem voluntatis potestatem, sua spõte, id est solo naturæ instinctu, fibrarum ope fiant.

D. Quotuplices sunt actiones voluntariæ?

Quotuplices sint actiones voluntariæ? Quæ omnino liberæ sint.

C. Duplices. Aliæ siquidem omninò liberæ sunt, aliæ corporis affectibus subditæ.

D. Quænam sunt omnino liberæ?

C. Quæ perpetuò absque impedimento à nobis, quoties & quando volumus, fiunt, vt locutio & progressio.

D. Quænam affectibus corporis subditæ?

C. Quæ non perpetuò, sed in tempore quodam, vrgentibus corporis affectibus fiunt, vt mictio & egestio. Quæ affectibus corporis subditæ.

D. Quomodo distinguuntur functiones vitales?

C. Actionum vitalium, vna princeps, spiritus vitalis elaboratio: duæ ministræ, respiratio & pulsus. Sub actionibus pulsatilibus continentur & cordis motus, à facultate concupiscibili & irascibili prodeuntes; ab illa quidem, lætitia, spes, amor; in quibus cor dilatatur, vt obiectum bonũ amplectatur: ab hac verò, tristitia, metus, odium, in quibus cor constringitur, premitur, angitur, obiectum malum fugiens. Functionum vitalium distinctio. Functionũ pulsabilium distinctio.

D. Estne respiratio animalis, an naturalis actio?

C. Est actio quidem voluntaria, quia fit musculorum thoracem distendentium & contrahentium ministerio, sed non omnino libera, quia vrgente necessitate editur. Alii respirationem arbitrantur mixtam esse actionem; partim animalem, ratione organorum; partim naturalem, quòd à cordis motu, qui naturalis est, de- An respiratio animalis sit, vel naturalis actio.

pendeat; quódque nobis dormientibus & vigilantibus obtingat, cùm actiones animales per somnum cessent omnes.

D. Estne pulsus, animalis, an naturalis motus?

An pulsus sit animalis, vel naturalis motus.

C. Pulsus, nec à voluntate pendet, nec à natura simpliciter, sed à facultate animæ vitali, quæ naturalis est. Non à voluntate, quia hunc motum nec cohibere, nec excitare possumus pro voluntatis imperio. Non à natura simpliciter, nihil enim mouet in corpore animato, nisi anima, alioqui plures essent formæ. Anima ipsa animali natura est, quæ ad vnionem cum corpore conseruandam, mouet cor, coquit in ventriculo, & in iecore, & reliqua vitę munia exequitur. Est ergo pulsus, naturalis cordis motus, à naturali facultate animæ, quæ voluntaria non est, sed vitalis, profectus.

D. Quotuplices à naturali facultate proficiscuntur actiones?

Quotuplices actiones naturales.

C. Triplices, nutritio, auctio, generatio.

D. Quid est nutritio?

C. Est adiecti alimenti in corporis

substantiam conuersio.

D. Quomodo fit nutritio?

C. Succus, qui omnem corporis particulam nutriturus est, in exilibus venis primùm apponitur, mox in totam eius substantiam roris in star dispergitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur, adeo vt nutritio sit perfecta assimilatio: vt autem assimilatio fiat, agglutinatio præcedat oportet, & agglutinationem irroratio, & irrorationem appositio. Quid nutritio. Quomodo fiat.

D. Quænam sunt nutritionis ministræ?

C. Attractio, retentio, concoctio, & expulsio.

D. Quomodo fiunt hæ functiones?

C. Omnes, dempta concoctione, fibrarum ope perficiuntur, attractio rectarum, retentio obliquarum, expulsio transuersarum. Vt enim in musculis fibræ nutu nostro & arbitrio contractæ, & ad suam originem quasi reductæ, motum efficiunt: ita & naturalibus instrumentis accidit, rectis fibris solius naturæ instinctu contractis alimentum attrahi; transuersis autem astrictis subditam capacitatem in angustiam adduci, & quicquid in Quomodo fiat attractio, retentio & expulsio.

ea continetur expelli. Quia verò obliquæ fibræ intentæ, nec breuiorem nec angustiorem partem reddunt, seruata quadam naturali æquabilitate & constantia, omnia planè continent, nihílque vel attrahunt vel expellunt.

D. *Quomodo fit concoctio?*

Quomodo fiat concoctio.

C. Innato dumtaxat nobis calore.

D. *Quotuplex est concoctio?*

Quotuplex. sit.

C. Triplex, prima in ventriculo, secunda in iecore, tertia in singulis partibus fit.

D. *Quid est anctio?*

Quid auctio.

C. Est solidarum corporis partium ampliatio in longum, latum, & profundum.

D. *Quid est generatio?*

Quid generatio.

Est nouæ substātię productio. Quapropter simplex naturæ actio non est, sed ex immutatione, formationéque composita. Duabus hisce functionibus, omnis generatio absoluitur. Dum enim substantia quæuis in aliam trāsmutatur, propriæ essentiæ mutationē subit: veluti quando ex semine genitali & sanguine, os, aut neruus, vel alia pars generatur: simul verò & in conuenientem naturę figuram effingitur.

Quomodo fiat. Quando fiat. Quando praecipitatū obtineat

Principatum autem hæc præcipuè obtinet, quo tempore fœtus in vtero geſtatur.

DE ADMINISTRATIONE Anatomica.

D. Hucuſque de naturali hominis ſynthesi diſputauimus: placet nunc paucis de artificioſa Humani corporis analyſi tecum agere: quia nemo corporis totius naturam perfectè cognitam habere poteſt, niſi ſingulas eius partes accuratè reſolutas, penitus perſpectas habuerit. Nónne corporum Humanorum conſectioni operam nauaſti? Tranſitus à ſyntheſi ad analyſin Humani corporis.

C. Ego publicis adminiſtrationibus Anatomicis in crebrioribus Academijs fieri ſolitis diligenter à pluribus annis interfui, vt αὐτοψίᾳ ipſe diſcerem ſingularum partium Anatomen, apprimè Medicis neceſſariam, quam ſola librorum lectione vix quiſquam per ſe conſequi poteſt. Sed duriores corporis partes velut baſes mollioribus ſuffulciendis dicatas, ſuperiectis quibus ſubiiciuntur, tanquā veſtibus indutas & obtectas, accuratè in Skeleto denudatas & detectas perluſtraui, antequam molliores duriori-

bus superstratæ à confectoribus in cadauere demonstrarentur, vt clariùs ambas haberem perspectas.

D. Quomodo in scholis Medicorum administretur Anatome, ad singularum corporis partium notitiam αὐτοψίᾳ consequendam, ex te audire cupio?

Quomodo administretur Anatome in scholis. Cur à ventris sectione pr mordium capiatur.

C. Cadauer præcelso editóque scamno volubili collocatum, medio theatro perflabili, confidente spectatorum corona, in caput, thoracem, ventrem & artus distribuitur. Sed venter Græcis κοιλία, sæpiùs γαστὴρ dictus, imprimis dissecatur, quod putredini præ cæteris sit magis obnoxius. Quod extrinsecus ventrem integit atque abdit, id vniuersum à Græcis ἐπιγάστριον, à Latinis abdomen appellatur. Sed epigastrica regio ea propriè dicitur, quæ supra vmbilicum sita est, cuius partes laterales ὑποχόνδρια nominantur, quia nothis subsunt costis, quæ plerúmque χόνδρια vocantur. Quę περὶ τὸ ὀμφαλὸν, circa vmbilicum regio est, inter epigastricam & hypogastricam media, tres digitos lata, vmbilicalis nomen sibi vendicat, cuius partes laterales, lumbi vocantur, in qui-

Epigastrium. Regio epigastrica.

Omphalica.

bus renes ſiti ſunt, in dextro dexter, in ſiniſtro ſiniſter. Regio ſubter vmbilicum ad pubem exporrecta, peculiariter ὑπογάστειον, aliàs ἦτρον, id eſt venter imus, nuncupatur, cuius partes laterales ilia, Græcè λαγόνες, dicuntur. Hypogaſtrica.

DE VENTRIS ANATOME.

D. *Deſignatis ſedibus externis, ad Anatomicam ventris ἐγχείρησιν accingamus. Quomodo ſecari ſolet in ſcholis epigaſtrium, ad ventrem aperiendum atque detegendum?*

C. Circinata imprimis ſectio circum vmbilicum adhibita nouacula in orbem agitur: recta deinde ſectio ducitur à medio ſterno, ad os vſque pectinis: alia demùm tranſuerſa ab vmbilico protrahitur verſus lumbos. His peractis epigaſtrium in ſuas partes diuiditur, quarum aliæ continent, aliæ continentur. Ambæ deinceps ordine exhibentur. Quomodo epigaſtrium ſecari ſoleat in ſcholis.

D. *Quænam ſunt continentes epigaſtrij partes?* Continétium ventris partium diuiſio

C. Continentes epigaſtrii partes, aliæ ſunt duriores, aliæ molliores. Duriores quæ mollioribus ſuſtinendis, καθάπερ θεμέλια, velut fundaméta, ſub- Duriores abdominis partes.

sternuntur, propriæ sunt vel communes. Propriæ sunt ossa ilium, pubis & coxēdicis, os sacrum, & quinque lumborum vertebræ: Communes verò sunt inferiora thoracis ossa. Vt enim abdomen deorsum & retrorsum propriis ossibus, ita sursum inferioribus thoracis ossibus cohæret & innititur.

Propriæ.

Cōmunes.

Ossa ilium, pubis & coxendicis, in iunioribus linea triplici distincta cernuntur, sed ætate prouectis cartilagine qua fuerant copulata in osseam naturam degeneratâ, vnicum os apparet tripartitum, cuius pars prima omnium latissima & suprema, imum ventrem sustinens, os ilium dicitur, quod strictè cum osse sacro committitur: secunda os pubis, pectinísve vocatur, in quo foramen amplum percipitur: tertia ἰσχίον, os coxendicis nominatur, in quo profunda conspicitur cauitas, quam Græci κοτύλην nuncupant, id est acetabulum femoris capiti excipiendo dicatum.

Os iliū.

Os pubis.

Ischion.

Os sacrum sex constat ossibus, quæ in puerulis facilè separantur: in adultis verò ita coalescunt, vt vnicum ap-

Os sacrum.

pareat os:à cuius extremo, cartilagineum os appensum caudæ instar demittitur, quod Græcè κόκκυξ dicitur, tribus quatuórve cartilaginosis ossiculis compactum. Coccyx.

Lumbi quinque vertebris cõstant, quarum transuersæ apophyses cæteris oblongiores sunt, sed tenuiores costularum vicem gerentes: acutę verò reliquis crassiores, & latiores. Lumborũ vertebræ.

Molliores pariter abdominis partes, quæ durioribus superpositæ prominent, communes sunt, vel propriæ. Communes sunt suprema cuticula, quæ ἐπίδερμις Græcè dicitur, cutis verò quæ δέρμα nuncupatur, & panniculus carnosus, cui adeps obhæret. Propriæ verò sunt musculi epigastrii & peritonæum. Molliores abdominis partes. Cõmunes. Epidermis Cutis. Panniculus carnosus.

Musculi epigastrii decem enumerantur, ex quibus quatuor obliqui, duo externi, perperam Descendentes dicti, qui priores consectori occurrunt, ac duo interni prioribus subditi, ita oppositas obtinentes fibras, vt decussatim instar literæ X sese intersecent: Duo recti fibris rectis præditi, medium situm occupantes, sub qui- Propriç, Musculi epigastrii.

bus venæ duæ, mammaria & epigastrica, circa vmbilicum coëuntes videntur, vnde in mulieribus mammaũ cũ vtero consensus fit: Parui duo pyramidales, rectis succenturiati subter additi: & duo transuersi villis transuersis contexti, peritonæo firmiter hærentes.

Peritonæum. Peritonæum membrana quæ inuolucri modo omnibus regionis imæ visceribus περιτείνεται, id est circumtenditur, vnde illi nomen est inditum. Licet autem tenuissima ea sit, duplex tamen conspicitur, inter cuius duplicaturam quatuor vmbilicalia vasa feruntur, vena embryi nutricula ab vmbilico ad hepatis rimam, arteriæ duæ ad ramos iliacos, & ourachos ad vesicæ fundum, quæ fœtu in lucem edito, tanquam emerita in ligamentum degenerant.

Obiectio. *D. Dilucidè continentes epigastrij partes, cùm duriores, tùm molliores, non modò communes, verumetiã proprias enarrasti; sed antequam ad contentas progrediamur, scire velim cur priores abdominis musculos perperam obliquos descendentes appellari dixeris?*

C. Quia

C. Quia abdominis musculi, quotquot sunt, ab osse pubis oriuntur, & in costas inferiores inseruntur; ac proinde ascendentes sunt omnes, descẽdentes nulli, vt contendit Laurentius cõtra cæteros Anatomicos: quòd musculorum origo firma & stabilis esse debeat, quale est os pubis; non autem mobilis, vt thorax. Responsio.

D. Riolanus Galenicæ doctrinæ defensor, Laurentij sententiam refutat, ac omnes epigastrij musculos nec ab infernis partibus oriri, nec in supernas partes inseri demonstrat. Galenus rectos è xiphoïde cartilagine deorsum in os pubis; alij ex osse pubis sursum in xiphoïdem ferri asserunt. At cæteros cum obliquos, tum transuersos à transuersis lumborum apophysibus emanare, ac ossibus ilium & costis, quibus obiter affiguntur, firmatos, in lineam albam desinere, rationi consentaneum videtur. Cùm enim origo & principium musculi sumatur ab insertione nerui, omnes autem abdominis musculi, exceptis rectis, neruos à costalibus & lumbaribus accipiant, nemini dubium esse potest, quin ab ea parte ortum ducant. Adde quòd omnis musculi insertio semper origini opponatur, vt finis

Musculorum epigastrii origo & insertio.

principio. Sed præfati musculi in lineam albã finiuntur, quæ nihil aliud est quàm eorũ terminus & extremitas, mediũ ventrem in duas partes, dextram & sinistrã discriminans. Ab extremis igitur partibus oppositis, nimirum lumbis, eos oriri fatendum est. Nam cùm æquali abdominis cõpressioni inseruiant, faciliùs & cõmodiùs ventrẽ inferiorem æqualiter comprimunt, versus suum principium collecti, & adiuti diaphragmate, quod deorsum expellit. Sed de musculis epigastrij abundè satis disputatum est: Anatomicam deinceps partium in epigastrio contentarum demonstrationem perstringe.

Partes contẽtę. Epiploon. C. Aperto ventre omentum imprimis conspicitur, ἐπίπλοον à Græcis appellatum, quia ventriculi fundo & intestinis ἐπιπλεῖ, id est, innatat.

Intestina. Quo exempto intestina in apertum se dant, tùm tenuia, duodenum, ieiunum, ileum; tùm crassa, cæcum, colon, rectũm. His remotis viscera omnia denudata se produnt, adeo vt situs adhæsionésque singulorum perspicuè obseruari queant. Mesenterium. Mesenterium tunc speculari licet, vt μέσον τῶν ἐντέρων, medium intestinorum existat,

eáque geſtet, diſtinguat, dorſo alliget, venáſque meſaraïcas tanquam canales ſuſtentet, chylum ex inteſtinis haurientes, & ad hepar tranſuehentes, necnon & arterias calorem præbentes, & neruos ſenſum impertientes.

Quin & glanduloſa meſenterio inſerta caro, Græcè πάγκρεας appellata, oculis ſubiicitur, quæ loca explet inter ventriculum, hepar & ſplenem vacua, & velut mollem præbet his viſceribus ſedem, fulcítque vaſa meſenterica. Pãcreas.

Ventriculus σιτοδόχος deinceps figura rotunda & oblonga, fiſtulæ Paſtoritiæ inſtar, ſe manifeſtè promit, in quo conſiderantur orificia duo: vnum ſuperius, στόμαχος propriè dictum, quo cibus ingreditur: alterum inferius, πυλωρὸς appellatum, quo chylus egreditur. Ventriculus.

Subinde jecur hæmatoſeos organum, venarúmque principium, in hypochondrio dextro ſitum ante oculos exponitur, ac venæ portæ origo à caua hepatis parte, & venæ cauæ à gibba perſpicuè demonſtratur. Hepar.

E tronco venæ portæ propagines Vena porta.

quatuor obſeruantur, Kyſtica, Gaſtrica, Gaſtrepiploïca, & Inteſtinalis, antequàm in duos inſignes ramos diuidatur, Splenicum, à quo quatuor emergunt venæ, Gaſtrica minor, Epiploïca anterior, & poſterior, Coronaria ſtomachica: & Meſentericum, à quo innumeræ quidem venæ, ſed tres præcipuæ adnotantur, Hæmorrhoïdalis, Cæcalis & Meſenterica ſtrictè ſumpta.

Vena caua aſcẽdens. E trunco autem venæ cauæ aſcendentis, quatuor ſurculi cernuntur, Phrenica, Coronaria, Azygos & Intercoſtalis, priúſquam dirimatur in ramos tùm Subclauios, à quibus Mammaria, Capſularis & Ceruicalis prodeunt, cum Axillari, vnde Pectoralis, Cephalica & Baſilica: tùm Superclauios, à quibus Iugulares duæ, interna, & externa, naſcuntur.

Deſcendens. E trunco venæ cauæ deſcendentis, quinque venæ ſpectantur, Adipoſa, Emulgens, Spermatica, Lumbaris, & Muſcula, priúſquam in duos ramos Iliacos diuidatur, à quibus quatuor venæ ſcaturiunt, Sacra, Hypogaſtrica, Epigaſtrica, & Pudenda, cum Crurali.

Mox ſublatis leniter λόβοις hepatis, folliculus fellis in apertum profertur, duóque χολήδοχοι ductus in illum pertinentes depræhenduntur, vnus ex eo loco vbi vena porta hepar ſubit, quo bilem in ſe allicit: alter ad duodeni terminum, ieiuníque initium proiectus, quo bilis expellitur, ad fæcum deiectionem ſtimulandam. Kyſtis fellis.

Lien figura oblonga & propemodum tetragona, linguæ bubulæ ſpeciem referens, in hypochondrio ſiniſtro ſe offert, quà ventriculum cingit concauus, extrinſecùs intumeſcens: ac venæ intrò ſe inferentes, per quas ex iecoris cauo ſuccus melancholicus quaſi hauſtus allicitur, primo ſtatim oculorum obtutu obuiæ ſunt. Lien.

Renes dein ſeroſum humorem ſanguini permiſtum per emulgentia vaſa proluctantes: & vreteres à caua renum parte orti, & veſicæ lateribus implantati, eum tranſmittentes, accuratè conſiderantur. Renes. Vreteres.

Veſica tandem in hypogaſtrio ſupra rectum inteſtinum in viris, inter vterum autem & os pubis in fœminis ſita videtur. Veſica.

Testes.

Testes insuper & vasa spermatica, præparantia & deferentia sedulò lustrãtur. Si mulier consecatur, modicè sublata vesica, vterus apertè cõmonstratur, in eóque situs, figura, cornua, testes, ceruix, canalis, orificium geminum, atque huic infixæ venæ omnes obseruantur.

Vterus.

DE THORACIS ANATOME.

Transitus à partibus naturalibus ad vitales.

D. Partes naturales ventre conclusas solerter ordine Anatomico recensuisti omnes, eodem vitales in thorace contentas aperi, simul ac continentes enarraueris.

Continentium thoracis partium diuisio.

C. Continentes thoracis partes, aliæ sunt duriores, aliæ molliores.

Duriores thoracis partes. Clauiculæ 2. Dorsi vertebræ 12. Sternum 7. ossibus constãs. Cartilago xiphoides. Costæ 12.

Duriores mollioribus sustinendis & fulciendis dicatæ, sunt clauiculæ duæ, thoracem claudentes, quibus superior situs obtigit: dorsi vertebræ duodecim, posteriorem thoracis partem constituentes; vt anteriorem sternum septem ossibus in transuersum cohęrentibus constans; à cuius extremo dependet cartilago ξιφοειδὴς, ensis effigiem repręsentans: & costæ duodecim vtrúmque latus occupantes, septem legitimæ quæ sterno articulantur, & quinque spuriæ quæ ad ster-

num neutiquam perueniunt.

Molliores verò partes, quæ durioribus supersternuntur, sunt thoracis musculi, quorum alii communes, alii proprii. Molliores thoracis partes.

Communes qui in thorace quidem siti, sed aliis partibus inseruiunt, vt in anteriore thoracis parte Pectoralis brachio, & Serratus minor omoplatæ: in posteriore Trapezius & Rhomboïdes, scapulæ item mouendæ dicati. Suam tamen thoraci præstãt operam, tanquam subsidiarij. Hi quia priores occurrunt, priùs secandi sunt, & obiter demonstrandi, sed inter artuum musculos describendi. Musculi thoracis cõmunes.

Proprii verò thoracem mouentes hîc duntaxat explicandi, perlustratis mammis, quæ detracta cute, in anteriore thoracis parte, omnium primæ se offerunt, Pectoralibus musculis incubantes, in maribus quidem ex cutaneis tantum papillis copioso adipe circumfusis conflatæ: in fœminis verò præter adipem maiori artificio ex multiplicibus glandulis, vasorum myriadibus intertextis constructæ, quibus γαλακτοποιητικὴ δύναμις, i. lactis Proprii. Mãmæ.

generandi facultas insita est.

Motus thoracis necessitas. Thorax est vitalium partium custos. Absque respiratione vita subsistere nequit. Respiratio motu thoracis perficitur. Thoracem igitur moueri oportuit, vt pulmones dilatarentur inspiratione, ac contraherentur expiratione. Dilatatio fit eleuatione, contractio depressione thoracis.

Musculi thoracé inspirando dilatantes. Dilatant attollúntque thoracem musculi quatuor costis superstrati, duo antici, Subclauius & Serratus maior: duo postici, Serratus superior & Serratus inferior: & Intercostales externi vndecim.

Subclauius. Subclauius à clauicula interna exortus obliquè antrorsum in primam costam prope sternum inseritur.

Serratus maior. Serratus maior ex interna omoplatę basi enatus, in septem superiores costas serratim inseritur, vbi cum obliquo epigastrii externo pectinatim, digitatímque committitur.

Serratus superior. Serratus superior sub Rhomboïde situs, ex spinis ceruicis tribus infernis, & prima dorsi exortus, obliquè in tres costas superiores desinit.

Serratus inferior ex inferioribus dorſi, & ſuperioribus lumborum ſpinis pronatus, in tres quatuórve inferiores coſtas digitatim inſeritur. Serratus inferior.

Intercoſtales externi ex coſtæ inferno latere, in ſubditæ coſtæ latus ſupernum obliquè antrorſum feruntur. Intercoſtales externi.

Contrahunt, depriműntque thoracem muſculi duo, coſtis incubantes, Sacrolumbus & Triangularis, atque Intercoſtales interni vndecim. Muſculi thoracē expirando contrahētes.

Sacrolumbus ab oſſe ſacro & ſpinis lumborum ortus, in coſtas ferè omnes protenditur, prope ipſarum radicem, ſingulis duplicem tēdinem tribuens. Sacrolumbus.

Triangularis internam ſterni partem occupans, ab inferiore eius parte ortus, & ſurſum protenſus, cartilagines deorſum adducit, pectúſque anguſtat. Triangularis.

Intercoſtales interni ex coſtę ſuperno latere in ſuppoſitæ latus infernum obliquè antrorſum inſeruntur, externos vbique in X literæ formam interſecantes. Intercoſtales interni.

Has thoracis actiones multum iuuant, tum diaphragma, tum muſculi epigaſtrij.

D. Sed de musculis thoracem mouentibusquidem satis: ad interiorem eius apertionem progredere, vt singula vitalis facultatis organa intus recondita oculis subijcias.

Thoracis apertio. C. Discissis vtrinque extremitatibus costarum cartilaginosis, sublatóque sterno, omnia quæcúmque thoracis capacitas includit, apertè recluduntur:

Diaphragma. Pleura. Primùm quidem Diaphragma è costarum extremis natum, iisque supra subtérque annexum: deinde Pleura, costas succingens membrana, atque Mediastinum à Pleura ortum & Mediastinum. sterno alligatum, totam thoracis cauitatem secundum longitudinem in duas partes, dextram & sinistram dirimens.

Pulmones. Secto Mediastino Pulmones respirationis authores, bubuli pedis figuram repræsentantes, contemplari expedit, vt ij cor amplexentur, omnémque capacitatem impleant.

Pericardium. Cor. Ab his Pericardium suprà aperitur, vt cor Princeps facultatis vitalis organũ, in eo velut capsula inclusum circũfusæ aquæ innatans cõspiciatur,

Duo in corde ventriculi, medio ſepto diſcluſi obſeruantur, dexter ſanguinis elaborationi dicatus, & ſiniſter ſpiritus vitalis generationi deſtinatus. Cordis ventriculi.

In ventriculis item quatuor inſignia vaſa cernuntur, duo in dextro, vena caua cor ingrediens, & vena arterioſa ex eo egrediens: duo pariter in ſiniſtro, arteria magna, Aörta Græcis dicta, vitalem ſpiritũ per totum corpus diffundens, & arteria venoſa aërem à pulmonibus aduehens, ac fuliginem foràs reuehens. Cordis vaſa.

In vaſorum orificiis valuulæ vndecim percipiuntur, ſex in ventriculo dextro, tres in orificio venæ cauæ foris apertæ, intùs clauſæ: & totidem in orificio venæ arterioſæ intù s apertæ, foris clauſæ: quinque verò in ventriculo ſiniſtro, tres in arteriæ aörtæ orificio intùs apertæ, foris clauſæ, duæ autem in arteria venoſa foris apertæ, intùs clauſæ. Valuulæ.

Duæ inſuper in baſi cordis auriculæ animaduertuntur, dextra venæ cauæ oſtio adiacens, & ſiniſtra arteriæ venoſæ. Auriculæ.

Distributio arteriæ magnæ. Magna arteria è sinistro cordis sinu prosiliens, misso ad eius basim & ambitum ramulo, coronæ instar, mox tota quasi in duos prægrandes stipites dirempta conspicitur, quorum truncus maior deorsum secundum lumborum vertebras contorquetur: minor sursum ad clauiculas vsque fertur, vbi in duos insignes ramos Subclauios diuiditur, à quibus quinque vtrinque emergunt arteriæ, Intercostalis superior, Mammaria, Musculosa, Ceruicalis & Carotis, cum Axillari, vnde Thoracica & Basilica interior & exterior prodeunt.

Ascendentis.

Descendentis. Ab arteriæ descendentis trunco propagines nouem emanare videntur, Intercostalis maior, Phrenica, Cæliaca, Mesenterica superior & inferior, renalis, Spermatica, Lumbaris & Musculosa: deinde in duos prægrandes ramos Iliacos diuisa spectatur, à quibus vtrinque propagantur quinque arteriæ, Sacra, Hypogastrica, Vmbilicalis, Epigastrica, & Pudenda, cum Crurali.

DE CAPITIS ANATOME.

Transitus ad partes animales. *D. Demonstratis naturalibus & vi-*

talibus partibus per Anatomicam administrationem, partes animales in capite contentæ pariter indicandæ supersunt, vbi dilucidè continentes exposueris?

C. Caput tribus constituitur partibus, quarum suprema capillis tecta, cerebrum complectés, totius nomen retinet: media, facies nobis, πρόσωπον Græcis dicitur: infima τράχηλος καὶ αὐχὴν à Græcis, collum & ceruix à nobis nuncupatur. Anterior capillati Capitis pars, Græcis βρέγμα, nobis synciput appellatur, posterior ἰνίον, occiput, laterales partes κρόταφοι, tempora vocantur.

Caput capillatum. Facies. Collum. Synciput. Occiput. Tempora.

Continentes capitis partes, aliæ sunt duriores, aliæ molliores.

Continentium capitis partium diuisio.

Duriores mollioribus sustentandis & stabiliendis dicatæ, sunt ossa caluariæ, quam Græci κρανίον vocant, quod sit, veluti κράνος, id est galea, cerebrũ vndequáque obuallans.

Duriores capitis partes. Caluariæ ossa.

Cranii ossa quædam communia sunt, alia propria.

Propria sunt quinque, Syncipitis duo, Græcis βρέγματα, parietalia vulgò dicta; occipitis vnum, quod ἰνίον Græci vocant; temporum duo, squammæ,

Propria 5. Syncipitis 2. Occipitis 1. Temporum 2.

similia, ideò λεπιδοειδῆ Græcè, squammosa Latinè nuncupata, in quibus tres conspiciuntur apophyses: vna ἀπὸ μάστου, i. papillæ, mammarum similitudine Mastoïdes appellata: altera à similitudine στύλου, i. columnæ, Styloïdes dicta: tertia Zygomatis portioné constituens, Zygomatica inde nuncupata.

Cõmunia 5. Communia verò sunt tria, os frontis anteriorem cranii, & superiorem faciei partem constituens; quod plerúmque vnum & integrum est, aliquando in medio diuisum cernitur, os Coronale vulgò dicitur.

Os Coronale. Sphenoïdes. Sphenoïdes sic dictum ἀπὸ τοῦ σφηνός, quod cunei modo, cranii & faciei ossibus inseratur. Basilare vulgò vocatur, quod caluarię basim constituat. Apophyses habet internas κλινοειδεῖς appellatas, quòd inferioré lecti partem referant; & externas πτερυγώδεις dictas, quòd vespertilionum πτέρυγα, id est alam, repręsentent.

Ethmoïdes. Ethmoïdes in media frontis basi positum, & ad summam nasi radicem intus fixum, sic dictum quod cribri modo perforatum sit.

Cranii ossa suturis inuicem conne-ctuntur. Suturæ in cranio quinque sunt, tres veræ: prima Coronalis dicta, quòd ea capitis parte coronæ gestari soleant: secunda in capitis longitudinem porrecta, Sagittalis nomé sortita: tertia à figura literæ Λ, Lambdoïdes appellata: & duæ mendosæ, quæ squammosæ nuncupantur. Suturæ cranij.

Adhuc duriores capitis partes fuerunt, molliores supersunt.

Molliores capitis partes quæ durioribus adhærent: aliæ sunt communes, vt cutis capillata & panniculus carnosus: aliæ propriæ, vt pericraniũ, membrana cranium extrinsecùs tegens, & Meninges cerebrum proximè ambientes; crassa & tenuis, pluribus venis & arteriis ad suam & cerebri nutritionem vitámque contextæ, quas Arabes vocant matres, quasi ab his cæteræ omnes membranæ propagarentur. Crassa meninx à superno cranio tantum distat, quantum cerebro dilatando & constringendo satis est. Alligatur tamen cranio villorum interiectu, qui per suturas egredientes & expansi pericranium creant,

Molliores capitis partes. Communes. Cutis capillata. Panniculus carnosus. Propriæ. Pericranion. Meninges. Crassa.

Tenuis. Tenuis meninx proprium est & immediatum cerebri velamen, non exteriorem modò eius superficiem tegẽs, sed in penitiores eius recessus peruadens.

D. A continentibus capitis partibus, ad contentas transeundum est. Quænam sunt partes contentæ?

Partes contentæ. C. Cerebrum, cerebellum, huic cõtinua medulla spinalis, nerui inde propagati, & aliæ illis inclusæ partes, quas ipsa dissectio patefacit.

Apertio cranii. Ad cerebrum demonstrandum & quicquid in eo notatu dignum perlustrãdum, orbiculatim cranium serrâ circunciditur, mox sensim extirpatur, vt qui è meningibus per suturas in pericranion emanant villi spectentur.

Duplex cranii lamina. Diploë. Exempto cranii operculo, in marginibus duplex ossis lamina consideratur & interiecta diploë rubicunda, id est fungosa substantia sanguine conspersa, è venis capillaribus inter duplex tabulatum exiliente.

Cerebrum. Corpus caluariæ subiectum duplex conspicitur, anterius quod Græcis ἐγκέφαλος, nobis cerebrum propriè di-

citur, & posterius quod παρεγκέφαλις, id est cerebellum, appellatur. Cerebellum.

Cerebrum autem in dexteram & sinistram partem septo proprio discretum animaduertitur. Visu percipiuntur ambæ meninges iunctæ, inter priores cerebri partes demersæ, cerebrum à cerebello disterminantes.

Extima cerebri superficies, mollis, subcineritia, multis gyris & vermiũ multiformi velut implexu striata, pluribúsque venulis & arteriolis conspersa quidem videtur: sed superiore illa medullæ portione duorum triúmve digitorum crassitie minutatim resecatâ, statim se offert altera cerebri pars durior, candidior, leuis & vniformis, venulis & arteriolis nullis obsita, quam veteres Græci τυλλῶδες σῶμα, id est callosum corpus, ob duritiem appellarunt. Cuius interuentu quæ priùs discretæ erant cerebri partes dextra & læua continuantur. Mox callosa hæc substantia in medio ferè cerebro geminis ventriculis dextro & sinistro in semicirculi formam excauata cernitur. Hi sunt priores cerebri sinus, omnium amplissimi, septo lu-

Exterior cerebri superficies.

Callosũ corpus.

priores cerebri ventriculi.

cido discreti, quos anteriores vocat Galenus, superiores appellare mauult Laurentius.

His substernitur tertius in posteriorem partem vergens; & sub tertio quartus, ad cerebelli pręcipitium, versus spinalis medullæ initia. Omnes certis ductibus inter se coniuncti sunt, quibus animalis spiritus ab vno in alium commeare possit.

Plexus choroïdes. In prioribus ventriculis conspicitur plexus choroïdes, tenuis meningis epiphysi, venis arteriísque inuicem variè implexis, in retis formam contextus, in quo spiritus animalis præparatur.

Priorum ventriculorum ductus. Duo insuper ductus obseruantur; vnus ad processus mammillares fertur, inspirationi expirationíque cerebri, ac suscipiendis odoribus destinatus: alter ad tertium ventriculum dirigitur, spiritum animalem deferens.

Tertius ventriculus. In tertio ventriculo multa considerantur, primùm σῶμα ψαλλοειδὲς, id est corpus cameræ modo extructum, & tribus columnis fultum, ad superpositam cerebri molem sustentandam.

Fornix. Fornix nobis dicitur.

Deinde gemini meatus ab hoc sinu emanantes, quorum vnus ad basim cerebri descendit, à Græcis χοάνη, id est infundibulum, dictus, per quem excrementitia cerebri pituita in glandem pituitariam defluit: alter ad quartum ventriculum rectà fertur, spiritum animalem transmittens. Infundibulum.

Hîc præterea occurrunt plures particulæ, glandula imprimis nuci pineæ similis, Græcè κωνάριον appellata, quæ vasa in cerebrum diffusa firmat. Conarium.

Duæ deinceps à formâ nates dictæ, ac totidẽ inferiùs meatum sustentātes, quæ ratione formæ testes nuncupātur. Nates. Testes.

Quartus ventriculus inter cerebellum & spinalem medullam situs est, in quo epiphyses duæ vermiformes ex cerebelli reuolutionibus productæ obseruantur, quæ spiritus animalis transitui præsunt, vt in vltimum hunc sinum sensim dilabatur. Quartus ventriculus. Epiphyses vermiformes.

Ex posteriori cerebro medulla spinalis, oblongæ caudæ similis propendet. Haud absimilis est cerebro, præterquam quod motu caret, & multò durior est. Duabus pariter membranis inuestitur, quarum vna, à tenui; altera Medulla spinalis, Q[illegible]i similis ac d[illegible] similis cerebro.

à crassa meninge oritur : sed insuper crassa & densa tunica circumdatur.

Quomodo fit in duas portiones diuisa. In basi cerebri quatuor radices eo inuerso spectantur, duæ ex cerebro, totidem ex cerebello prodeuntes, quibus simul iunctis conflatur spinalis medullæ corpus bipertitum, atque tenui meninge secretum, ita vt vna medullæ pars resolui possit, integra & illæsa remanente altera.

Nerui. Nerui sunt canales substãtiæ membraneæ ex cerebro deferentes spiritum animalem in singula corporis membra, sensus & motus gratiâ. Sunt autem alij molliores, alij duriores.

Molliores. Molliores nerui sunt, qui à cerebro in alia membra propagantur.

Eorum paria 7. Eorum septem sunt paria.

1. Primum par est neruorum ad oculos visus gratiâ destinatorum. Vnde
2. dicuntur nerui optici. Alterum par est neruorum ad oculos motus gratiâ commissorum.

3. Tertium par est neruorum in linguæ tunicam, aliásque faciei partes propagatorum.

4. Quartum par est neruorum in palati tunicam sparsorum.

Quintum par est neruorum per foramen ossis petrosi in auris cauitatem penetrantium. Vnde dicuntur nerui auditorij. 5.

Sextum par est neruorum in omnia viscera thoracis & ventris inferioris distributorum. 6.

Septimum par est neruorum in linguæ & laryngis musculos insertorum. 7.

Duriores nerui sunt, qui à spinali medulla ad alia membra pergunt. Duriores.

Eorum triginta sunt paria: ceruicis septem, dorsi duodecim, lumborum quinque, ossis sacri sex, quæ singula sursus varios ramos in reliquas corporis partes diffundunt. Eorum paria 30.

DE FACIEI ANATOME.

D. Dissectis capillati capitis partibus, tum externis, tùm internis, consectio Faciei sequitur, in qua tam admirabilis exis-tit naturæ industria, vt ex infinita hominum multitudine, ne duos quidem ita similes reperias, quin aliqua faciei dissimilitudine distingui queant. Quæ profectò facies variis mutationibus suis, indicat, & exprimit, quibus passionibus afficiatur animus, num spe vel metu, an gaudio vel mæ- Trãsitus à capite pilis tecto, ad Faciem.

rore tentetur: quo statu nostrum sit corpus, sano, ægro, an neutro. Quare cùm facies tanti sit in nobis momenti, Anatomica eius descriptio apertè exequenda. Quomodo facies diuiditur?

Faciei diuisio. Pars superior. Inferior.

C. In superiorem & inferiorem partem. Superior faciei pars Græcis μέτωπον, nobis frons dicitur. A syncipite ad supercilia protenditur. Inferior pars complectitur quicquid à superciliis in mentum vsque patet, vt oculos, nasum, aures, genas, os, linguam & alias partes ore aperto conspicuas. Vtráque ossibus, musculis, ac vasis cute obductis constat.

D. Singularum partium Anatomen perstringe, ducto ab ossibus initio, vt musculorum faciem mouentium origo & insertio certior sit & manifestior?

Maxilla superior, Inferior.

C. Facies maxillam vtrámque superiorem & inferiorem continet, Galenus illam τὴν ἄνω γένυν, hanc τὴν κάτω γένυν vocat. Hippocrates τὴν γνάθον appellare solet. Vtrique dentes sexdecim per gomphosim articulantur, quatuor incisores, duo canini, & decem molares.

Dentes.

DE MAXILLÆ OSSIBVS.

Anatomici genæ superioris ossa alij plura, alij pauciora enumerant. Ego vndecim duntaxat agnosco, quinque vtraque parte per harmoniam inter se commissa, & vnicum impar. Tria sunt in vtraque oculi orbita, quibus capiti maxilla coniungitur, primum minorem canthum constituit & portionem orbitæ, necnon Zygomatis, malæque partem. Maxillæ superioris ossa XI. Oculi vtrinque 3.

Secundum omnium minimum maiorem canthum efformat, in quo foramen est ad nares peruium, in hócque glandula.

Tertium omnium maximum omnium lateris dentes continet, orbitæ inferiorem ferè totam constituit, rotundam apophysin, quam μῆλον Græci appellant, id est malum.

Palati duo exiguâ lineâ in medio iuncta. Palati 2.

Nasi duo simul coniuncta, & vnum os, quod nares æquè discriminat, inǽsque reddit. Ideò narium intercilium iure appellatum. Nasi 3.

Maxilla inferior duobus tantum constat ossibus, quæ ad medium men- Maxillæ inferioris ossa 2.

tum interiectu cartilaginis vniuntur. Cartilago hæc in puerulis manifesta est, sed ætate prouectioribus in ossis naturam degenerat, vt vnicum videatur esse genæ inferioris os. Superior eius pars in duos processus vtrinque desinit, quorum vnus acutus, tendinem à temporali musculo descendentem excipiens, κορώνη vocatur, quod cornicis rostro similis sit, alter condyli modo rotundus, vnde κονδυλώδης appellatur, cauitati ossis petrosi articulatus.

DE MVSCVLIS FACIEI.

D. Recensitis faciei ossibus, ad inhærentes eis musculos solerter dissecandos accinge?

C. Existimarent plerique Anatomici faciem totam à solo panniculo carnoso moueri, quem propterea musculum latum vocarent. Sed fibrarum diuersitas & motuum varietas peculiares esse faciei musculos, diuersarum partiũ motui destinatos arguit.

Frontis musculi 2. Frontis quippè musculi duo sunt, superciliis attollendis dicati, qui à supernis partibus orti, in inferiores inseruntur, fibris à summo ad imum

in

tum porrectis.

lpebra inferior immobilis est: or verò sursum & deorsum mo-, dum aperitur & clauditur. eritur ab vnico musculo, qui ab ore orbita, cum eo qui oculum it enatus, in extremam palpebrę, quam ταρσὸν Græci vocant, inse- Palpebræ musculi 3. Aperiens 1.

audunt palpebram duo musculi ulares, vnus maior & latus ab in- e angulo totam oculi orbitam mdat sphyncteris instar: alter r, Ciliaris dictus, à nasi radice, in tarsum inseritur, cilium or- atim cingens & exquisitè clau- Claudẽtes 2. Maior. Minor.

ulum mouent sex musculi, qua- recti ex fundo orbitę orti, sur- vnus supernè situs, Attollens, bus vulgò dictus; orsum, vnus infernè, Deprimẽs, ilis appellatus; rsus nasum vnus, ad magnũ can-, Adducens, à Barbaris Bibito- nuncupatus; versus Zygoma ad paruum canthum, Abducẽs, ısoribus Indignatorius vocatus. Oculorũ musculi 6. Recti 4. Attollens Deprimens. Adducens. Abducens.

Obliqui 2. Et duo obliqui oculum circumagentes, quos Amatorios ipsi nominant.

Vnus à magno cantho ad paruum supernè porrectus.

Alter infernè à paruo cantho ad magnum extensus.

Narium musculi. In naribus musculi obseruantur perexigui.

Dilatatores. Eorum alii pinnas narium dilatãt, à fronte acuto carnosóque exorti principio, in narium cartilagines tendine latiore feruntur:

Constrictores. Alii nares constringunt, labiorum musculis continui.

Labiorũ musculi 8. Labium vtrúmque sursum, deorsúmque mouetur.

Labrum superius Attollẽtes 2. Labium superius mouent sursum duo musculi, qui à malo orti, in labrum superius inseruntur: Deprimentes 2. deorsum mouent totidem, à mento in idem labium delati.

Labrum inferius Attollẽtes 2. Inferius labium sursum mouetur duorum musculorum opera, qui à malo orti in labium inferius inseruntur: Deprimentes 2. Deorsum mouent totidem, à mento in idem labium inserti.

Maxillæ inferioris musculi 10. In homine sola inferior maxilla mobilis est. Mouetur autem sursum,

ſum & ad latera. Mouetur ſurcùm os clauditur; deorſum, cùm tur; ad latera, dum manduntur

axillam ſurſum mouent ſex muſtres vtrinque.

otaphitæ, id eſt temporales duo, itudine inſignes, vtrinque vnus, tota temporum cauitate ſub mate orti, validiſſimo tendine o in apophyſin Coronoïdem inferioris inſeruntur. Crotaphitæ 2.

rygoïdei duo parui, in ore la-, qui à cauo pterygoïdis apoos toto exorti, in genæ infernæ n latiſſimam intùs implantan- Pterygoïdei 2.

tundi duo, Buccinatores vulgò à genæ ſupernæ gingiuis omnigenæ infernæ gingiuas omnes, inica tecti. Buccinatores 2.

fati muſculi omnes maxillam orem rectà ad ſuperiorem adduoris claudendi gratia.

orſum verò maxillam mouent, aperiendum, duo muſculi gra- Digaſtrici dicti, vnus vtrinque, loïde orti, in principio & fine Digaſtrici 2.

carnosi, in medio neruosi, tandem in mentum interius inseruntur.

Masseteres 2. Circumagunt maxillam musculi duo, Masseteres appellati, id est molitores, quòd mandendo plurimùm valeant. Bicipites sunt, caput vnum à malo in extremum maxillæ angulum; alterum à *Zygomate* versus mentum fertur: intersecant sese horum capitum fibræ in modum X.

Linguæ musculi 10. Lingua mouetur sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, decem musculorum ope.

Sursum mouentes 2. Sursum linguam mouent duo, à styloïde, in linguæ latus.

Deorsum 2. Deorsum duo, à genâ infernâ, quâ sunt molares, in linguæ latus infernè.

Antrorsum 2. Antrorsum aut extrorsum duo, à mento interno ad linguæ radicem.

Retrorsum 2. Retrorsum duo magni, contigui, villis omnibus intertexti, ab hyoïdis basi, in linguæ partem infernam.

Dextrorsum 1. Sinistrorsũ 1

Dextrorsum vnus. Siniſtrorsum alter.	Ambo ab hyoïdis cornibus supernis in linguæ latera inseruntur.

Os hyoïdes. Hyoïdes est literæ vpsilo simile, ad linguæ radicem situm, supra laryn-

n, quod duo vtrinque ceu cornua
ittit, vnum breuius & inferius, in
roïdis apophysin insertum; alte-
n longius & superius, ad styloïdis
icem ascendens.

d mouent octo musculi. Hyoïdis musculi 8.

Sursum duo, à Styloïdis radice, in Sursum mouentes 2.
ïdis cornuum principium.

Deorsum duo, in medio neruosi, à Deorsũ 2.
racoïde in idem cornuum princi-
m.

Antrorsum duo, ab interno men- Antrorsum 2.
ad hyoïdis radicem.

Retrorsum duo, à sterno secundum Retrorsum 2.
eram arteriam in hyoïdis radicem.

E NERVIS PER FACIEM expansis.

D. Declarasti musculos faciem mouen- nunc ostende neruos è cerebro ad faciem untes, qui proprium cuique organo sen- i impertiunt, quique præfatis musculis guntur ad motum?

C. Nerui è cerebro coniugati per- Neruorum cerebraliũ paria.
uò prodeunt. Eorum paria septem
nspicua sunt in imo cranio, simul
medullosa cerebri substantia de-
cta est.

Primum in oculum vtrúmque

transmittitur, spiritum animalem deferens ad visum, vnde Optici nomen illi estinditum.

5. Quintum in aurem vtrámque implantatur, ad auditum. Vnde Acousticiappellationem sortitur.

3.4.7. Tertium, quartum atque septimum, distributis obiter surculis partibus vicinis, in linguam inseruntur, ad gustatum. Idcircò Geustica dicuntur, id est Gustatoria.

6. Sextum subditis visceribus distribuitur, ad Tactus sensum.

2. At sizygia secunda in singulos oculorum musculos dispergitur ad motum.

Neruorum propagines. Alii nerui è tertia, quinta, plures è sexta coniugatione propagati, per Crotaphitas, Masseteras, Pterygoïdeos, cęteróśque faciei musculos, dẽtes, gingiuas, cutímque totam sparguntur.

Neruorum foramina. Paria hæç septem cranio excidunt per foramina, primum rotunda, secundum scissa, tertium & quartum oblonga, quintũ mediocria in osse auditorio, sextũ maxima, septimũ parua, occipitis maximo foramini iũcta.

E *PARTIBVS TOTVM*
uiúsque sensus organum constituen-
tibus, separatim demonstrandis.

). *Recense ceteras partes totum cuiusque*
us, ac imprimis visus organum, cum
culis & neruis constituentes?

:. Humores tres, Aqueus, Crystal-
s, & Vitreus: tunicę quinque hu-
:es complexæ, Adnata, Cornea,
:a, Aranea & Retiformis: plures
ulæ à iugularibus internis, & arte-
æ à carotidibus deriuatæ, per tu-
is sparsæ: copiosus adeps vndi-
que, & glandulæ in vtróque an-
, cum prẹfatis ossibus, musculis
eruis, totam oculi, visus organi,
cturam perficiunt. Partes oculum, visus organum, constituētes.

. *Enumeratis oculi partibus, ad auris*
:s transeundum est?

:. Auris partes duæ sunt, vna exte-
altera interior. Partes aurem, auditus organū, constituentes.

xterior primo obtutu cartilagi-
semicircularis, foris gibba, intùs
uata percipitur.

ı interiori aure (vero auditus or-
o) quatuor deprehenduntur mea-

rimus πόρος ἀκυστικὸς Græcis dictus,

C. Naſus, odoratus organum, alius externus, alius internus.

Externus in faciei medio protube-
ıs, omnibus conſpicuus, conſtat ibus, cartilaginibus, muſculis, ner- ſuo loco expoſitis, ac venulis à iu- aribus, & arteriolis à carotidibus is, duabúſque cingitur membra- : vna interiore, craſſa, quæ ori, lin- e & palato communis eſt; altera eriore, quæ cutis eſt, adipe denu- a.

Partes naſum, olfactus organũ, conſtituentes.

ıternus verò naſus, verum olfactus :rumentum, duabus conſtituitur tibus, oſſe ethmoïde ſuperiùs de- pto, & proceſſibus mammillari- ;, ad foramina ethmoïdea produ- ;, qui nerui ſunt molliſſimi, ab an- oribus cerebri ventriculis pro- ıntes, licet in neruorum cenſum ı aſcribantur, quia cranio non ex- uint.

?. *Linguæ ſtructuram breuiter per- nge?*

C. Lingua guſtatus necnon & ſer- nis organum, carne conſtat molli, ı, laxa, ſpongioſa, dignoſcendis ſa- ibus maximè idonea, nullis fibris

Partes linguã, guſtus organũ, conſtituentes.

contexta, nec proinde musculosa; sed sibi propria & peculiari, quam membrana tegit tenuissima, ori & palato communis, in quam præfati tertiæ & quartæ coniugationis nerui expanduntur. Venæ sub lingua apparent duæ, à iugulari externa exortę, quas vulgus Raninas vocat. Totidem arteriæ à carotidibus prodeuntes, venas has comitantur. Medio inferioris linguæ corpori ligamentum validissimum subiicitur, cuius auxilio suffulta linguæ mollities, faciliùs vibrari ac produci potest. Ad linguę multiplices motus, musculi decem supra descripti, sunt illi à natura tributi.

DE COLLI ANATOME.

Transitus ad Anatomicam Colli demõstrationem.

D. De tribus capitis partibus, vltima superest, Collum, cuius interiectu partes Animales, Vitales & Naturales inter se consentiunt, ac officio mutuo se sustentant. Nam per triplicia Colli vasa, duo sursum, aliud deorsum, vergentia, superioribus corporis partibus, sanguis & spiritus vitalis, ad alimoniam & vitam: inferioribus verò, animalis ad sensum & motum distribuuntur. Idcirco accuratam Colli Anatomen (apud Anatomicos plerósque con-

n) clara methodo instituas exopto?

. Colli partes aliæ sunt duriores, molliores. Partium Colli diuisio.

'. Quænam sunt duriores?

Duriores ceruicis partes, quibus fundamentis innituntur mollio- unt propriæ vel communes. Duriores ceruicis partes.

:opriæ sunt septem superiores hitidis vertebræ, spinalem me- am è cerebro deriuatam conti- es, ex qua septem paria neruo- motoriorum, musculis sibi pro- uis distributorum, ducunt origi- Propriæ.

ommunes verò sunt capitis & acis ossa, quibus collum supernè :ernè connectitur? Communes.

Quænam sunt molliores colli par-

Molliores colli partes, quæ du- ous supersternuntur, sunt propriè ommunes. Molliores colli partes.

opriæ sunt octo musculi collum :ntes, communibus substrati. Propriæ. Colli musculi 8.

atuor flectentes: Flexores 4.

ngi duo sub œsophago sibi, à su- ribus spondylis quinque thora- er totam ceruicem villis obli- Longi 2.

quis ascendentes ad occiput vsque, cui obscurè inseruntur: & Scaleni duo, à prima costa thoracis, in omnes ceruicis apophyses transuersas internè inserti, villis omnibus obliquis, &

Scaleni 2.

Extensores 4.

Quatuor extendentes:

Tráſuerſarii.

Transuersarij duo à radicibus apophyseon sex transuersarum thoracis, in omnes transuersas ceruicis externè: &

Spinati 2.

Spinati duo, à radicibus spinarum septem thoracis, in ceruicis spinas.

Cõmunes colli partes.

Communes verò colli partes sunt, quæ commercium habent cum capite, & cum subditis partibus. Hæ anticæ sunt vel posticæ. Anticæ conspirãt cum thorace ad vitam tuendam: posticæ cum ventre, ad naturam roborandam. Aliæ insuper communes, quæ per cæteras disperguntur.

D. Quænam sunt colli partes capiti toti communes?

Capitis musculi 14.

C. Musculi sunt quatuordecim caput mouentes.

Flexores 2.

Mastoïdei.

Mastoïdei duo, anteriore parte siti, id flectunt, qui à sterno summo, & clauicula media in apophysin mastoïdem obliquè inseruntur.

Extendunt octo, postica parte collocati, quatuor magni, ac totidem parui. E magnis Splenii duo à spinis quinque thoracis supernis, & quatuor infernis ceruicis in occiput implantantur. Extensores 8. Magni 4. Splenii 2.

Complexi duo, ex transuersis superiorum vertebrarum thoracis apophysibus, & inferioribus ceruicis, ad occiput feruntur. Complexi 2.

E paruis duo à spina spondyli secundi, & totidem sub his minores, à parte postica spondyli primi, in occiput medium inseruntur. Parui 4.

Circumagunt caput obliqui quatuor, quorum duo parui à spina secundæ vertebræ, ad apophysin transuersam primæ feruntur; ac duo minores, ab eadem apophysi ad occiput. Circumagentes. Obliqui 4.

D. Expositis colli partibus ad caput pertinentibus, anticas deinceps persequere, quæ thoracem respiciunt.

C. Larynx & tracheia arteria, anticę colli partes, vitalium partium in thorace contentarum consortes sunt. Anticæ colli partes, ad thoracē vergentes

Larynx asperę arteriæ caput, canalis principium, quo aëri patet aditus & exitus, cùm adr e spiti onem, tùm Larynx quid. Laryngis vsus.

Composi-tio. ad formationem vocis, cuius præcipuum est organum, tribus constat cartilaginibus, quarum duæ sunt mobiles, prima Thyroïdes Græcis dicta, quod scuti formam referat, & vltima Arytænoïdes appellata, quod aqualis os imitetur: Sed media olim innominata, nunc Cricoïdis nomen sortita, quod annulum æmuletur, prorsus est immobilis. Ideò basis existit, super quam Thyroïdis motus fit duplex, dilatatio & constrictio: & Arytænoïdis totuplex, apertio & clausio, musculorum ministerio superiorem laryngis partem dilatantium & constringentium in Thyroïdem, reserantium verò & obserantium in Arytænoïdem insertorum.

Musculorum numerus. Quorum numerus valdè controuersus est. Alii quippè sexdecim, alii octodecim, alii viginti musculos ad hos motus destinatos numerant. Nos quatuordecim tantùm agnoscimus, communes quatuor, ac decem proprios.

Musculi laryngis communes 4. Communes appellamus, qui ab aliis partibus quàm à larynge oriuntur: proprios verò qui à larynge orti,

in eandem inseruntur.

Communes quatuor sunt:

Bronchii duo dicti, à superiore & interiore sterni parte, per latera asperæ arteriæ ascendentes, in inferiorem Thyroïdis partem inseruntur, quam deorsum trahunt. Bronchii. 2.

Duo antagonistæ, Hyothyroïdei à recentioribus appellati, à cornibus hyoïdis exorti, in Thyroïdem inserũtur, quam sursum trahunt. Hyothyroïdei 2.

Proprii laryngis musculi decem sunt, exigui omnes, quinque vtráque parte. Proprii. 10. 5. vtrinque.

Primus à parte Cricoïdis antica & externa in Thyroïdis latera internè desinit, vt eam dilatet. 1. Cricothyroïdeus anticus.

Secundus à parte laterali Cricoïdis, in latera Thyroïdis externè inseritur, vt eam contrahat. 2. Cricothyroïdeus lateralis.

Tertius à parte postica Cricoïdis in Arytenoïdem fertur, vt eam reseret. 3. Cricoarytenoïdeus.

Quartus huic auxiliatur, qui à parte interiore & anteriore Thyroïdis emergens, in latera Arytenoïdis desinit. 4. Thyroarytenoïdeus.

Postremus est orbicularis, circum- 5. Arytenoïdeus.

dans & claudens Arytænoïdem cartilaginem. Idcircò Arytænoïdeus dicitur.

Epiglottis. Larynx operculum habet cartilaginosum, linguæ formam referens. Vnde ἐπιγλωττὶς nomen illi est inditũ, quod, dum inspiramus, stat erectum; depressum verò se continet, dum deglutimus. Vtrinque alligatur communi oris membranâ lateribus Arytęnoïdis vsque ad ipsius postica, vt orificium laryngis claudat & aperiat, ne ex poculentis & esculentis inter deglutiendum quicquam in asperam arteriam illabatur. Epiglottidis motum naturalem esse judicauit Galenus. Itáque frustra fuêre ab Anatomicis quibusdam attributi musculi illam erigentes & deprimentes, quos ne oculatiores quidem vnquam in homine potuerunt intueri.

Eius vsus.

Beneficio epiglottidis & musculorum præfatorum, cartilagines laryngis inter se aptæ vocem distinctam edunt. Cùm enim reserantur, dilatantúrque, vocem grauem faciunt; cùm constringuntur, acutam; infinitis denique modis variam, pro dilatationis

:onſtrictionis infinita varietate.
.djuuantur etiam gargareone, Gargareon.
ıncula de palato ſummo & inti-
pendente, vocem ipſam plectri
modulante.

Ad latera laryngis glādulæ adſunt, Glandulæ.
e humore ſuo ſubditas partes irri-
ıt.

Aſpera arteria inter laryngem à Aſpera arteria.
o ortum ducit, & pulmones in quos
init ſita, tubi inſtar aërem in eos
ducens, fumidóſque vapores ab
dem excipiens, vnde organum ſpi-
bile dicitur, conſtat cartilaginibus
rcularibus, non tamen in perfectum
bem ductis, in canalis formam
ontextis, ſibíque ordine inuicem ad-
exis, vi ligamentorum mutuò ex ea-
ım lateribus & extremis exeuntium,
uæ reliquum eius circuitum abſol-
ıunt, quâ parte œſophago incum-
bit. Hæc tunicis duabus veſtitur, intus
quidem denſa & dura, villis vbíque
rectis intertexta, cum tunica oris &
œſophagi interiore continua, foris
verò molli & tenui, neruos recurren-
tes colligante.

D. Declara nunc poſticas colli partes,

quibus ad ventrem patet aditus?

C. Pharynx & œsophagus, posticæ ceruicis partes, ad ventrem feruntur, in quo partes naturales continentur: Illum fauces, hunc gulam Latini vocant.

Pharynx quid. Pharynx pro corpore membranoso ἴσθμιον, i. interius oris spatium, ambiente sumitur, quod principium est œsophagi. Octo musculos obtinuit, quatuor vtrinque, partim dilatantes, partim constringentes, quorum opera perficitur deglutitio.

Pharyngis musculi 8.

Sphenopharyngei 2. Primus oritur ab acuto apice Sphenoïdis prope styloïdem, & deorsum inclinans ad faucium latera desinit, vt Pharyngem supernè trahat. Sphenopharyngeum recentiores Anatomici vocant.

Cephalopharyngei 2. Secundus prodit ab ea parte quâ caput iungitur, & descendens in pharyngem expanditur, ipsámque tunicā pharyngis effingere videtur. Cephalopharyngeum appellant.

Stylopharyngei 2. Tertius à styloïde natus in pharyngis latus inseritur, vt eum dilatet: Stylopharyngeum nuncupant.

Oesopharyngei 2. Quartus Oesophageus dictus, à

Thyroïdis latere ortus, in posticam œsophagi partem implantatur, adeo vt pharyngem orbiculatim vterque cingat, & constringat.

Oesophagus cibi potúsque ductus, inter spinam & asperam arteriam, à Pharynge adventriculum vsque situs, substantię est inter neruum & carnem mediæ; quia duabus membranis, vna neruosa, altera carnosa constat. Neruosa quidem intrinsecus posita, interiori tunicæ oris & asperæ arteriæ continua. Carnosa verò extrinsecùs, villis vtráque contexta, illa rectis, hæc transuersis: sed ambobus deglutitionem celerantibus, & vomitum; illum illi trahunt, hi trudunt. Tertiam habet tunicam à ligamentis spondylorum, quibus incumbit, quæ has duas extrinsecùs obducit.

Oesophagus quid.

Eius situs

Substantia.

D. Supersunt colli partes, quæ per cæteras disseminantur, quas breui expedias velim?

C. Venæ Iugulares, Musculæ & Ceruicales: Arteriæ Carotides, nec non Musculæ & Ceruicales, ac Nerui Recurrentes, per cæteras colli partes, non proprias modò, verumetiam

communes, supernas & infernas, anticas & posticas sparsim expãduntur.

Vena iugulari. Iugulares venæ à ramo superclauio oriuntur duæ, vna externa, altera interna.

Externa. Externa ascendens per colli latus sub cuti & musculo lato, surculis obiter in vicinos musculos, membranas & cutim, dimissis; vbi fauces attigit, in duas partes diuiditur: quarum altera in musculos laryngis, hyoïdis, & linguæ absumitur: altera semper subcutanea, per vtráque labra, pinnas nasi, frontem, faciem reliquam, majorem oculi angulum, glandulas ad aures, & capitis cutim dispergitur.

Interna. Iugularis interna insignior in homine secundum latus asperæ arteriæ ascendens ad fauces venulis exilibus obiter dimissis partibus vicinis, per cranij foramina ad crassæ meningis sinus fertur, à quibus infiniti venarum surculi prodeunt, ambas meninges & totum cerebri corpus alituri.

Venæ duæ Muscula & Ceruicalis à ramo subclauio ducunt originem.

Muscula. Muscula ante musculum Scalenum nata, in musculos rhachitas, tum ima

ceruicis, tum summi thoracis fertur.

Ceruicalis per foramina aphophyseon transuersarum ceruicis perreptat in cerebrum, ramulis obiter dimissis in musculos vicinos, & colli rhachitida per suorum neruorum foramina. Ceruicalis.

Arteriæ Carotis, Muscula & Ceruicalis vtráque à ramo pariter subclauio prodeunt. Arteriæ.

Carotis per latera asperæ arteriæ, cum interna jugulari ascendit. Vbi verò fauces attigit, bipertita ramo interno & maiore cranium subit per foramen lacerum choanæ propinquum: externo & minore in fauces, tempora, aures, oculos & faciem fertur. Carotis.

Muscula intra thoracem orta in posticos ceruicis musculos spargitur, ad occiput vsque. Muscula.

Ceruicalis per foramina apophyseon transuersarum ceruicis emicat in cerebrum, in crassam meningem se insinuans cum vena Ceruicali, datis obiter surculis per foramina neruorum rhachitidi colli, & musculis vicinis. Ceruicalis.

In colli lateribus insignis apparet Nerui.

communes, supernas & infernas, anticas & posticas sparsim expãduntur.

Vena iugulari. Iugulares venæ à ramo superclauio oriuntur duæ, vna externa, altera interna.

Externa. Externa ascendens per colli latus sub cuti & musculo lato, surculis obiter in vicinos musculos, membranas & cutim, dimissis; vbi fauces attigit, in duas partes diuiditur: quarum altera in musculos laryngis, hyoïdis, & linguæ absumitur: altera semper subcutanea, per vtráque labra, pinnas nasi, frontem, faciem reliquam, majorem oculi angulum, glandulas ad aures, & capitis cutim dispergitur.

Interna. Iugularis interna insignior in homine secundum latus asperæ arteriæ ascendens ad fauces venulis exilibus obiter dimissis partibus vicinis, per cranij foramina ad crassæ meningis sinus fertur, à quibus infiniti venarum surculi prodeunt, ambas meninges & totum cerebri corpus alituri.

Venæ duæ Muscula & Ceruicalis à ramo subclauio ducunt originem.

Muscula. Muscula ante musculum Scalenum nata, in musculos rhachitas, tum imæ

ceruicis, tum summi thoracis fertur.

Ceruicalis per foramina aphophyseon transuersarum ceruicis perreptat in cerebrum, ramulis obiter dimissis in musculos vicinos, & colli rhachitida per suorum neruorum foramina. Ceruicalis.

Arteriæ Carotis, Muscula & Ceruicalis vtráque à ramo pariter subclauio prodeunt. Arteriæ.

Carotis per latera asperæ arteriæ, cum interna jugulari ascendit. Vbi verò fauces attigit, bipertita ramo interno & maiore cranium subit per foramen lacerum choanæ propinquum: externo & minore in fauces, tempora, aures, oculos & faciem fertur. Carotis.

Muscula intra thoracem orta in posticos ceruicis musculos spargitur, ad occiput vsque. Muscula.

Ceruicalis per foramina apophyseon transuersarum ceruicis emicat in cerebrum, in crassam meningem se insinuans cum vena Ceruicali, datis obiter surculis per foramina neruorum rhachitidi colli, & musculis vicinis. Ceruicalis.

In colli lateribus insignis apparet Nerui.

sextæ coniugationis Neruus, arteriæ Carotidi contiguus, qui surculis in vicinos quosdam musculos obiter distributis, dum ad iugulum accessit, in tres conspicuos finditur ramos, quorũ vnus per latera costarũ excurrens, Costalis vocatur: alter ad ventriculum perreptans, Stomachicus. Sed reliquus, dexter quidem, axillarem arteriam amplectitur; & per eam reflexus, instar ductarii funis, qui per trochlearum orbiculos traiicitur, sursum ascendit, in musculos laryngis, numerosos spargens ramulos: sinister ob axillaris arteriæ rectitudinem, ibi non reflectitur, sed magnæ arteriæ truncum circumplicat.

Recurrentes.

Hi nerui παλινδρομοῦντες, id est recurrentes, appellantur, & vocales, quòd vocis præcipua sint organa. Illis enim interceptis, aut sectis, ἄφωνον statim redditur animal.

DE MANVS ANATOME.

Transitus à corporis trunco, ad artus.

D. Perlustrato corporis Humani trunco, ad artus, veluti ramos ab arboris caudice propagatos, transeundum est; Manus nimirum & pedes, pluribus constantes ossibus, musculis ac vasis cute obductis. Sin-

gulorum Anatomen ordine perſequere, ducto à manuum oſſibus exordio.

C. Manus nomen generaliter, aut propriè ſumitur. Manus diuiſio.

Manus generaliter dicta in tres diuiditur partes, ſupremam, mediam & extremam, quæ Græcis ἀκρόχειρ, & abſolutè χεὶρ, nobis manus propriè dicitur, ὄργανον ἀντιληπτικὸν, apprehendendi inſtrumentum: cuius in vniuerſum tres ſunt partes, carpus, metacarpium, & digiti.

DE OSSIBVS TOTIVS Manus.

Fulciendæ manui ſubſternuntur oſſa, supernæ duo, omoplata & brachium: mediæ item duo, cubitus & radius: carpo, metacarpio & digitis extremam manum conſtituentibus plura. Oſſa totius Manus.

Ὠμοπλάτη, quæ nobis ſcapula dicitur, ceruicem habet, & in eius extremo glenoïdem cauitatem, per quam articulatur cum brachio: habet & ſpinam à baſi ſurſum aſcendentem, cuius extremum dicitur ἀκρώμιον, per quod cum clauicula thoracē deſuper claudente articulatur: habet & acutam Omoplata. Acromion.

Compositio. ad formationem vocis, cuius præcipuum est organum, tribus constat cartilaginibus, quarum duæ sunt mobiles, prima Thyroïdes Græcis dicta, quod scuti formam referat, & vltima Arytęnoïdes appellata, quod aqualis os imitetur: Sed media olim innominata, nunc Cricoïdis nomen sortita, quod annulum æmuletur, prorsus est immobilis. Ideò basis existit, super quam Thyroïdis motus fit duplex, dilatatio & constrictio: & Arytęnoïdis totuplex, apertio & clausio, musculorum ministerio superiorem laryngis partem dilatantium & constringentium in Thyroïdem, reserantium verò & obserantium in Arytęnoïdem insertorum.

Musculorum numerus. Quorum numerus valdè controuersus est. Alii quippè sexdecim, alii octodecim, alii viginti musculos ad hos motus destinatos numerant. Nos quatuordecim tantùm agnoscimus, communes quatuor, ac decem proprios.

Musculi laryngis communes 4. Communes appellamus, qui ab aliis partibus quàm à larynge oriuntur: proprios verò qui à larynge orti,

in eandem inseruntur.

Communes quatuor sunt:

Bronchii duo dicti, à superiore & interiore sterni parte, per latera asperæ arteriæ ascendentes, in inferiorem Thyroïdis partem inseruntur, quam deorsum trahunt. Bronchii 2.

Duo antagonistæ, Hyothyroïdei à recentioribus appellati, à cornibus hyoïdis exorti, in Thyroïdem inseruntur, quam sursum trahunt. Hyothyroïdei 2.

Proprii laryngis musculi decem sunt, exigui omnes, quinque vtráque parte. Proprii 10. 5. vtrinque

Primus à parte Cricoïdis antica & externa in Thyroïdis latera internè desinit, vt eam dilatet. 1. Cricothyroïdeus anticus.

Secundus à parte laterali Cricoïdis, in latera Thyroïdis externè inseritur, vt eam contrahat. 2. Cricothyroïdeus lateralis.

Tertius à parte postica Cricoïdis in Arytenoïdem fertur, vt eam reseret. 3. Cricoarytenoïdeus.

Quartus huic auxiliatur, qui à parte interiore & anteriore Thyroïdis emergens, in latera Arytenoïdis desinit. 4. Thyroarytenoïdeus.

Postremus est orbicularis, circum- 5. Arytenoïdeus

dans & claudens Arytænoïdem cartilaginem. Idcircò Arytænoïdeus dicitur.

Epiglottis.
Larynx operculum habet cartilaginosum, linguæ formam referens. Vnde ἐπιγλωττὶς nomen illi est inditũ, quod, dum inspiramus, stat erectum; depressum verò se continet, dum deglutimus. Vtrinque alligatur communi oris membranâ lateribus Arytænoïdis vsque ad ipsius postica, vt orificium laryngis claudat & aperiat, ne ex poculentis & esculentis inter deglutiendum quicquam in asperam arteriam illabatur. Epiglottidis motum naturalem esse judicauit Galenus. Itáque frustra fuêre ab Anatomicis quibusdam attributi musculi illam erigentes & deprimentes, quos ne oculatiores quidem vnquam in homine potuerunt intueri.

Eius vsus.

Beneficio epiglottidis & musculorum præfatorum, cartilagines laryngis inter se aptæ vocem distinctam edunt. Cùm enim referantur, dilatantúrque, vocem grauem faciunt; cùm constringuntur, acutam; infinitis denique modis variam, pro dilatationis

aut constrictionis infinita varietate.

Adiuuantur etiam gargareone, caruncula de palato summo & intimo pendente, vocem ipsam plectri ritu modulante. Gargareon.

Ad latera laryngis glãdulæ adsunt, quæ humore suo subditas partes irrigant. Glandulæ.

Aspera arteria inter laryngem à quo ortum ducit, & pulmones in quos desinit sita, tubi instar aërem in eos deducens, fumidósque vapores ab iisdem excipiens, vnde organum spirabile dicitur, constat cartilaginibus circularibus, non tamen in perfectum orbem ductis, in canalis formam contextis, sibíque ordine inuicem adnexis, vi ligamentorum mutuò ex earum lateribus & extremis exeuntium, quæ reliquum eius circuitum absoluunt, quâ parte œsophago incumbit. Hæc tunicis duabus vestitur, intus quidem densa & dura, villis vbique rectis intertexta, cum tunica oris & œsophagi interiore continua, foris verò molli & tenui, neruos recurrentes colligante. Aspera arteria.

D. Declara nunc posticas colli partes,

quibus ad ventrem patet aditus?

C. Pharynx & œsophagus, posticæ ceruicis partes, ad ventrem feruntur, in quo partes naturales continentur: Illum fauces, hunc gulam Latini vocant.

Pharynx quid. Pharynx pro corpore membranoso ἴσθμον, i. interius oris spatium, ambiente sumitur, quod principium est œsophagi. Octo musculos obtinuit, quatuor vtrinque, partim dilatantes, partim constringentes, quorum opera perficitur deglutitio.

Pharyngis musculi 8.

Sphenopharyngei 2. Primus oritur ab acuto apice Sphenoïdis prope styloïdem, & deorsum inclinans ad faucium latera definit, vt Pharyngem supernè trahat. Sphenopharyngeum recentiores Anatomici vocant.

Cephalopharyngei 2. Secundus prodit ab ea parte quâ caput iungitur, & descendens in pharyngem expanditur, ipsámque tunicã pharyngis effingere videtur. Cephalopharyngeum appellant.

Stylopharyngei 2. Tertius à styloïde natus in pharyngis latus inseritur, vt eum dilatet: Stylopharyngeum nuncupant.

Oesophagei 2. Quartus Oesophageus dictus, à

Thyroïdis latere ortus, in posticam œsophagi partem implantatur, adeo vt pharyngem orbiculatim vtérque cingat, & constringat.

Oesophagus cibi potúsque ductus, inter spinam & asperam arteriam, à Pharynge adventriculum vsque situs, substantię est inter neruum & carnem mediæ; quia duabus membranis, vna neruosa, altera carnosa constat. Neruosa quidem intrinsecus posita, interiori tunicæ oris & asperæ arteriæ continua. Carnosa verò extrinsecùs, villis vtráque contexta, illa rectis, hæc transuersis: sed ambobus deglutitionem celerantibus, & vomitum; dum illi trahunt, hi trudunt. Tertiam habet tunicam à ligamentis spondylorum, quibus incumbit, quæ has duas extrinsecùs obducit. Oesophagus quid. Eius situs Substantia.

D. Supersunt colli partes, quæ per cæteras disseminantur, quas breui expedias velim?

C. Venæ Iugulares, Musculæ & Ceruicales: Arteriæ Carotides, necnon Musculæ & Ceruicales, ac Nerui Recurrentes, per cæteras colli partes, non proprias modò, verumetiam

communes, ſupernas & infernas, anticas & poſticas ſparſim expāduntur.

Vena iugulari.

Iugulares venæ à ramo ſuperclauio oriuntur duæ, vna externa, altera interna.

Externa.

Externa aſcendens per colli latus ſub cuti & muſculo lato, ſurculis obiter in vicinos muſculos, membranas & cutim, dimiſſis; vbi fauces àttigit, in duas partes diuiditur: quarum altera in muſculos laryngis, hyoïdis, & linguæ abſumitur: altera ſemper ſubcutanea, per vtráque labra, pinnas naſi, frontem, faciem reliquam, majorem oculi angulum, glandulas ad aures, & capitis cutim diſpergitur.

Interna.

Iugularis interna inſignior in homine ſecundum latus aſperæ arteriæ aſcendens ad fauces venulis exilibus obiter dimiſſis partibus vicinis, per cranij foramina ad craſſæ meningis ſinus fertur, à quibus infiniti venarum ſurculi prodeunt, ambas meninges & totum cerebri corpus alituri.

Venæ duæ Muſcula & Ceruicalis à ramo ſubclauio ducunt originem.

Muſcula.

Muſcula ante muſculum Scalenum nata, in muſculos rhachitas, tum imæ

ceruicis, tum summi thoracis fertur.

Ceruicalis per foramina aphophyseon transuersarum ceruicis perreptat in cerebrum, ramulis obiter dimissis in musculos vicinos, & colli rhachitida per suorum neruorum foramina. Ceruicalis.

Arteriæ Carotis, Muscula & Ceruicalis vtráque à ramo pariter subclauio prodeunt. Arteriæ.

Carotis per latera asperæ arteriæ, cum interna jugulari ascendit. Vbi verò fauces attigit, bipertita ramo interno & maiore cranium subit per foramen lacerum choanæ propinquum: externo & minore in fauces, tempora, aures, oculos & faciem fertur. Carotis.

Muscula intra thoracem orta in posticos ceruicis musculos spargitur, ad occiput vsque. Muscula.

Ceruicalis per foramina apophyseon transuersarum ceruicis emicat in cerebrum, in crassam meningem se insinuans cum vena Ceruicali, datis obiter surculis per foramina neruorum rhachitidi colli, & musculis vicinis. Ceruicalis.

In colli lateribus insignis apparet Nerui.

sextæ coniugationis Neruus, arteriæ Carotidi contiguus, qui surculis in vicinos quosdam musculos obiter distributis, dum ad iugulum accessit, in tres conspicuos finditur ramos, quorũ vnus per latera costarũ excurrens, Costalis vocatur: alter ad ventriculum perreptans, Stomachicus. Sed reliquus, dexter quidem, axillarem arteriam amplectitur; & per eam reflexus, instar ductarii funis, qui per trochlearum orbiculos traiicitur, sursum ascendit, in musculos laryngis, numerosos spargens ramulos: sinister ob axillaris arteriæ rectitudinem, ibi non reflectitur, sed magnæ arteriæ truncum circumplicat.

Recurrentes.

Hi nerui παλινδρομοῦντες, id est recurrentes, appellantur, & vocales, quòd vocis præcipua sint organa. Illis enim interceptis, aut sectis, ἄφωνον statim redditur animal.

DE MANVS ANATOME.

Transitus à corporis trunco, ad artus.

D. Perlustrato corporis Humani trunco, ad artus, veluti ramos ab arboris caudice propagatos, transeundum est; Manus nimirum & pedes, pluribus constantes ossibus, musculis ac vasis cute obductis. Sin-

gulorum Anatomen ordine perſequere, ducto à manuum oſſibus exordio.

C. Manus nomen generaliter, aut propriè ſumitur. Manus diuiſio.

Manus generaliter dicta in tres diuiditur partes, ſupremam, mediam & extremam, quæ Græcis ἀκρόχειρ, & abſolutè χεὶρ, nobis manus propriè dicitur, ὄργανον ἀντιληπτικὸν, apprehendendi inſtrumentum: cuius in vniuerſum tres ſunt partes, carpus, metacarpium, & digiti.

DE OSSIBVS TOTIVS Manus.

Fulciendæ manui ſubſternuntur oſſa, ſupernæ duo, omoplata & brachium: mediæ item duo, cubitus & radius: carpo, metacarpio & digitis extremam manum conſtituentibus plura. Oſſa totius Manus.

Ὠμοπλάτη, quæ nobis ſcapula dicitur, ceruicem habet, & in eius extremo glenoïdem cauitatem, per quam articulatur cum brachio: habet & ſpinam à baſi ſurſum aſcendentem, cuius extremum dicitur ἀκρώμιον, per quod cum clauicula thoracẽ deſuper claudente articulatur: habet & acutam Omoplata. Acromion.

Coracoïdes. apophysin, quam à rostri effigie κορακοειδῆ appellant.

Brachiū. Βραχίων, humerus Celso dicitur. Eius pars superior caput habet magnum, quod in scapulæ cauitatem inseritur, quæ superficiaria quidem est, vt id in omnes partes expeditè moueretur, sed cartilagine multa amplificatur ad firmiorem articulationem.

Pars brachii inferior duas habet insignes apophyses, vnam externã quæ radio articulatur, alteram internam nulli ossi articulatam: quarum illa superior est, hæc inferior. Ab vtróque tuberculo, musculi ferè omnes carpi & digitorum, extensores ab illo, flexores ab hoc prodeunt. Inter vtrumque processum cauitas eminet trochleæ similis, per quam rotatur cubitus, cum flectitur & extenditur.

Cubitus. Cubitus Græcis πῆχυς, καὶ ὠλένη dicitur, Arabibus focile maius. Eius pars superior per ginglymon cum brachio articulatur. Vnde sinus ac processus duo in acutum vergentes (qui κορῶναι, id est rostra, vocantur) ibi conspiciuntur. Posterior pars ὠλέκρανον à quibusdam dicitur. Inferior cubiti pars cum

carpo

carpo articulatur, tum per mediam cartilaginem, tum per acutam apophysin, quæ à columnæ figura στυλοειδὴς vocatur.

Radius Græcis κερκὶς, ab Arabibus focile minus appellatur. Eius pars superior cum externa brachii apophysi per diarthrosin articulatur: inferior per epiphysin cum carpi osse maximū digitum respiciente connectitur. Radius.

Carpus octo constat ossibus, ordine duplici distinctis, quæ vinculorum & cartilaginum interiectu connectuntur. Carpus.

Metacarpium, quatuor tantùm ossibus constat oblongis & gracilibus, quæ inferiore parte cum carpo, superiore cum digitis per ginglymon connectuntur. Habent in vtrisque extremis epiphyses. Metacarpium.

Tertia manus pars digitos complectitur.

Digiti numero quinque sunt: primus, quòd robore & magnitudine polleat, Pollex dicitur; secundus Index, tertius Medius, quartus Medicus & Annularis, quintus Minimus & Auricularis appellatur. Digiti quin- Digiti.

decim ossibus constant, triplici ordine dispositis. Hanc ossium in digitis seriem Græci φάλαγξα vocant : quo nomine militum agmen in acie designant. Digitorum ossa per ginglymon articulantur.

Ossa sesamoïdea. Inter digitorum articulationes, ossicula sesami semen referentia reperiuntur innumera, ad articulationis robur & stabilitatem constructa.

DE MVSCVLIS TOTAM manum mouentibus.

D. Manus ossa enarrauisti, quibus veluti fundamentis reliqua partes innituntur: recense deinceps musculos ossibus adnatos, manum vndecunque mouentes, vnde oriantur, & vbi inserantur?

Musculi omoplatæ 4. C. Quatuor Omoplatæ musculi sunt:

Trapezius. Trapezius cucullo monachali similis, qui pro fibrarum varietate ipsam sursum & deorsum mouet, & retrorsum trahit. Ab occipite ferè toto, omnibus ceruicis spinis, & octo superioribus metaphreni vertebris natus, in totam Omoplatæ basim & spinam inseritur.

Leuator. Leuator proprius, qui quadruplex

videtur, Omoplatam attollens, à prima, secunda, tertia, quartáque ceruicis vertebra ortus, in omoplatæ angulum superiorem & spinam inseritur.

Rhomboïdes Trapezio subiectus, ex tribus spinis inferiorib⁹ ceruicis, & tribus superioribus metaphreni ducens originem, in totam Omoplatæ basim extenditur, ipsam retrorsum trahens. **Rhomboïdes.**

Serratus minor à costis quinque superioribus pronatus, in Coracoïdem inseritur, antrorsum scapulam mouens. **Serratus minor.**

Brachium mouetur sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, & in gyrum, octo musculorum operâ. **Musculi brachiū mouentes:**

Id duo sursum mouent, Deltoïdes, qui à claui dimidia, & tota omoplatæ spina & acromio exortus, in mediam ferè humeri partem inseritur: & **Sursum 2. Deltoïdes.**

Supraspinatus, qui à cauitate supra omoplatæ spinam enatus, in brachij ceruicem implantatur. **Supraspinatus.**

Duo item deorsum: Latissimus, qui à spinis ossis sacri, lumborum & nothorum thoracis ortus, tendine mem- **Deorsū 2. Latissimus.**

branoso in omoplatæ angulum inferiorem, & altero tendine robusto in interiorem brachii partem iuxta ceruicem inseritur: &

Rotũdus maior. Rotundus maior, qui ex ima omoplatæ costa, in brachii ceruicem fertur.

Antrorsum. 1. Pectoralis. Pectoralis vnus, à claujcula, sterno & costis vicinis exortus, brachium trahit antrorsum.

Retrorsum. 3. Retrorsum verò mouent tres in brachii ceruicem interiorémque humerum inserti;

Infraspinatus. Infraspinatus, à cauitate infra spinam ortus:

Rotundus minor. Rotundus minor ab ima omoplatæ costa veniens: &

Subscapularis. Subscapularis à scapulæ sima parte tota prodiens.

Circularis autem brachii motus ab omnibus musculis vicissitudine quadam agentibus perficitur.

Cubiti flexores 2. Musculi in brachio siti cubitum flectunt duo:

Biceps. Biceps, cuius principium geminum vnum à Coracoïde, alterum à labr[o] cauitatis omoplatæ per brachii fissu[ram] descendens, tandem vnitum i[n]

Radium intus inseritur: &

Brachiæus, qui à media Brachij parte in Radium & magis in Cubitum intus fertur. Brachiæus.

Extendunt duo: Extensores 2.

Longus, qui à costa inferna omoplatæ oritur; & Longus.

Breuis à ceruice postica Brachii, priori connatus & subiectus; sic vt communi tendine lato, foris carnoso, intus neruoso, in Olecranum inserantur, vt communi opera cubitum extendant. Breuis.

Radium mouent quatuor musculi:

Pronatores duo; vnus Rotundus, qui ab apophysi interna Brachii obliquè in Radium prope medium membranoso tendone cessat; Radii pronatores 2.

Alter Quadratus, ab imo Cubito, in imum Radium desinens; ac

Supinatores totidem: vnus longior, à Brachio inferno in Radium infernum inseritur: alter ab apophysi externa Brachii prope Olecranum in medium ferè Radium fertur. Supinatores 2.

Carpum mouent quatuor musculi:

Flexores duo, interni ambo, quorum alter à Brachii interna apophysi ortus, Carpi flexores 2.

Cubito ossi attensus in quartum os Carpi crasso suo tendine partim carneo, partim neruoso inseritur: alter supernus ab eodem tuberculo pronatus, in os metacarpii primum Indici subiectum desinit.

Exten-sores 2. Carpi tensores totidem, externi ambo, supernus alter à Brachii externa apophysi ortus, Radio instratus, in bifidum desinit tendinem, quorum altero in Metacarpii os primum, altero in secundum inseritur.

Alter musculus inferior eodem enatus principio, tendine vnico in Metacarpii os quartum, quod minimo digito subiicitur, desinit.

Palma-ris. Ad Carpi musculos Palmaris est referendus, qui ab apophysi externa Brachii ortus, omnibus ferè manus musculis interioribus superiectus, principio carnoso in angustum primùm & longùm tendinem protensus, in volam & palmam manus expanditur, cutique adhæret firmiter, atque mirum in modum apprehensioni auxiliatur.

Musculi digitorũ flexores 2. Digiti flectuntur, extenduntur, adducuntur & abducuntur.

Flectunt duo musculi digitos, Sublimis & profundus.

Sublimis ab interna Brachii apophysi enatus, priusquàm ad Carpum perueniat, in quatuor finditur tendines: hi validissimo & transuerso ligamento, annuli instar, coëuntes & arctati, in secundam digitorum quatuor articulationem inseruntur: Dum verò primum articulum perreptant, ei membranorum & villorum interiectu ita firmiter alligantur, vt eum moueant. Sublimis.

Profundus priori substratus, ab eodem exortus tuberculo, in totidem neruosos tendines scinditur, qui primæ & secundæ digitorum quatuor articulationi membranosis ligamentis affixi, tandem in tertiam phalangem inseruntur, eámque soli flectunt. Vt autem Profundo huic musculo ad tertiam articulationem pateret aditus, natura mirabili artificio Sublimis tendines quatuor perforauit. Profundus.

Anatomici quidam Digitorum Extensores constituunt plures, alii vnicum, qui ab externo Brachii condylo prodiens, iuxta Carpum findi- Extensores,

tur in quatuor tendones, sub annulari vinculo transeuntes, & in secundam tertiámque articulationem desinentes.

Adductores. Adducunt digitos perexigui musculi quatuor, à lumbricorum figura Lũbrici & Vermiculares dicti. Oriũtur à tendinibus Profundi musculi, initio carnosi & teretes, dein exili nerueóque tendine, secundum latera digitorum protensi, obliquè ad tertium internodium feruntur.

Abductores. Abducunt digitos interossei sex in Metacarpij spatiis latitantes, tres interni & totidem externi, qui ad postremam articulationem, eámque externam delati, & cum Vermicularibus coëuntes, extensioni aliquantulùm inseruiunt.

Musculi Pollicis. Pollex, quia toti manui solus æquipollet, peculiares habet musculos, flectentes, extendentes, adducentes & abducentes.

Flexores 2. Flectunt duo: alter à superiore Radii parte enatus, in vltimum articulum inseritur: alter ab osse Carpi Pollici subiecto exortus, in medium Pollicem fertur.

Extendunt duo, ambo à Cubito exorti: prior in tertium articulum vnico tendine inseritur: posterior bifido tendine in varias pollicis partes desinit. Extensores 2.

Adducunt musculi tres, quorum duo à Metacarpio exorti mõticulum Veneris constituunt: tertius ab osse Metacarpii, Indicem spectante, enascitur. Adductores 3.

Abducunt Pollicem totidem musculi, propriis carentes nominibus. Abductores 3.

DE NERVIS PER TOTAM manum expansis.

D. Enumeratis manuum ossibus atque musculis, vasa, quæ motum, alimoniam, vitámque eis præbent, aperienda. Ea trium sunt generum, nerui, venæ, arteriæ, quæ sigillatim ostendas velim?

C. Per manum sex paria neruorum disseminantur.

Primum par à quinto ceruicis spondylo prodiens in Deltoïdem musculum, & cutim illi incumbentem, absumitur. Neruorum Brachii 1. par.

Secundum à sexta vertebra scaturiens, in Bicipitem musculum primùm fertur, mox musculo Cubiti 2.

longiſſimo ſurculum largitur: tandem vbi Cubiti flexum attigit, in duos ſecatur ramos; quorum minor per Radium, maior per Cubitum, membrana carnoſa ſuffultus, in totam Cubiti cutim & manum abſumitur.

3. Tertium, ſecundo permiſtum, in Brachii muſculum, Bicipiti ſubſtratum, riuos diffundit: dein vbi ad Cubiti articulationem peruenit, cum quinto pari confunditur.

4. Quartum omnium craſſiſſimum, ſub eodem muſculo cum Baſilica profunda, & arteria interna, delapſum, poſtquàm in muſculos Cubitum extendentes, & cutim internam Brachii, externámque Cubiti ſurculos aliquot diffudit, tandem iuxta Cubiti articulum in duos ſcinditur ramos; quorum alter ſecundum Radii, alter ſecundum Cubiti longitudinem excurrit. Ille ſurculis quinque, Pollici duobus, Indici totidem, Medio vnico fruticatur: Hic in Carpo ceſſat.

5. Quintum par inter muſculos Cubitum extendentes & flectentes delatũ, ponè internam Brachii apophyſin præteruectum, tertióque pari per-

mistum, in digitos absumitur, Minimo neruulos duos, Medico duos, Medio vnum distribuens.

Sextum par inter cutem & membranam carnosam per internam Brachii apophysin delapsum, in Cubiti cutim desinit. 61

DE VENIS ET ARTERIIS totam Manum rigantibus.

D. Neruos delineasti, Venas & Arterias persequere.

C. Venæ duæ ab Axillari ramo scaturientes, per vniuersam manum sparguntur, quarum altera per interiorem, altera per exteriorem Brachii partem fertur. Illa vulgò Basilica vocatur, hæc Cephalica, quòd in affectibus capitis tundatur. Sed illa interna nuncupatur ab Hippocrate, quòd interiora; hæc externa, quòd exteriora Brachii perreptet. Venæ Brachii s.

Basilica, quæ iussu Hippocratis in Pleuritide secatur, in Profundam & Subcutaneam diuiditur. Basilica.

Profunda Axillari arteriæ & tertio neruorum pari attensa, ad medium Cubiti flexum fertur, in Radium & Cubitum ramos spargens. Profunda.

Subcutanea. Subcutanea per cutim excurrit; & dum ad Cubiti articulationem peruenit, in duos finditur ramos: quorum Alter ad internum cubitum delatus, cum Cephalicæ ramo vnitur, vnde communis vena enascitur, Mediana vulgò dicta, quæ profectò riuulus est ex Cephalicæ & Basilicæ coïtu, in Cubiti articulatione emergens.

Mediana.

Alter Basilicæ subcutaneæ ramus per infernum Brachii latus descendit, ramulis in vicinam cutem & partes subiectas dimissis.

Cephalica. Cephalica inter Deltoïdem musculum & Pectoralis tendinem superficie tenus delapsa, dum ad Cubiti flexum peruenit, in duos dirimitur ramos: quorum Alter in interiorem Cubitum obliquè latus cum Basilicæ ramo coït, & Communem venam parit: Alter insignior per Radium ad eius ferè medium descendit, hinc obliquè ad Carpum excurrens, manum externam ferè totam irrigat, & conspicuo ramo inter paruum digitum & Annularem desinit. Venam hanc Arabes Saluatellam vocant,

Saluatella. quam in melancholicis affectibus, lie-

nis obstructionibus, & quartanis febribus, felicissimè secant.

Arteria ab Axillari ramo similiter prodit, sed vnica est, Basilica dicta. Eius duo sunt rami, Profundus & Subcutaneus. Vterque varios ex se diffundit riuos. Est autem Subcutanei surculus quidam in Carpo conspicuus; quò loci, pulsuum differentias admota manu explorare solemus. Arteria Brachij.

DE PEDIS ANATOME.

D. Perdocte Candidate, Manus Anatomen sic explanasti, vt omnes eius partes sigillatim ante oculos posuisse videaris, eadem methodo & industriâ Pedis Anatomen instituas exopto. Transitus à confectione Manus ad Pedis confectioné.

C. Pedis nomen generaliter, aut propriè, sumitur, vt manus. Pedis diuisio.

Pes generaliter dictus ab Ischio ad extremos vsque digitos protenditur. Eius tres sunt partes; superior, quæ Græcis μηρὸς dicitur, nobis femur: media à genu ad extremum pedem protensa, Græcis σκέλος, nobis crus: & postrema, quæ Græcis ἀκρόπους, extremus pes, & absolutè πὺς, nobis Pes propriè dicitur, ὄργανον μεταβατικὸν, id est instrumentum gradiendi, tribus

constans partibus, Tarso, Pedio, & Digitis. Alii tamen non Pedis, sed Cruris nomen vsurpant duobus modis, generaliter & specialiter; Crus in genere sumentes pro toto progressiui motus instrumento; specialiter autem pro tibia inter genu pedémque sita.

Cruris distinctio.

DE OSSIBVS AD TOTIVS *Pedis articulationem pertinentibus.*

Os femoris. Superior pars. Caput.

Femoris vnicum est os, omnium longissimum, quod suprà Ischio, infrà Tibiæ, per diarthrosin articulatur. Superiore in parte caput habet rotundum, ab epiphysi efformatum, ceruici prælongæ ad interiora inclinatæ adnatum, quod Ischii cauitatem subit, & sub ceruice apophyses duas, vnam in parte posteriore, alteram in parte interiore sitam, quarum illa magnus Trochanter, hæc paruus Trochanter dicitur, ἀπὸ τοῦ τροχάζειν, quod est διατροχεῖν, quòd femoris motus cursúsque per musculos his apophysibus insertos perficiatur. Inferiore verò parte habet insignia duo tubercula, (κονδύλους Græci vocant,) quæ recipiuntur intra ossis Tibiæ acetabula,

Trochanteres duo.

Inferior pars.

& cauitatem tuberculis interiacentem, in quam inseritur ligamentum cartilaginosum, commissuræ genu. Cruris specialiter sumpti ossa duo sunt: Tibia, quæ Græcis κνήμη, Arabibus focile maius; & Fibula, quæ ab illis περόνη, ab his focile minus appellatur. Ossa Cruris.

Tibiæ superior pars cum femoris osse per ginglymon articulatur. Siquidem duos sinus habet, tubercula femoris excipientes, & Processum in medio, qui à femoris cauitate excipitur. In extremo Tibiæ, gibba prominet appendix, quæ malleolus internus dicitur. Tibia. Malleolus internus.

Minus os Perone nuncupatum superiore parte genu non attingit, inferiore processum emittit, quem malleolum externum vocant. Perone. Malleolus externus.

Perone suo fine per synarthrosin Tibiæ alligatur: in medio autẽ ambo à se inuicem penitùs abscedunt, vt Cubitus atque Radius.

Femori & Tibiæ communem præstat operam os rotundum, quod laxiorem vtriúsque articulum firmat, à Græcis ἐπιγονατὶς appellatum, quia ge- Rotula genu.

nu incumbit. Vulgus rotulam & patellam vocat.

Tarsi ossa. Tarsi ossa septem sunt, primum ab imis Tibiæ & Perones processibus comprehenditur, Græcis ἀστράγαλος dicitur, Latinis Talus, vulgò os balistæ.

Astragalus.

Calcaneum. Secundum os huic substratum, à Græcis πτέρνα, à Latinis Calx & Calcaneum appellatur, omnium crassissimum est, in quod trium musculorum tendines chordam efficientes inseruntur.

Scaphoïdes. Tertium à scaphæ similitudine σκαφοειδὴς, id est os nauiculare.

Cuboïdes. Quartum à cubi formâ κυβοειδὴς vocatur.

Sphenoïdea. Tria reliqua nullis propriis nominibus à vetustioribus Anatomicis donata sunt, à nobis tamen Sphenoïdea, id est cuneiformia, nuncupātur; quòd cuneorum instar nominatis ossibus stringendis firmandísque adiecta fuisse videantur.

Pedii ossa. Pedium inde inchoatur, quod nonnulli Metatarsum, alii Plantam appellant, ex quinque ossibus constructum.

Digitorum ossa. Postea Pedis digiti sunt siti, ad eorum, qui in manu sunt, similitudinē,

ternis ossium Phalangibus constituti omnes, excepto Pollice, qui duobus tantùm ossibus constat.

Articulantur per ginglymon.

Ad articulorum robur, sesamoïdea habent ossa, manus sesamoïdeis numero & situ similia. Ossa sesamoidea.

DE MVSCVLIS CRVS totum mouentibus.

D. Apertè Pedis ossa indicasti, musculos deinceps ossibus insertos, Pedum vndecunque mouentes ostende?

C. Femur flectunt duo musculi, vnus ex omnibus transuersis lumborum apophysibus descendens supra commissuram posteriorem ossis ilium & pubis, in paruum Trochanterem anticè inseritur, quem possis duplicem statuere, ψόας vocant Hippocrates & Galenus. Huic incubant renes. Vnde fit vt calculosis ναρκη τῶ μηρῶ κατ' ἴξιν, stupor in crure è directo persentiatur. Musculi Femoris Flexores 2. ψόας.

Alter Iliacus dictus, ex tota cauitate interna ossis ilium egressus, supra partem anteriorem capitis Femoris in eumdem Trochanterem crasso tendine inseritur. Iliacus.

Tensores 3. Extendunt Femur musculi tres natium authores, maior, medius, minimus, qui à coccyge, osse sacro, & superna ilium costa descēdentes, in magnum Trochanterem inseruntur.

Adducētes, Abducētes & Circūagentes. Adducunt, abducunt & circumagunt crus intrò & foras musculi nouem:

Triceps. Triceps, qui tria capita habet, à cōmissura ossis pubis orta, & tres insertiones in os Femoris sub paruo Trochantere.

Quadrigemini 6. Musculi sex quadrigemini, parui & propè transuersi, qui ab Ischii tubere prosilientes in Trochanterem magnum inseruntur: &

Obturatores 2. Obturatores duo, sic dicti; quòd foramen inter os pubis & Ischii patens obturent: vnus externus, qui à toto foraminis externo ambitu natus, in cauitatem Trochanteris magni fertur: alter internus, qui ab interno foraminis ambitu exortus, supra coxendicem extrorsū, trochleæ instar, reflectitur, & variis tendonibus auctus, tandem vnico in magnum Trochanterem inseritur.

Externus. Internus.

Musculi Tibiæ. Tibiam flectunt quatuor musculi

Postici appellati, quorum tres à tubere Ischii nascuntur, interiores duo, vnus Semineruosus, alter Gracilis dicitur, Tertius Exterior; Quartus Biceps, cuius caput alterum à commissura ossis pubis, alterum ab exteriore Femoris parte nascitur, ac vtrúmque vnico tendine in posteriorem Tibiæ partem inseritur. Flexores 4. Semineruosus. Gracilis. Externus. Biceps.

Extendunt Tibiam totidem, Rectus à spina inferna ossis ilium ortus: Extensores 4. Rectus.

Vasti duo, Externus à radice Trochanteris magni, & Internus à Trochantere paruo natus: atque Vasti 2. Externus. Internus.

Femoralis, qui Femoris ossi affixus est, vt Brachiæus Brachio. Ab aliis Crureus nuncupatur, quòd Cruris nomen pro Femore generaliter vsurpetur. Femoralis, aliàs Crureus.

Hi quatuor musculi communem tendinem crassum & latum conficiunt, quo patellam genu, totámque dearticulationem anteriorem contegunt.

Adducunt Tibiam intrò, musculi duo; Adductores 2.

Longus, vulgò Sutorius dictus, qui à spina ossis ilium exortus, obliquè in Longus.

Tibiam internam & anticam descendit: &

Popliteus. Popliteus, qui ab inferiore & exteriore Femoris tuberculo natus, in interiorem Tibiæ partem inseritur.

Abducitur vnicus. Mēbranosus. Abducitur Tibia, musculi vnius ministerio, qui Membranosus vocatur, quòd totus ferè talis sit, prætérquàm in ortu. Carnosus quippè à spina ossis ilium obliquè descendit, suo membranoso tendine latissimo in Tibiæ partem externam, ac omnes penè Femoris musculos inuestit, ad extremum vsque pedem excurrens.

Musculi pedis. Flexores 2 Tibiæus. Pedem flectunt musculi duo:

Tibiæus tibiæ anticæ affixus, qui à superna eius epiphysi ortus, tendine vnico, sed ad finem bifido, in maius os Pedii, & ossa duo Sphenoïdea inseritur: &

Peroneus. Peroneus biceps, vno capite à Perones epiphysi superna, altero à Perones medio natus, tendones geminos mittit, quorum maior sub planta obliquè delatus, in os Pedii è regione Pollicis inseritur, minor in os Minimi digiti fertur.

Extensores 4. Pedem extendunt musculi quatuor:

Gemelli duo, internus quidem ab interno Femoris capite, externus autem ab externo exorti. Gemelli 2.

Soleus omnium crassissimus, sub Gemellis situs, à Tibiæ & Perones commissura natus, qui tres in vnicum tendinem, crassissimum & validissimum Pternæ principio inserendum desinunt; & Soleus.

Plantaris Palmari respondens, omnium minimus & tenuissimus, qui egreditur carnosus ex cōdylo externo Tibiæ, & in gracilem tendinem desinit, quem transmittit inter Gemellos & Soleum ad plantam Pedis. Plantaris.

Digitos flectunt duo musculi, Magnus qui profundo, & Minor qui Sublimi respondet. Musculi digitorum. Flexores 2.

Ille à superna Tibiæ epiphysi oritur, & sub planta in quatuor finditur tendines, qui Minorem perforantes, in tertiam quatuor digitorum articulationem inseruntur: Magnus.

Hic in planta Pedis media situs, à Pterna inferna ortus, quatuor perforatis tendinibus, in secundum digitorum quatuor articulum fertur. Minor.

Digitos quatuor extendit musculus Extensor.

Maior. duplex: Vnus Maior, à summa & externa Tibia exortus, qui in Pedem sub annulo quinque desinit tendinibus, ad omnes digitorum articulos pergentibus:

minor. Alter Minor, sub Maiori latitans, à superiore Tarso carnosus prodiens, mox in quinque tendines desinit, pluribus digitis insertos.

Adductores 4. Lumbrici. Adducunt digitos lumbrici quatuor, à Digitûm flexoris Magni tendinibus enati.

Abductores 8. Interossei. Abducunt verò Interossei octo, à Pedii ossibus orti, & spatia Metatarsi opplentes.

Musculi Pollicis. Pollex peculiares habet musculos.

Flexor. Flectitur vnico à superiore Fibula prodeunte.

Extẽsor. Extenditur altero, à media Fibula enato, qui sæpè in duos tendines diuiditur.

Adductor. Adducitur vnius opera, ossi Pedii Maximo intus attensi.

Abductor. Abducitur ab alio, qui à Calcis interna parte carnoso enatus principio in primum Pollicis os inseritur.

Est & peculiaris musculus minimi digiti abductor, à Calce exortus, adeò

vthi Abductores, Tenari & Hypotenari respondeant.

DE NERVIS PER FEMVR, Tibiam & Pedem productis.

D. Pedis ossibus atque musculis dilucidè expositis, vasa nunc in aspectum profer, quæ motum, alimentum & vitam illis impertiunt, sumpto à neruis initio.

C. Per totum Pedem nerui quatuor insignes disseminantur, qui ex tribus infernis paribus lumborum, & quatuor superioribus ossis sacri nascuntur. Pedis totius nerui 4.

Primus & summus sub peritonæo ad paruum Trochanterem delapsus, in Cruris musculos, eiúsque internam & externam cutim, priusquàm genu attingat, absumitur. 1.

Secundus & inferior cum vena & arteria Crurali per inguen in Crus descendit, ramúmque insignem cum vena Malleoli per internum Femur, ad Pedem vsque, demittit, cuti vicinæ intereà ramulos largitus: maior autem pars cum vena & arteria in internos Cruris musculos dispergitur. 2.

Tertius his inferior surculos musculis penis & quibusdam cruris, nec- 3.

non cuti inguinali largitur, deinde in propinquos musculos supra Cruris medium desinit.

4. Quartus neruorum omnium crassissimus, siccissimus, validissimus, ex quatuor supernis Paribus ossis sacri ortus, inter os sacrum & ilium elapsus, ramulos vicinis partibus, vt cuti natium & cruris, necnon substratis musculis largitur: deinde in duos abit ramos, eorum minore secundum Peronem delapso, in Pedem superiorem digitis singulis binos dat surculos: maiore autem per Tibiam & pedem protenso, digitis singulis binos quoque dat ramos. Sed ambo hi rami musculorum capita & cutim tibiæ & pedis obiter adeunt & texunt.

DE VENIS ARTERIISQVE *vniuersum Pedem rigantibus.*

D. Demonstratis neruis, breui venarum & arteriarum demonstrationem expedi, vt Anatomico Examini finem imponam.

Trãsitus ad Venas & Arterias. C. Quemadmodum ascendentis Cauæ ramus Subclauius è thoracis cauitate exiliens, Axillaris dicitur, ab eóque Brachii & Manus venæ omnes

deriuantur

deriuantur: ita descendentis Cauæ ramus Iliacus, simul atque è Peritonæo elabitur, & ad inguina cruráque descendit, Cruralis appellationem sortitur.

Rami Cruralis diuisio.

Ramus hic Cruralis plures ex se promit surculos, per Femur, Tibiam & extremum Pedem, numerosa ramorum serie sparsos: Sex tamen maximè conspicuis ramis fruticatur.

Sunt autem hæ omnes propagines, Sapheïa, Ischias minor, Muscula, Poplitea, Suralis, & Ischias maior.

Saphena.

Sapheïa Græcis dicta, quia semper apparet & conspicua est, vulgò Saphena, sub inguine nata, duplex est: interior, qua bubonum fluxio fit, in eius loci glandulas absumitur: exterior per Cruris longitudinem inter cutim & membranam carnosam delata, sub genu in duos ramos scinditur, vno ad Malleolum internum, altero ad Malleolum externum descendit, & in Pedis cutim tandem absumitur.

Ischias minor.

Ischias minor è regione Saphenæ in anteriorem Ischii cutim, & eius loci musculos, distribuitur.

Musculа. Muscula in duos finditur ramos, minor in Tibiæ musculos Extensores, riuos diffundit: maior profundior, in omnes ferè Femoris musculos diuaricatur.

Poplitea. Poplitea ex ramis duobus Cruralis coëuntibus conflata, surculis aliquot in Cruris cutim posticam sparsis, per medium Poplitem delapsa, nunc in suræ cutim absumitur, nunc ad Calcem vsque descendit, nunc per externum Malleolum fertur.

Suralis. Suralis in Suræ musculos & cutim Tibiæ internæ disseminata, circa Malleolum internum reflexa, latus internum Pedis, & cutim Pollicis, rarò alios digitos adit.

Ischias maior. Ischias maior portione maiore per Suræ musculos delata, absumitur in surculos decem, singulis scilicet digitis binos: minore autem inter Peronem & Calcem cessante, interdum perforato medio ligamento in musculum, digitum pedis abducentem, & cutim spargitur.

Arteria Cruralis. Cruralis arteria iisdem ferè riuulis fruticatur, adeò vt vena comitem ferè semper habeat arteriam.

DECANI IVDICIVM
de Candidati merito.

Eruditionis industriæque tuæ specimen, Candidate, Physiologico & Anatomico examine nobis exhibuisti: si de cæteris Medicinæ partibus Collegis meis tecum disputaturis, ita solerter & acutè responderis, Apollinari laurea te dignum iudico.



DISPVTATIO II. DE REBVS NON NATVRALIBVS, in quarum legitimo vſu ὑγιεινὴ conſiſtit.

DOCTOR II.

Quæ & quot ſint res non naturales.

Expoſitis rebus naturalibus, ad res non naturales tranſeundum eſt. Quænam ſunt res non naturales?

CANDIDATVS.

Quæ naturalem hominis conſtitutionem tuentur.

D. Cur ſic dicuntur?

C. Quia non ſunt de hominis natura, nec contra illius naturam.

D. Quot ſunt res non naturales.

C. Sex ſunt numero, aër ambiens, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excretio & retentio, ac animi pathemata, in quarum legitimo vſu ſanitatis tuendæ methodus, ὑγιεινὴ Græcis dicta, conſiſtit.

D. Súntne omnes ad humani corporis conseruationem necessaria?

C. Adeò necessariæ sunt, vt sine singularum vsu, ne humana quidem vita diu subsistere queat. Quia enim perennis fit triplicis substantię nostrę ab innato calore dissipatio; spirituosa ab aëre, solida à cibo, humida à potu necessariò instauranda. Somnus item necessarius ad cibos probè concoquendos, ac exolutos spiritus resarciendos: vigilia subinde requiritur, ad functiones animales edendas. Exercitatio etiam necessaria ad natiuum calorem suscitandum: Alterna requie opus est, ad membra labore fatigata leuãda. Cúmque natura totum quod assumitur alimentum in nostram substantiam conuertere non possit, excrementa necessariò excernenda. Animi insuper Pathemata vitari nequeunt, ratione obiecti boni vel mali: licet immoderatæ animi passiones, quæ peculiariter à nobis perturbationes appellantur, foras sint ablegandæ.

Vt singulæ ad corporis tutelam necessariæ.

D. Quibus constituitur sanitatis tuendæ methodus?

Quibus constat sanitatis tuendæ methodus.

C. Conuenienti singularum rerum

non naturalium qualitate, quantitate, vtendi modo & tempore.

D. Clarior erit Hygiastica methodus, per dichotomias hoc modo constituta: Hygieine est Medicinæ pars, quæ naturalem Hominis constitutionem conseruat incolumem, substantiæ nostræ defectum reparando, & hospites nobis infestos eijciendo. Substantiæ nostræ defectus reparatur introductione 1. aëris. 2. cibi & potus: & alternatione 1. somni & vigiliæ: 2. motus & quietis. Hospites nobis infesti eijciuntur amandatione excrementorum corporis, & perturbationum animi. Perficietur methodus, primùm cuiúsque rei non naturalis qualitatem & quantitatem, dein vtendi modum & tempus explanando.

DE AERE AMBIENTE.

Qualis aër ad bonam valetudinem tuendam eligendus?

Aëris qualitas.

C. Qui nec crassus, nec densus, nec ob stagnum aut flumen vicinum nebulosus, sed tenuis & serenus: nec calidior, nec frigidior, nec siccior, nec humidior, sed temperatus: nec lacuum, paludum, cloacarum halitu, nec graui cadauerum expiratione infectus, nec fimo aliarúmque rerum

inferiorum vel superiorum putredine inquinatus, sed purus: nec qui editis vndique montibus in valle, cauóque loco inclusus, nullis perflatur ventis.

D. Quantum aëris ducere expedit?

C. Validi, quò vberiùs aëre libero fruuntur, eò meliùs se habent. Sed imbecillis, & iam recens à morbo conualescentibus, ex incluso aëre in liberum apertúmque, transitus est periculosus. Quantitas.

D. Quomodo igitur in aëris vsu se gerere debent?

C. Sensim ac pedetentim liberiori aëri assuescere oportet. Vtendi modus.

D. Quando tutiùs aëri libero se exponere poterunt?

C. Serenis diebus, cùm nec Solaribus radiis nimioperè excalfactus, nec præter modum refrigeratus, nec ventorum impetu exagitatus fuerit. Tẽpus.

DE CIBO ET POTV.

D. Qualis cibus ad sanitatem conseruandam eligendus?

C. Cibus εὔχυμος boni succi, εὔπεπτος facilis concoctionis, & qui minimum excrementi habet, perpetuò eligendus est. Fugiendus verò κακόχυμος ma- Cibus qualis.

lo succo præditus, δύσπεπτος concoctu difficilis ac excrementis abundans.

D. Quínam boni succi cibus?

C. Qui neque iusto calidior, neque frigidior, neque siccior, neque humidior, sed εὔκρατος temperatus; neque glutinosior, neque tenuior est, sed συμμέτρως mediocris, boni succi habetur: quia sanguinem gignit temperaturæ & consistentiæ laudabilis, vt qui nec crassior, nec serosior existat.

D. Quantum cibi assumendum?

Quantitas. C. Tantum cibi ingerendum, quantum dissipatæ corporis substantiæ resarciendæ sit satis. Quocirca qui calido innato abundant, quíque plurimum exercentur, quia insignem substantiæ suæ iacturam faciunt, plurimo egent alimento: qui verò parum habent calidi innati, otióque fruuntur, minimo. Quò autem moderatior, simpliciórque victus extiterit, eò naturæ familiarior. Vtque sobrietas saluberrima, sic cibi copia, varietásque, ventriculo negotium facessit.

D. *Quis cibandi modus?*

Cibandi modus. C. Cibus antequam transglutiatur, accuratè dentibus masticari debet,

quò faciliùs in ventriculo concoqui possit. In cibis insuper assumendis is seruandus ordo, vt liquidi solidis, leues grauibus, εὔπεπτοι δυσπέπτοις, ac lubrificantes astringentibus pręmittantur.

D. Quando cibus est assumendus?

C. Assumendus cibus consuetâ horâ, priore confecto, & in aluum demisso, prægressa exercitatione, iámque illiciente appetitu; vt natura, quæ stato tempore suas functiones obit, illius concoctioni alacriùs incumbat. Et tempus.

D. Qualis potus ad bonam valetudinem confert?

C. Inter omnia potus genera, vinum primas tenet. Sed rubellum, nonnumquam album, clarum, tenue; non dulce, non acerbum, sed maturum, lene, minùs vehemés eligendum: ídque per æstatem dilutius, per hyemem meracius bibendum. Sed valdè calidis hominum temperamentis aqua vino est commodior. Optima verò est quæ limpidissima & leuissima, omníque tum odoris tum saporis vitio carens. Cereuisia ex aqua, hordeo & lupulo probè confecta, iis populis Potus qualitas.

qui Aquilonares regiones incolunt, potus est non ineptus; modò sit clara, tenuis, non recens, nec vetusta nimium. Pomaceum & pyraceum zytho præstantiora.

D. Controuersam quæstionem hîc discutiendam tibi propono: Vtrum malorum, an pyrorum salubrius vinum?

Cur pyraceum pomaceo salubrius.

C. Id salubrius vinum est, quodè salubriori fructu exprimitur:

Sed pyra malis salubriora sunt;

Ergo vinum è pyris expressum, erit salubrius.

Censura Cauillatoris.

D. Neotericus tamen Censor, nescio quis, è Senecione nomen sortitus, Frambesarium reprehendit, ratione & veterum Archiatrôn authoritate demonstrantem, roborando stomacho aptiorem, ac proinde corpori salubriorem esse, pyrorum quàm malorum; viníque è pyris, quàm è malis expressi vsum.

Explo-ditur à Candi-dato.

C. Nouus ille doctor à vera senum doctrina desciscens, dum cupidè sibi famam obtrectatione alienæ scientiæ aucupatur, inscitiæ suæ specimen exhibet. Quid sibi vult? Nonne ex Dioscoridis, Galeni, aliorúmque Principum Medicorum decretis, fructus

ſicciores humidioribus ὑγρότεροι? quia ſiccitas nullùm facit excrementorum prouentum, reſiſtitque putredini; humiditas verò excrementorum copiam gignit, quæ morborum ſoboles exiſtit: At pyra pomis ſicciora ſunt, ac manifeſta inſuper adſtrictione prædita. Vnde εὐςόμαχα, ac facultati concoctrici corroborandæ idonea eſſe perhibentur: poma verò κακοςόμαχα, quia ventriculum nimia humiditate diſſoluũt. Pyraceum igitur pomaceo præſtat, quia minùs humectat, magíſque refrigerat, ac adſtringendi vim poſſidet à ſua ſubſtantia terreſtri profectam; necnon & occulta quadam proprietate, vitio, à fungorum eſu cõtracto auxiliatur. Nec eſt quod obiiciat, ex acerbis aut acidis pyris confectum pyraceum, nimioperè ventriculum refrigerare, digeſtionem impedire, diutiùs in hypochondriis remorari, tardiúſque per vrinas & aluũ permeare, quin & Colicos cruciatus & lumbricos parere. Eadem enim ſymptomata gignit pomaceum, ex acerbis aut acidis malis paratum. Sed hæc vt præcaueantur, vtrúmque &

Obiectio Cẽſoris.

Reſponſio Candidati.

maturis fructibus, iisque non aquã perfusis, sed synceris, concinnandum; nec alterutro vtendum, nisi defæcato, limpido, & perfectam in dolio maturitatem adepto. Sic naturis impensè calidis pyraceum tutò potandum exhibebitur: vt minùs calidis pomaceũ. Nec nisi falsò potest asserere poma pyris omnibus leuiora esse; cùm præsertim pyra Certeola Gallis dicta, & alia id genus, in vase aqua pleno supernatent, non aliter atque poma, licet nonnulla magis terrestria fundum petant, non secùs ac cotonea, quæ nihilominus habentur ἰσοσμαχώτερα. Inde pyraceum pomaceo salubrius esse, contra Censorem concludo.

D. Perdocte Candidate, acerrimus Frambesarianæ doctrinæ vindex extitisti; & quæ in luculentum Scriptorem coniecta fuerant, ingeniosè in suum Authorem tela retorsisti. Satis iam de potus qualitate, ad quantitatem transeundum. Quænam potionis quantitas idonea?

Quantitas. C. Quæ assumpto cibo respondet. Cùm solidiora & sicciora ingeruntur alimenta, liberalior: vbi liquidiora & humidiora, parcior potus conuenit.

At potio vini si largior æquo sumpta fuerit, corporis & animi vires conuellit, maturámque senectutem accelerat.

D. Quis bibendi modus?

C. Profusior bibendi modus in pastu improbatur, quia cibi fluctuationem in ventriculo parit. Nec parcior laudatur, quia sitim non extinguit. Si frequentiùs bibatur, cibi concoctio impeditur. Omnis autem potio siue vini, siue cereuisiæ frigidior, vel ex aqua puteana, vel ex niue, quæ ad æstiuos vsque ardores reseruata fuerit, vel ex sale nitri effecta, maximè vitari debet, vt neruis omnibus nocétissima. **Bibendi modus.**

D. Quando in mensa bibendum esse iudicas?

C. Vt fames, edendi necessitatem arguit; sic ab esu sitis vrgens, tempestiuum esse potum testatur, ad supplendum humiditatis defectum. Ac licet nulla sitis adsit, vbi dimidium solidioris cibi iam assumptum fuerit, potus videtur necessarius, ad eum in ventriculo diluendum, & madefaciendum, quò faciliùs digeri & ad hepar deferri queat: propterea quòd potus, **Et tempus.**

vt monet Erasistratus, cibi vehiculum est. Sed ante cibum, & statim à pastu, & à balneo, & dum sudore perfunditur corpus, à potu temperandum est.

DE SOMNO ET VIGILIA.

D. Qualis somnus ad corporis incolumitatem esse debet?

Qualis somnus esse debet.

C. Placidus, profundus & mediocris. Nec enim laudabilis somnus, qui turbulentis agitatur insomniis, quique adeò leuis, vt statim soluatur, ac plerúmque interrumpatur. Peior etiã immodicus. Siquidem ne excrementa opportunè expellantur, sed iusto longiùs in corpore detineantur efficit, perittomatôn copiam parit, frigidius & humidius cerebrum reddit, capitis grauitatem accersit, mentis torporem, sensúsque hebetudinem inducit.

D. Quamdiu dormire expedit?

Quantisper dormiēdum.

C. Quantisper sit dormiendum ex alimentorum perfecta concoctione æstimatur. Etsi autem omnium vna & eadem somni quantitas esse nequit, quòd nonnulli citiùs, alij tardiùs concoctionem perficiant: magna tamen ex parte, sex, septem, vel ad summum octo horarum spatio circũscribitur:

ſomni duratio. Ad ſomni tamen quantitatem limitatiùs definiendam, temperamentum, ætas, alimentum & labor antecedens, conſideranda. Longior quippè ſomnus conuenit bilioſis, quàm pituitoſis; ſenibus, quàm iunioribus; iis quibus liberalior, quàm quibus frugalior heſterna fuit cœna; necnon & iis quibus improbus corporis aut animi præceſſit labor, quàm quibus nullus.

D. Quænam eſt conueniens in ſomno capeſſendo decubitus forma?

Quæ ſit conueniens in ſomno forma decubitus.

C. In dextrum latus imprimis fiat decubitus, vt cibus promptiùs in ventriculi fundum deſcendat; dein in ſiniſtrum, vt iecore, ventriculo magis incumbente, adiuuetur concoctio. Qua perfecta, in latus dextrum rurſus decumbendum, vt chylus faciliùs iecori diſtribuatur. Adde quòd ab vno in alterum latus per vices decubitus fatigationem non parum leuet. Supinus decubitus damnatur ab omnibus, quòd grauium morborum ſit occaſio. Pronus iis potiſſimum noxius qui oculorum defluxione laborant.

D. Quo tempore ſalubrior ſomnus?

Quod aptius somni tempus.

C. Tempus somni conuenientissimum est nocturnum, duabus aut tribus à cœna horis. Quippè nox propter suam humiditatem ac tranquillitatem ad somnum est aptissima. Præterea satis temporis, quoad absoluta fiat ciborum concoctio, habet, ita vt somnum interrumpere negotiorum gratia noctu non sit necesse. Diurnus contra nocentissimus, quod cerebrum nimia humiditate oppleat, quam potiùs vigiliis exiccantibus dissipare oportet.

D. Quænam vigiliæ salubres?

Quæ vigiliæ salubres, & insalubres.

C. Vt somnus mediocris confert, immodicus verò noxius; sic moderatæ vigiliæ prosunt, immoderatæ autem obsunt. Quemadmodum enim somnus immodicus cerebrum plus æquo refrigerat & humectat: ita vigiliæ, vbi modum excedunt, cerebri temperaturam labefactant, sensus debilitant, virtutem deiiciunt, concoctionem impediunt, cruditatémque pariunt; quòd per vigilias natiuus calor cum sanguine & spiritu ad exteriora moueatur. Vtque diurnus somnus intempestiuus, ita diurnæ vigiliæ

tempeſtiuæ. Quocirca Hippocratis præcepto τὴν ἡμέρην ἐγρηγορέναι, interdiu vigilare; καὶ τὴν νύκτα καθεύδειν, ac noctu dormire, expedit; quia per ſomnum nocturnum meliùs fit concoctio: interdiu autem vigilando alimenti diſtributio & excrementorum expulſio commodiùs perficitur, præterquàm quòd facultas animalis ad ſuas functiones obeundas diei calore & lumine excitatur.

DE EXERCITATIONE.

D. Qualis exercitatio eſſe debet?

C. Nec lenior, nec vehementior, nec velocior, nec tardior, ſed mediocris exercitatio eſſe debet. Pituitoſis tamen valentius ac promptius, bilioſis verò mitius ac moderatius exercitium confert. Æquale exercitium inæquali præfertur. Corporis exercitium, quod animum oblectat, longè ſalubrius. **Qualis exercitatio eſſe debeat.**

D. Quandiu exercitatio eſt ſubeunda?

C. Exercitandum corpus, dum ſatis incaleſcat, & intumeſcat, & color floridus appareat, ac ſudor cum calido vapore miſtus cernatur, reſpiratio ſit magna & facilis, ac quãdiu motus **Quãdiu per exercitiũ ſit ſubeundum.**

alacriter, æquabiliter, & cõtinuè editur. Simul ac aliquid horum immutatum fuerit, illicò desistendum, ne corpus diuturniori exercitio frigidius, aridius & gracilius tandem euadat. Perpetuò autem exercitium victui respondere debet. Quò enim quis liberaliori vel frugaliori victu vtitur, eò maiori vel minori eget exercitio.

D. Quínam est exercitationis modus?

Exercitationis modus. C. Toties exercitatio requiritur, quoties corpus pascitur. Motus initio lentus, dein vehementior, ac tandem lenior fieri debet.

D. Quódnam tempus exercitationi aptum?

Et tempus. C. Tempus exercitationi opportunum est, vbi perfecta fuerit cibi concoctio: Cùm autem exercitatio calorem natiuum suscitet, sine quo cibus perfectè concoqui nequit, ante pastum perpetuò adeunda est. Adde quòd multa exercitium absumat perittomata, quæ prius expellenda sunt, quàm cibus ingeratur. Post pastum verò, exercitatio valdè noxia, quòd agitatio cibum è ventriculo protrudat, antequàm fuerit concoctus; vnde

magnus in venis cruditatum prouentus, ex quo plurimi oriuntur morbi. Non eſt etiam exercitatio ineunda, niſi euacuatis prius excrementis, quæ vel in veſica, vel in inferiore aluo continentur. Verendum námque eſt, ne quid ex iis in habitum corporis, vi caloris, qui per exercitationem accenditur, rapiatur.

DE QVIETE.

D. Quando quies requiritur?

C. Vbi ex multa motione corpus eſt defatigatum. Quies quæ ſalubris & quæ inſalubris.

In omni quippe corporis motu (inquit *Hippocrates aph.* 48. *lib.* 2.) cùm fatigari quiſpiam cœperit, quies confeſtim laſſitudinis remedium eſt. Id quod confirmat *Ouidius* 4. *Epiſt.*

Quod caret altera requie, durabile nō eſt,
Hæc reparat vires, feſſáque membra leuat.

Animo denique curis & ſtudiis feſſo ſua relaxatione ac remiſſione opus eſt, quam niſi concedas, non eſt cur diu vigorem eius conſeruare poſſis, vt rectiſſimè idem dixerit Ouidius:

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis,

Sed vt quies est salubris, vbi mediocris; ita insalubris, vbi immodica est. Corporis quippè & animi vigorem obtundit, cruditatémque parit. Vt enim per exercitium calor natiuus augetur, adeóque ciborum concoctio fit expeditior; ita per otium extinguitur, & ciborum concoctio impeditur.

DE EXCREMENTIS.

D. *Quænam excrementa salubria?*

Quęnam excremēta salubria.

C. Excrementa singula, si moderatè ac tempestiuè excernantur, salubria sunt. Si verò cohibeantur, vel moram in corpore diutiùs trahāt, putrescunt, variáque morborum genera inuehunt. Quamobrem ad tuendam valetudinem ea sunt artis præsidio maturè euacuanda.

D. *At euacuatio artificiosa sanis non conuenit: quia, ex Hippocrate, sani, dum catharticis purgantur, citò exoluuntur, Aphor. 2.*

An retētorum excrementorum euacuatio arte molienda.

C. Id intelligendum de valentibus, qui inculpato sunt corporis habitu, quíque sibi viuunt, & ante cibum corpus & animum exercendi, & accuratam cibi benè conçoquendi cu-

tam habent:sed qui legitimam victus rationem non seruant, vel propter intemperantiam, vel negotia, vel eorum, quæ fieri opus est, ignorantiam, quantumuis sani & valentes, à morbis tuti esse nequeunt, nisi alui per interualla ducendæ prouidentia, & potentioris etiam aliquãdo purgationis vsu, & administrata tempestiuè Phlebotomia, & opportuna medicamentorum potione, quæ concoquendi, attenuandi, abstergendíque vi polleant, vt libro de euchymia Galenus scriptum reliquit.

D. Quid ad euacuationis quantitatem definiendam animaduertendum?

C. Virium ratio perpetuò habenda. Quælibet enim euacuatio, si modum excesserit, periculosa, quia vires prosternit. **Euacuationis quãtitas.**

D. Quis euacuandi modus?

C. Vbi plurima est superuacanea materia, parcè & paulatim, non semel & vniuersim, vacuanda est; ne corpus nimiopere debilitetur. Sati' est igitur Phlebotomiam sæpiùs administrare, quàm nimiam sanguinis copiam semel extrahere. Clementer item cor- **Modus.**

pus per epicrasim repurgare tutiùs, quàm vehementiùs illi catharticũ semel exhibere. Sic sudorem, vrinam & menses, iteratis potius medicamentis blandioribus, quàm vnico vehementiori, ciere præstat. Sic per interualla moderatus Veneris vsus ad secundam valetudinem tantò concupiscendus, quantò frequentior & immoderatior pertimescendus.

D. Quod tempus moliendæ vacuationi opportunius?

Et tempus. C. Ex anni temporibus ver corpori per sanguinis missionem aut purgationem vacuando aptissimum, vt testatur Hippocrates. Aph. 47. lib. 9. quia tunc (inquit Philotheus) neque ingens viget æstus qui corporis dialysim faciat; neque frigus, quod humorum concretionem afferat, sed potiùs bona temperies. Autumno item Galenus humorum superuacaneorum euacuationem molitur, ad morborum inde oriundorum præcautionem. Excrementa, quæ sua qualitate noxia, vt alui fæces, vrina, sudor, mucus & sputum, quotidie vacuanda sunt: seu quæ quantitate

duntaxat peccant, vt ſemen & menſes, retinenda quidem ſunt, quoúſque copiâ ſuâ moleſtare incipiunt.

A primo ſomno moderata Venus, ſiue ad tuendam valetudinem, ſiue ad propagandam prolem vtilior; quia ſeminis coctio tunc perfecta eſt, diſſipatorúmque ſpirituum iactura conſequente ſomno reſarcitur. Profluentibus menſibus concubitus prohibetur, ne fœtus gignatur elephanticus. Nec pleno, nec ieiuno ventriculo coïtus confert. Vernum tempus Veneri idoneum. Ætas item iuuenilis Veneri accommodata. Reliquæ enim ſemen aut prorſus nullum, aut infœcundum habent. Vbi menſes ſubſiſtunt, eo tempore ſunt arte prouocandi, quo fluere antea conſueuerant, vt ſit natura adiutrix. Nec grauidis mulieribus, nec nutricibus, nec iunioribus, nec vetulis vnquam procurandi ſunt.

DE ANIMI PATHEMATIS.

D. Ex omnibus rebus non naturalibus ad proſperam valetudinem pertinentibus, τὰ τῆς ψυχῆς παθήματα *reſtant, quæ à* L*atinis animi perturbationes appellantur. Aperias velim quæ & quot ſunt, ac ſalu-*

maturis fructibus, iiſque non aquā perfuſis, ſed ſynceris, concinnandum; nec alterutro vtendum, niſi defæcato, limpido, & perfectam in dolio maturitatem adepto. Sic naturis impensè calidis pyraceum tutò potandum exhibebitur: vt minùs calidis pomaceū. Nec niſi falsò poteſt aſſerere poma pyris omnibus leuiora eſſe; cùm præſertim pyra Certeola Gallis dicta, & alia id genus, in vaſe aqua pleno ſupernatent, non aliter atque poma, licet nonnulla magis terreſtria fundum petant, non ſecùs ac cotonea, quæ nihilominus habentur ἰσοϱμαχῶντες. Inde pyraceum pomaceo ſalubrius eſſe, contra Cenſorem concludo.

D. Perdocte Candidate, acerrimus Frambeſarianæ doctrinæ vindex extitiſti; & quæ in luculentum Scriptorem coniecta fuerant, ingenioſè in ſuum Authorem tela retorſiſti. Satis iam de potus qualitate, ad quantitatem tranſeundum. Quænam potionis quantitas idonea?

Quantitas. C. Quæ aſſumpto cibo reſpondet. Cùm ſolidiora & ſicciora ingeruntur alimenta, liberalior: vbi liquidiora & humidiora, parcior potus conuenit.

At potio vini si largior æquo sumpta fuerit, corporis & animi vires conuellit, maturámque senectutem accelerat.

D. Quis bibendi modus?

C. Profusior bibendi modus in pastu improbatur, quia cibi fluctuationem in ventriculo parit. Nec parcior laudatur, quia sitim non extinguit. Si frequentiùs bibatur, cibi concoctio impeditur. Omnis autem potio siue vini, siue cereuisiæ frigidior, vel ex aqua puteana, vel ex niue, quæ ad æstiuos vsque ardores reseruata fuerit, vel ex sale nitri effecta, maximè vitari debet, vt neruis omnibus nocētissima. **Bibendi modus.**

D. Quando in mensa bibendum esse iudicas?

C. Vt fames, edendi necessitatem arguit; sic ab esu sitis vrgens, tempestiuum esse potum testatur, ad supplendum humiditatis defectum. Ac licet nulla sitis adsit, vbi dimidium solidioris cibi iam assumptum fuerit, potus videtur necessarius, ad eum in ventriculo diluendum, & madefaciendum, quò faciliùs digeri & ad hepar deferri queat: propterea quòd potus, **Et tempus.**

vt monet Erasistratus, cibi vehiculum est. Sed ante cibum, & statim à pastu, & à balneo, & dum sudore perfunditur corpus, à potu temperandum est.

DE SOMNO ET VIGILIA.

D. Qualis somnus ad corporis incolumitatem esse debet?

Qualis somnus esse debet.

C. Placidus, profundus & mediocris. Nec enim laudabilis somnus, qui turbulentis agitatur insomniis, quique adeò leuis, vt statim soluatur, ac plerúmque interrumpatur. Peior etiã immodicus. Siquidem ne excrementa opportunè expellantur, sed iusto longiùs in corpore detineantur efficit, perittomatôn copiam parit, frigidius & humidius cerebrum reddit, capitis grauitatem accersit, mentis torporem, sensúsque hebetudinem inducit.

D. Quamdiu dormire expedit?

Quantisper dormiendum.

C. Quantisper sit dormiendum ex alimentorum perfecta concoctione æstimatur. Etsi autem omnium vna & eadem somni quantitas esse nequit, quòd nonnulli citiùs, alij tardiùs concoctionem perficiant: magna tamen ex parte, sex, septem, vel ad summum octo horarum spatio circũscribitur

somni duratio. Ad somni tamen quantitatem limitatiùs definiendam, temperamentum, ætas, alimentum & labor antecedens, consideranda. Longior quippè somnus conuenit biliosis, quàm pituitosis; senibus, quàm iunioribus; iis quibus liberalior, quàm quibus frugalior hesterna fuit cœna; necnon & iis quibus improbus corporis aut animi præcessit labor, quàm quibus nullus.

D. Quænam est conueniens in somno capessendo decubitus forma?

C. In dextrum latus imprimis fiat decubitus, vt cibus promptiùs in ventriculi fundum descendat; dein in sinistrum, vt iecore, ventriculo magis incumbente, adiuuetur concoctio. Qua perfecta, in latus dextrum rursus decumbendum, vt chylus faciliùs iecori distribuatur. Adde quòd ab vno in alterum latus per vices decubitus fatigationem non parum leuet. Supinus decubitus damnatur ab omnibus, quòd grauium morborum sit occasio. Pronus iis potissimum noxius qui oculorum defluxione laborant.

Quæ sit conueniens in somno forma decubitus.

D. Quo tempore salubrior somnus?

Quod aptius somni tempus.

C. Tempus somni conuenientissimum est nocturnum, duabus aut tribus à cœna horis. Quippè nox propter suam humiditatem ac tranquillitatem ad somnum est aptissima. Præterea satis temporis, quoad absoluta fiat ciborum concoctio, habet, ita vt somnum interrumpere negotiorum gratia noctu non sit necesse. Diurnus contra nocentissimus, quod cerebrum nimia humiditate oppleat, quam potiùs vigiliis exiccantibus dissipare oportet.

D. Quænam vigiliæ salubres?

Quæ vigiliæ salubres, & insalubres.

C. Vt somnus mediocris confert, immodicus verò noxius; sic moderatæ vigiliæ prosunt, immoderatæ autem obsunt. Quemadmodum enim somnus immodicus cerebrum plus æquo refrigerat & humectat: ita vigiliæ, vbi modum excedunt, cerebri temperaturam labefactant, sensus debilitant, virtutem deiiciunt, concoctionem impediunt, cruditatémque pariunt; quòd per vigilias natiuus calor cum sanguine & spiritu ad exteriora moueatur. Vtque diurnus somnus intempestiuus, ita diurnæ vigiliæ

tempeſtiuæ. Quocirca Hippocratis præcepto τὴν ἡμέρην ἐγρηγορέναι, interdiu vigilare; ϗ τὴν νύκτα καθεύδειν, ac noctu dormire, expedit; quia per ſomnum nocturnum meliùs fit concoctio: interdiu autem vigilando alimenti diſtributio & excrementorum expulſio commodiùs perficitur, præterquàm quòd facultas animalis ad ſuas functiones obeundas diei calore & lumine excitatur.

DE EXERCITATIONE.

D. Qualis exercitatio eſſe debet?

C. Nec lenior, nec vehementior, nec velocior, nec tardior, ſed mediocris exercitatio eſſe debet. Pituitoſis tamen valentius ac promptius, bilioſis verò mitius ac moderatius exercitium confert. Æquale exercitium inæquali præfertur. Corporis exercitium, quod animum oblectat, longè ſalubrius.

Qualis exercitatio eſſe debeat.

D. Quandiu exercitatio eſt ſubeunda?

C. Exercitandum corpus, dum ſatis incaleſcat, & intumeſcat, & color floridus appareat, ac ſudor cum calido vapore miſtus cernatur, reſpiratio ſit magna & facilis, ac quãdiu motus

Quãdiu per exercitiũ ſit ſubeundum.

alacriter, æquabiliter, & cõtinuè editur. Simul ac aliquid horum immutatum fuerit, illicò desistendum, ne corpus diuturniori exercitio frigidius, aridius & gracilius tandem euadat. Perpetuò autem exercitium victui respondere debet. Quò enim quis liberaliori vel frugaliori victu vtitur, eò maiori vel minori eget exercitio.

D. Quínam est exercitationis modus?

Exercitationis modus.

C. Toties exercitatio requiritur, quoties corpus pascitur. Motus initio lentus, dein vehementior, ac tandem lenior fieri debet.

D. Quódnam tempus exercitationi aptum?

Et tempus.

C. Tempus exercitationi opportunum est, vbi perfecta fuerit cibi concoctio: Cùm autem exercitatio calorem natiuum suscitet, sine quo cibus perfectè concoqui nequit, ante pastum perpetuò adeunda est. Adde quòd multa exercitium absumat perittomata, quæ prius expellenda sunt, quàm cibus ingeratur. Post pastum verò, exercitatio valdè noxia, quòd agitatio cibum è ventriculo protrudat, antequàm fuerit concoctus; vnde

magnus in venis cruditatum prouentus, ex quo plurimi oriuntur morbi. Non est etiam exercitatio ineunda, nisi euacuatis prius excrementis, quæ vel in vesica, vel in inferiore aluo continentur. Verendum námque est, ne quid ex iis in habitum corporis, vi caloris, qui per exercitationem accenditur, rapiatur.

DE QVIETE.

D. *Quando quies requiritur?*

C. Vbi ex multa motione corpus est defatigatum. Quies quæ salubris & quæ insalubris.

In omni quippe corporis motu (inquit *Hippocrates aph.* 48. *lib.* 2.) cùm fatigari quispiam cœperit, quies confestim lassitudinis remedium est. Id quod confirmat *Ouidius* 4. *Epist.*

Quod caret altera requie, durabile nō est,
Hæc reparat vires, fessáque membra leuat.

Animo denique curis & studiis fesso sua relaxatione ac remissione opus est, quam nisi concedas, non est cur diu vigorem eius conseruare possis, vt rectissimè idem dixerit Ouidius:

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,

Sed vt quies est salubris, vbi mediocris; ita insalubris, vbi immodica est. Corporis quippè & animi vigorem obtundit, cruditatémque parit. Vt enim per exercitium calor natiuus augetur, adeóque ciborum concoctio fit expeditior; ita per otium extinguitur, & ciborum concoctio impeditur.

DE EXCREMENTIS.

D. *Quænam excrementa salubria?*

Quęnam excremēta salubria.

C. Excrementa singula, si moderatè ac tempestiuè excernantur, salubria sunt. Si verò cohibeantur, vel moram in corpore diutiùs trahāt, putrescunt, variáque morborum genera inuehunt. Quamobrem ad tuendam valetudinem ea sunt artis præsidio maturè euacuanda.

D. *At euacuatio artificiosa sanis non conuenit: quia, ex Hippocrate, sani, dum catharticis purgantur, citò exoluuntur, Aphor. 2.*

An retētorum excrementorum euacuatio arte moliend a.

C. Id intelligendum de valentibus, qui inculpato sunt corporis habitu, quíque sibi viuunt, & ante cibum corpus & animum exercendi, & accuratam cibi benè conçoquendi cu-

tam habent: sed qui legitimam victus rationem non seruant, vel propter intemperantiam, vel negotia, vel eorum, quæ fieri opus est, ignorantiam, quantumuis sani & valentes, à morbis tuti esse nequeunt, nisi alui per interualla ducendæ prouidentia, & potentioris etiam aliquãdo purgationis vsu, & administrata tempestiuè Phlebotomia, & opportuna medicamentorum potione, quæ concoquendi, attenuandi, abstergendíque vi polleant, vt libro de euchymia Galenus scriptum reliquit.

D. Quid ad euacuationis quantitatem definiendam animaduertendum?

C. Virium ratio perpetuò habenda. Quælibet enim euacuatio, si modum excesserit, periculosa, quia vires prosternit. **Euacuationis quãtitas.**

D. Quis euacuandi modus?

C. Vbi plurima est superuacanea materia, parcè & paulatim, non semel & vniuersim, vacuanda est; ne corpus nimiopere debilitetur. Sati' est igitur Phlebotomiam sæpiùs administrare, quàm nimiam sanguinis copiam semel extrahere. Clementer item cor- **Modus.**

pus per epicrasim repurgare tutiùs, quàm vehementiùs illi catharticũ semel exhibere. Sic sudorem, vrinam & menses, iteratis potius medicamentis blandioribus, quàm vnico vehementiori, ciere præstat. Sic per interualla moderatus Veneris vsus ad secundam valetudinem tantò concupiscendus, quantò frequentior & immoderatior pertimescendus.

D. Quod tempus moliendæ vacuationi opportunius?

Ex tempus. C. Ex anni temporibus ver corpori per sanguinis missionem aut purgationem vacuando aptissimum, vt testatur Hippocrates. Aph. 47. lib. 9. quia tunc (inquit Philotheus) neque ingens viget æstus qui corporis dialysim faciat; neque frigus, quod humorum concretionem afferat, sed potiùs bona temperies. Autumno item Galenus humorum superuacaneorum euacuationem molitur, ad morborum inde oriundorum præcautionem. Excrementa, quæ sua qualitate noxia, vt alui fæces, vrina, sudor, mucus & sputum, quotidie vacuanda sunt: seu quæ quantitate

duntaxat peccant, vt ſemen & menſes, retinenda quidem ſunt, quoúſque copiâ ſuâ moleſtare incipiunt.

A primo ſomno moderata Venus, ſiue ad tuendam valetudinem, ſiue ad propagandam prolem vtilior; quia ſeminis coctio tunc perfecta eſt, diſſipatorúmque ſpirituum iactura conſequente ſomno reſarcitur. Profluentibus menſibus concubitus prohibetur, ne fœtus gignatur elephanticus. Nec pleno, nec ieiuno ventriculo coïtus confert. Vernum tempus Veneri idoneum. Ætas item iuuenilis Veneri accommodata. Reliquæ enim ſemen aut prorſus nullum, aut infœcundum habent. Vbi menſes ſubſiſtunt, eo tempore ſunt arte prouocandi, quo fluere antea conſueuerant, vt ſit natura adiutrix. Nec grauidis mulieribus, nec nutricibus, nec iunioribus, nec vetulis vnquam procurandi ſunt.

DE ANIMI PATHEMATIS.

D. Ex omnibus rebus non naturalibus ad proſperam valetudinem pertinentibus, τὰ τῆς ψυχῆς παθήματα *reſtant, quæ à* La*tinis animi perturbationes appellantur. Aperias velim quæ & quot ſunt, ac ſalu-*

Animi pathemata quæ & quot sunt.

briáne, an insalubria.

C. Pathemata sunt concitati & auersi à recta ratione animi motus, qui corpus alterant, propter insignes natiui caloris cum spiritu & sanguine intrò vel foras impulsiones. Quatuor sunt præcipua: duo ex obiecti boni opinione orta, lætitia & cupiditas; ac totidem ex obiecti mali apprehensione, tristitia & timor. Ira & verecundia adduntur, sed illa flagrans est vindictæ desiderium: itaque ad cupiditatem, vt hæc ad timorem referri potest.

Quæ salubria & quæ insalubria.

Priora duo Pathematôn genera, si moderata fuerint, salubria sunt, alioquin exitialia. Præ gaudio quippè immodico multos pusillanimes expirasse, variis authorum monumentis proditum est. At reliqua omnia sunt insalubria. Præ mœrore si quidem vehementi & repentino, mortui non pauci; quòd scilicet debilis animula, sub valido affectu oppressa, confestim exstincta & suffocata sit; eò quòd vniuersus sanguis ad principium confluxerit, delatúsque fuerit. Hac ratione Plinius P. Rutilium

Cur exitialis mœror vehemens.

nuntiata

nuntiata fratris in consulatus petitione repulsa, illicò expirasse, memoriæ prodidit. Sic 16. die Augusti, anno 1619. apud Turones nobilis iuuenis Montelerius, Meussiæ cohortis subpræfectus, ob immensum mœrorem, in vico colloquens, repentè è viuis excessit. Dissecto cadauere sana viscera reperta sunt omnia, pericardium duntaxat non aqua modò, sed & copioso sanguine concreto, repletum animaduertimus, qui prægressa exercitatione vehementiori, ab ingenti mœstitia constricto corde, per alterutram eius auriculam illuc irrepserat, ac vitæ principium subitò suffocauerat, vnde repentina mors. Per timorem etiam spiritus & sanguis intrò & ad scatebram suam reducitur contrahitúrque, quo fit vt partes algeant, corpúsque pallescat, tremor incidat, vox interrumpatur, & vires denique omnes conuellantur. Contrà, in ira concitatior est caloris motus, qui in extimas tandem partes cum impetu effunditur. Vnde corpus rubicundius, calentius, confidentius, & ad omne facinus patrandum promptius,

Recens historia nobilis iuuenis præ mœrore vehementi & repentino mortui.

Ira.

Verecundia. redditur. In verecundia vtrúmque patitur, imprimis quippè calor ad interna confugit, dein sese foras diffundit. Cùm igitur tanta sit perturbationum animi vis, debent à Medico, quibuscúmque artibus possunt, arceri ac corrigi.



DISPVTATIO III.

DE REBVS PRÆTER NATVRAM, IN QVARVM cognitione παθολογία versatur.

DOCTOR III.

Hactenus de rebus naturalibus & non naturalibus, supersunt res præter naturam. Quænam sunt res præter naturam? Quæ & quot sint res præter naturá.

CANDIDATVS.

Quæ naturalem corporis humani constitutionem destruunt. Affectus à nobis appellantur, à Græcis διαθέσεις, nonnumquam πάθη: vnde affectuum præter naturam doctrina παθολογία dicitur.

D. Quot sunt affectus præter naturam?

C. Tres, morbus, causa, & symptoma. Siquidem ἅπασα διάθεσις σώματος ἐξισταμένη τῆς κατὰ φύσιν, ἤτοι νόσημά ἐστιν, ἢ αἰτία νοσήματος, ἢ σύμπτωμα; omnis cor-

porisaffectus à naturali constitutione recedens, aut morbus est, aut morbi causa, aut symptoma. Authore *Gal. cap.1.l.de diff.sympt.*

D. Quomodo inter se distinguuntur?

Qui distinguūtur. C. ἡ τὴν ἐνέργειαν ἐμποδίζουσα διάθεσις, ὀνομάζεται νόσος, εἰ τι ἕπεται τῇδε, σύμπτωμα. τὸ δ' ἐργαζόμενον αὐτὴν, αἴτιον. Affectus qui actionem impedit, morbus appellatur; hunc si quid sequitur, symptoma; quod illum facit, causa, ait *Gal.c.1.l.2.meth.med.*

DE MORBIS.

D. *Quid est morbus?*

Quid morbus. C. ἡ νόσος, διάθεσις ἐστὶ παρὰ φύσιν, ὑφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρώτως. Morbus est affectus præter naturam, à quo primùm actio læditur. Authore *Gal. c.1.l. de sympt. diff.*

D. *Contrà sic disputo. Morbus omnis non est* διάθεσις: *Ergo malè definitur à Galeno morbus per* διάθεσιν.

Obiectio 1. C. Nego antecedens.

D. Probo. Vt plurimum morbus est ἕξις, *habitus: Sed* διάθεσις, *dispositio, non est* ἕξις, *habitus: imò opponitur habitui ab Aristotele* in Categ. *quia habitus est qualitas permanens, quæ à subiecto facilè*

amoueri non potest: dispositio verò, qualitas quæ facillimè amoueri potest.

C. Vox διάθεσις, id est affectus, à Galeno sumitur, non specialiore illo significato, quo pro dispositione, id est præparatione ad habitum ab Aristotele vsurpatur; sed generaliore, quo dispositionem & habitum comprehendit. Morbi enim quidam sunt σχετικοὶ, qui facilè adsunt & absunt, alii ἑκτικοὶ, qui difficillimè depelluntur. Solutio.

D. Hoc insuper argumento morbum primò actionem non lædere demonstro: Facultas ab actione differt, tanquam causa ab effectu: Sed morbus facultatem primò lædit: Ergo actio primùm à morbo non læditur. Obiectio 2.

C. Id falsum in morbo organico, quia vsus instrumenti impediri potest, nulla facultate læsa. Obstruatur vena aut neruus, impedietur distributio, integris facultatibus. Responsio.

D. Saltem in morbo similari facultas priùs læditur, quàm functio.

C. Respondeo: Medicum æstimare omnia & diiudicare sensu. Atqui facultatem læsam esse non percipimus, nisi actione læsa.

Obiectio 3. *D. Prætereà, non omnem morbum actionem lædere sic probo: Vulnus est morbus; Sed partis vulneratæ functiones integræ manent, quia sanguinem trahit, retinet, assimilat, denique abscissam carnis portionem instaurat : Ergo non omnis morbus actionem lædit.*

Responsio. C. Respondeo hæc fieri à parte sana, quæ proximè subest vulneri.

D. Quotuplex est morbus?

Quotuplex sit morbus. C. Triplex, similaris, organicus, & communis.

D. Quinam est morbus similaris?

Qui similaris. C. Intemperies, quæ partis similaris actionem primò lædit.

D. Quotuplex est intemperies?

Quotuplex sit intemperies. C. Intemperies est simplex, vel composita. Simplex est calida, frigida, humida, sicca: composita, calida & humida; calida & sicca; frigida & humida, frigida & sicca: eaque nuda, vel cum materia.

D. Quinam est morbus organicus?

Qui & quotuplex sit morbus organicus. C. Structuræ ametria, quæ instrumenti vsum primò peruertit.

D. Quotuplex est?

C. Quadruplex, in conformatione, in magnitudine, in numero, & in situ.

D. Quínam est conformationis morbus?

C. Conformationis morbus est, cùm partis figura naturalis deprauatur; aut meatus, vel cauitas, præter modum dilatatur, aut coarctatur, vel obstruitur, aut asperitas læuigatur, vel læuitas exasperatur. Qui conformationis morbus.

D. Quínam magnitudinis morbus?

C. Magnitudinis morbus est, cùm pars aliqua supra conuenientem naturę modū increuit, aut infrà substitit. Qui magnitudinis.

D. Quínam numeri morbus?

C. Numeri morbus est, cùm pars aliqua deest, aut superabundat. Qui numeri.

D. Quínam morbus in situ?

C. In situ morbus est, si pars à sua sede recesserit, vt omenti vel intestini in scrotum prolapsus. Qui morbus in situ.

D. Quínam est morbus communis?

C. Solutio continui, quæ vtriúsque partis functionibus peræquè incommodat. Qui & quotuplex sit morbus communis.

D. Quotuplex est solutio continuitatis?

C. Quadruplex, vulnus, vlcus, fractura & luxatio, quæ in situ morbus etiam dici potest.

D. Cur tumorem præter naturam hîc prætermittis?

Quid tumor pręter naturam.

C. Quia tumor præter naturam, ex intemperie, mala conformatione & solutione continui, compositus perhibetur morbus, qui à Græcis ἀπόστημα, à Latinis abscessus appellatur.

D. Quotuplex abscessus significatio?

Quotuplex abscessus significatio.

C. Duplex, vna generalis, altera specialis.

Abscessus quippè nomen generaliter pro omni pręter naturā tumore sumitur: specialiter verò pro *Phlegmone ad suppurationem perducta*: ac sæpè pro tumore in quo extranea quædam materia melli, vel pulti, aut seuo similis, Kysti conclusa deprehenditur, vnde meliceris, atheroma, vel steatoma, Græcè nuncupatur.

D. Vbínam hæ abscessus species fiunt?

C. In externis partibus corporis.

D. Illic profectò fieri consueuerunt. Sed nouam illarum sedem, ante hunc diem in Scholis Medicorum inauditam, non ita pridem animaduertimus.

Recens historia abscessus multiplicis in cerebro reperti.

Illustrissimus Montis-pezati Marchio, vir acerrimo ingenio, subsistente jamdiu alui profluuio, cui ab ineunte adolescentia obnoxius fuerat, nec non & hæmorrhoïdibus quæ statis temporibus diu profluxerūt,

ab annis 8. suppressis, quadragesimo nono ætatis anno, mense Iunio, anno à Christo nato 1619. *contumaci cephalæa primùm apud Turones correptus est, cuius consectaria fuit παραφροσύνη. Licet autem quamplurima remedia ex arte præscripta sint à celeberrimis Turonensibus Medicis, DD. Falezeo & Totoloco: irrita nihilominus fuerunt omnia.* Quamobrem ad Pressigniacum longè ab aula Regia ductus est. *Vbi cum D. Gallo facultatis Medicæ Pictauiensis Decano, D. Mauresio Ducis* Mayennensis *Medico, ac D. Forello Castello-realdo Poliatro, ad illum curandum accersitus sum. Sed quoniam peruicacior morbus, etiam valentioribus auxilijs κατ' λόγον vsurpatis cedere haud potuit, D. laborans* 13. *die Augusti lethargicus tandem obijt.*

Dissecto cadauere nobis præsentibus sub anteriore ventriculo dextro, cerebri portio labefactata conspicua fuit, in qua abscessus variæ ac multiplices formæ repertæ sunt, quarum K*ystes strobyli magnitudinem æquabant, vna steatomatis, altera atheromatis, reliquæ meliceridôn speciem referebant.*

Raram illam obseruationem à nobis

factam tibi obiter narrandam duxi. Ad generalem abscessûs doctrinā reuertamur.

Quotuplex est tumor præter naturam?

Quotuplex tumor præter naturam.

C. Quadruplex, phlegmone, erysipelas, œdema, & scirrhus.

D. *Quid est phlegmone?*

Quid phlegmone.

C. Est tumor præter naturam à sanguine extra venas exiliente, partem distendente, cum calore, rubore, dolore, pulsu & renixu.

D. *Quid est erysipelas?*

Quid erysipelas.

Est inflammatio valdè ardens circa cutim maximè consistens, nonnunquam & subiectæ carnis aliquid occupans, à bilioso feruidóque sanguine, qui præ tenuitate insignem non infert tumorem, sed longè latéque hûc illûc dispergitur.

D. *Quid est œdema?*

Quid œdema

C. Est tumor frigidus, laxus, mollis, albicans, doloris expers, prementis digiti vestigium relinquēs, ab humore pituitoso ortus.

D. *Quid est scirrhus?*

Quid scirrus.

C. Est tumor durus & renitens, doloris expers, cum sensu aut exiguo aut prorsus nullo, ab humore melancholico genitus.

D. Quid est vulnus?

C. Est solutio continuitatis recens in partibus mollibus, ictu aliquo, aut morsu vel casu, extrinsecus inflicta. Quid vulnus.

D. Quid est vlcus?

C. Est solutio continuitatis in partibus mollibus ab erosione excitata. Quid vlcus.

D. Quid est fractura?

C. Est soluta ossis vnitas, à causa externa contundente, collidente & rumpente. Quid fractura.

D. Quid est luxatio?

C. Est articuli è proprio situ in alienum prolapsus, cum motus voluntarij læsione. Quid luxatio.

DE CAVSIS MORBIFICIS.

D. Quid causæ nomine hîc intelligitur?

C. Diathesis contra naturam, quæ morbū facit, cuius doctrina αἰτιολογία dicitur. Quid & quotuplex sit causa morbifica.

D. Causa morbi, vt plurimùm substantia est, vt humor quispiam, vel flatus, aliúdue præter naturam, vt calculus. At diathesis est qualitas. Ergo morbi causa malè definitur per diathesim.

C. Vox diathesis, secus à Galeno atque ab Aristotele vsurpatur, nempè pro omni eo, quod natiuam corporis

temperaturã & ſtructuram deſtruere, ac actiones lædere poteſt, ſiue ſubſtantia ſit, ſiue qualitas.

D. Quotuplex eſt cauſa morbifica?

Quæ & quotuplex ſit cauſa interna.

C. Duplex, interna & externa.

D. Quænam eſt cauſa interna?

C. Quæ intra corpus conſiſtit.

D. Quotuplex eſt?

C. Duplex, antecedens, & continens.

D. Quænam eſt cauſa antecedens?

Quæ & quotuplex cauſa antecedens.

C. Quæ morbum fouet, προηγουμένη Græcis dicta.

D. Quotuplex eſt?

Quid & quotuplex plethora.

C. Duplex, plethora & cacochymia.

D. Quid eſt plethora?

C. Πληθώρα μὲν ἐστὶ ἁπάντων τῶν χυμῶν ὁμοτίμως αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου πλεονεξία.

Plenitudo eſt humorum omnium æqualiter adauctorum, ſiue ſanguinis ſolius redundantia. *Ex Gal. c. 3. l. 2. de compoſ. medic.* κατὰ τόπους.

D. Quotuplex eſt plethora?

Quæ plethora ad vires.

C. Duplex, vna πρὸς τὴν δύναμιν, ad vires; altera πρὸς ἀγγεῖα, ad vaſa; à multis κατὰ τὸ ἔγχυμα vocata.

D. Quænam eſt plethora ad vires?

C. Ea est, in qua sanguinis, tametsi nec qualitate, nec copiâ, symmetriam excessit, vires tamen quauis alia ex causa imbecilles premit.

D. *Quænam est plethora ad vasa?*

C. Quæ iam supra naturæ symmetriam est. Quæ ipsa aut leuis est, cùm venarum cauitatem solùm replet, ac proinde mediocritatem paulùm excedit; aut tensiua, cùm iam vasorum tunicas præ copia distendit ac propè diuellit. **Quæ ad vasa.**

D. *Quomodo differunt plethora ad vasa & ad vires?*

C. Cùm in plethora corpus nihilominùs ingrauescit, & vires omnes æquales persistunt, sola est vasorum plenitudo. At si corpus, artúsque ingrauescunt, & motus pigrior euadit, somnus grauis, profundus & interturbatus, & laborans per insomnia se grauiter premi, aut onus gestare, aut loco moueri non posse putat, virium est grauans plenitudo. **Qui differant plethora ad vasa & ad vires.**

D. *Quænam sunt plethoræ signa?*

C. Antecedentia quidem sunt causæ sanguinis vbertatem procreantes, quales sunt corporis εὐκρασία, ætas **Notæ plenitudinis antecedentes.**

ἐπακμαστικὴ, tempus vernum, regio temperata, liberalior victus euchymus, beneque temperatus, ac consueta sanguinis vacuatio suppressa: consequentia verò sunt accidentia, quæ copiosum in corpore sanguinem contineri, dominaríque demonstrãt; qualia sunt faciei color rubicundus, venarum tumor, tensio vasorum, tensiua lassitudo spontanea, plenior corporis moles, habitúsve mediocriter carnosus, animi mores hilares & iucundi, morum simplicitas & stupiditas, capitis grauitas, somnus profundus, pulsus magnus, fortis & plenus, respiratio difficilior, sanguinis prompta reiectio, &c.

D. Quid cacochymia?

Quid & quotuplex cacochymia.

C. Κακοχυμία μὲν ἐστὶ τῆς ξανθῆς ἢ μελαίνης χολῆς, ἢ τοῦ φλέγματος πλεονεξία. Cacochymia est flauæ vel atræ bilis, vel pituitæ redundantia. *Auth. Gal. c. 6. l. 13. meth. med.* Vnde triplex cacochymia, biliosa, melancholica, & pituitosa.

D. Quibus signis dignoscitur cacochymia biliosa?

Signa cacochy.

C. Dignoscitur primùm ex causis

bilis copiam exaggerantibus; quales sunt temperies calida & sicca, ætas constans & florida, tempus æstiuum, sicca cæli constitutio, regio calida & sicca, prægressa victus ratio calidior & siccior; deinde signis flauæ bilis immoderatius in corpore exuperãtis, qualia sunt faciei color pallidus, flauus aut citrinus, vel nigellus, corporis habitus siccus, macer & gracilis, atque hirsutus, pilus flauus vel nigellus, venarum amplitudo, calor tactu acer & mordax, ὀξυθυμία, sensus acuti, veloces & expediti, ingenium acre & solers, somnus leuis & inquietus, vigiliæ perpetuæ, insomnia belli, furoris, ignis plena, pulsus velox, frequens & durus, oris amaror, inappetentia, sitis inexpleta, vomitio deiectióque biliosa, aluus assiduè sicca, vrina flaua, flammea & pauci sedimenti, &c. | miæ biliosæ antecedentia. Consequentia.

D. Quibus signis dignoscitur cacochymia melancholica?

C. Dignoscitur primùm ex causis melancholiam in corpore largiorem congerentibus, cuius generis sunt natiua temperies frigida & sicca, cum lienis imbecillitate; vel calida quidem | Signa cacochymiæ pituitosæ antecedentia. Consequentia.

à principio, ἐκ μεταπτώσεως autem frigida, ætas inclinans, tempus autumnale, victus crassior, vitæ conditio tristis: deinde ex signis melancholiæ in corpore dominantis, qualia sunt faciei color fuscus, aut nigricans, corporis habitꝰ siccus & macilétus, aspectus fixus, horridus ac mœstus, metus & tristitia, somnus turbulentus, pulsus paruus, tardus, rarus & subdurus, &c.

D. Quibus signis dignoscitur cacochymia pituitosa?

Signa cacochymiæ pituitosæ antecedentia. Consequentia.

C. Dignoscitur primùm à causis pituitæ prouentum facientibus, cuiusmodi sunt temperamentum frigidum & humidum, ætas senilis, hybernum tempus, constitutio cæli humida, victus plenior intépestiuè sumptus, largior aquæ potus, vita sedentaria, somnus longior: tum ab indiciis pituitæ dominantis in corpore conspicuis; qualia sunt faciei color albicans, plumbeus aut liuidus, facies tumida, totius corporis moles ampla & obesa, venæ & arteriæ exiles & angustæ, pilus albus, animi mores, omnésque corporis motus tardi, sensus obtusi, mens hebes, somnus profundus at-

que grauis, aquarum, pluuiæ, niuis aut submersionis plena insomnia, capitis grauitas, pulsus paruus, tardus, rarus, mollis, tarda concoctio, ructus acidus, &c.

D. Quænam est causa continens?

C. Est quæ proximè morbum facit. Græcis Συνεκτική, Latinis etiam coniuncta dicitur. Quæ causa continens.

D. At nullam esse coniunctam causam sic probo: Συνεκτικὸν αἴτιόν ἐστιν τοῦ παρόντος, πάρεστι καὶ τὸ νόσημα καὶ ἐξαιρουμένου, λύεται. Causa continens est, qua præsente, adest & morbus; & quâ sublatâ, soluitur, Obiectio 1. Authore Gal. lib. defin. med. & libro introductorio.

Sed qualibet morbi causa sublata, nequaquam tollitur morbus: Ergo nulla est causa continens.

C. Nego minorem.

D. *Probo minorem. Si sublata morbi causa qualibet, tolleretur morbus, nullis opus esset remedijs ad curandum morbum:* S*ed præter remedia, quæ causæ morbificæ summouendæ accommodata sunt, alia requiruntur ad summouendum morbum: vt ad intemperiei curationẽ, præter* κενωτικὰ, *quæ imprimis sunt præscribenda ad eua-*

cuationem humoris intemperiem committentis, requiruntur & ἀλλοιωτικά, ad intemperiem corrigendam; calefacientia videlicet ad intemperiem frigidam, refrigerantia ad temperiem calidam. Ergo sublata morbi causa, non tollitur morbus.

Solutio. C. Respondeo: Morbos, quibus coniuncta causa est, omnes, ea sublata, solui; nec vlla deinceps curatione propria egere: sed morbos, quorum nulla est alia interior causa, quàm plethora & cacochymia, vt febres essentiales, vtráque sublata, propria ad perficiendam curationem postulare remedia.

Obiectio 2. C. *Sic argumentor. Si aliqua esset causa coniuncta, illa potissimùm in phlegmone esset conspicua. Nam humor inhærens, impactúsque parti inflammatæ, esset phlegmones coniuncta causa: Sed humor inhærens impactúsque parti laboranti, non est causa coniuncta: Ergo nulla est causa coniuncta in morbis.*

C. Nego minorem.

D. *Probo minorem. Morbus & morbi causa differunt: Sed humor ille, ipsa est plegmone; Ergo non est coniuncta phlegmones causa.*

C. Nego minorem.

D. *Probo minorem. Cui conuenit definitio, ei conuenit & definitum: sed humori parti inflammatæ impacto optimè quadrat phlegmones definitio: Ergo est phlegmone.*

C. Nego minorem.

D. *Probo minorem. Phlegmone est intemperies calida, partem, cui insidet, inflãmans, tumefaciens atque distendens, ita vt illius functionem primò & per se lædat: Sed humor ille, qui parti inflammatæ impactus est, feruet, distendit, grauat, adeóque plegmone est, functionémque primò & per se, nullóque alio interuentu lædit.*

C. Respondeo: Humorem parti inflammatæ impactum, substantiam esse; phlegmonem verò accidens, ac proinde toto genere differre; tantum abest vt eadem vtriúsque sit definitio. Responsio.

D. *Quænam est causa externa?*

C. Quæ extrinsecùs aduenit, & vehementer corpus alterat; Græcis προκαταρκτική, Latinis præincipiens, & euidens, vulgò primitiua dicitur. Est autem totuplex euidens morbi causa, quotuplex est res non naturalis. Aër quippe morbum facit, vbi est intemperatus, aut impurus. Et alimen- Quæ sit causa externa. Et quotuplex.

tum, si excedat aut deficiat, aut si prauum sit, aut præposterè sumptum. Item motus & quies, necnon somnus & vigilia, cùm est immoderatior alterúter. Cùm etiã retinentur quæ excernenda sunt, & excernuntur quæ retinenda, morbum pariunt: quemadmodum & animi pathemata, si sint immoderata.

DE SYMPTOMATIS.

D. *Quid est symptoma?*

Quid symptoma, generaliter sumptũ. Propriè dictum, cur epigenema appellatum. Vnde symptomatis nomen deductum.

C. Symptomatis nomen latè sumptum significat πᾶν ὅπερ ἂν συμπίπτῃ τῷ ζώῳ παρὰ φύσιν, quicquid animanti præter naturam accidit, *Authore Galeno cap. 2. lib. de sympt. diff.*

Sic pro omni præter naturam affectu generatim vsurpatur. Sed symptoma propriè definitur affectus contra naturam, qui morbum sequitur, vt vmbra corpus. Hinc est, quod idipsum nonnulli Græci Medici, non symptoma, sed ἐπιγέννημα, hoc est succedens, appellare maluerunt: quanquam σύμπτωμα quoque nomen illi pulchrè quadrat, quod ei à verbo συμπίπτω, quod simul cado denotat, est impositum; nulla alia de causa,

quàm quòd ſimul cũ morbo eueniat.

D. *Ex te ſcire velim, an omne ſymptoma morbum ſequatur?*

C. Cùm aliquod ſymptoma proximè ab alio ſymptomate, vel à cauſa prouenire poſſit, conſtat non omne ſymptoma morbum ſequi, ſed aliquod ſymptoma poſſe citra morbum oriri. Dantur enim actiones læſæ, vbi nullus adeſt morbus. Adeò vt præter ſymptoma morbi, quod proximè morbum, velut vmbra corpus, ſequitur, alia duo ſymptomatum genera exiſtant, ſymptoma cauſæ, & ſymptoma ſymptomatis.

An omne ſymptoma morbũ ſequatur.

Symptoma morbi.

D. *Quid vocas ſymptoma cauſæ?*

C. Symptoma cauſæ voco, cùm actio lęditur tantùm facultate fruſtrata ob errorem externum, vt dum ventriculo benè à natura conſtituto, nec vllo laborante morbo, chyli coctio impeditur, ob nimiam cibi copiam, prauitatem aut ſimilem cauſam: aut dum prauus ſanguinis generatur, non ob hepatis, ſed ob chyli, ex quo confici debet, vitium.

Symptoma cauſæ.

D. *Quid ſymptoma ſymptomatis?*

C. Quod aliud ſymptoma præ-

Symptoma ſymptomatis.

cedens proximè sequitur, nullo alio interueniente affectu pręter naturam.

D. *Quot sunt summa symptomatum genera?*

Summa symptomatum genera.

C. Tria, ἐνεργειῶν βλάβαι, actionum læsiones, ἐκκρινόμενα καὶ ἀπεχόμενα τοῦ κατὰ φύσιν ἐξιστάμενα, excreta & retenta, à naturæ modo recedentia, καὶ αἰσθηταὶ τοῦ σώματος διαθέσεις παρὰ φύσιν, ac sensibiles corporis affectus præter naturam.

D. *Quotuplex est actionum læsarum causa?*

Quotuplex actionum læsarum causa.

C. Duplex à Galeno statuitur, c. 1. l. 3. de sympt. causis. τὰ μὲν πρῶτα δύο γένη ἀποτυχίας εἰσὶ, inquit, τὸ μὲν ἕτερον ἡ δύναμις αὐτὴ πεπονθεῖα, τὸ δ᾽ ἕτερον ἔξωθέν τις πλημμέλεια. Duo prima sunt frustratæ actionis genera, alterum à facultate ipsa læsa ortum, alterum ob errorem externum. Actio siquidem lęditur, dum facultas in agendo, fine suo frustratur ob morbum aliquem, vel ob delictum externum.

D. *Quid per facultatem læsam hîc intelligendum?*

Actionē lædi lęsa

C. Læsa facultate actio lædi di-

citur, cùm organum ægrotat, ac præter naturam afficitur, partísque constitutio naturalis læditur, quæ facultatis proximum est instrumentum; & quâ vitiatâ, anima actiones suas exercere nequit. facultate quid.

D. Quid intelligendum per actionem læsam ob errorem externum?

C. Si organum omnibus modis sese rectè habeat, ac benè sit constitutum: nihilominus ob aliam, quæ extra partis constitutionem sit, causam, facultas in agendo frustratur: atque, vt finem suum assequi non possit, impediatur, actio lædi ob errorem externum dicitur. Actionē lædi ob errorem externū, quid.

D. Quotuplex est actionum læsarum differentia?

Læsarum actionum differentia ex integrarum numero colligenda. Vel enim animalium, vel vitalium, vel naturalium læsiones existunt. Quotuplex actionum læsarum differentia.

D. Quot modis harum vnaquæque læditur.

C. Omnis actio animalis, vitalis, & naturalis, bifariam læditur; quia, aut non fit, aut malè. Et malè rursum bifariam, aut diminutè, aut deprauatè. Quod modis actio lædatur.

Vnde triplex actionis cuiúsque noxa.

D. Quænā sunt functionū animaliū noxæ?

Noxæ functionum animalium principum.

C. Principum functionum noxæ sunt, imaginationis, ratiocinationis & memoriæ abolitio, debilitas & deprauatio: inter quas ἄνοια amentia, μωρία fatuitas, & παραφροσύνη delirium, insigniores habentur. Sensilium actionum communes noxæ sunt, ἀναισθησία sensus priuatio, & δυσαισθησία sentiendi difficultas, quæ omnem vitiosum sensum designat. Ἀγρυπνία & veternosus somnus, interioris sensus noxæ perhibentur. Particulares verò exterioris cuiúsque sensus noxæ sunt, in oculis quidem cęcitas, visus hebetudo, & deprauata visio. In auribus surditas, auditus grauitas, & deprauata auditio. In cæteris, tametsi proprijs nominibus careant, eadem nihilominus est proportio. Tactus in sua functione præter reliquos sensus, proprium symptoma possidet, dolorem. Motricum actionum læsiones sunt ἀκινησία immobilitas, & δυσκινησία difficultas motus: qui imbecillus quidem est, vel deprauatus; vtpote tremulus, aut conuulsiuus aut palpitans.

Sensiliū.

Necnon

Necnon & ἀφωνία priuatio vocis, δυσφωνία vocis difficultas, & κακοφωνία vox deprauata.

D. Quænam sunt functionum vitalium noxæ?

C. Inter vitalium functionum noxas recensentur ἀσφυξία, abolitio pulsus, & κακοσφυξία, vitiosus pulsus. Necnon & ἄπνοια, spirandi priuatio, ac δύσπνοια, spirandi difficultas. Noxæ functionum vitalium.

D. Quænam sunt functionum naturalium noxæ?

C. Appetentiæ læsiones sunt ἀνορεξία, abolita appetentia, appetentia canina, & appetitus deprauatus. Noxæ functionum naturalium.

Concoctionis noxæ sunt ἀπεψία cruditas, βραδυπεψία tarda concoctio, & δυσπεψία difficilis cōcoctio. Totidem & in retentione & in expulsione consistunt, sed quibus propriæ appellationes non suppetunt. Sic actionem quamlibet trifariam lædi contingit; quòd vel minimè, vel remissè, vel deprauatè edatur.

D. Cur functionum noxas, excretorum & retentorum ametria sequitur? Cur actionum læsionē, excretorum & retentorum ametria sequatur.

C. Quia excretorum ametria fit τῆς ἀποκριτικῆς ἀμέτρως κινουμένης, expultrice

immodicè mota : & retentorum ametria, τῆς καθεκτικῆς ἀμέτρως ἐνεργούσης, retentrice immodicè agente.

D. Quid est excrementorum ἀμετρία ?

Quid & quotuplex excrementorum ametria.

C. Vitium quod excrementa à naturæ modo recedentia contraxerunt.

D. Quotuplex est ?

C. Triplex, in substantia, in quantitate, & in qualitate. Siquidem τὰ ἐκκρινόμενα τοῦ σώματος, ἢ κατεχόμενα παρὰ φύσιν, ἢ ταῖς οὐσίαις ὅλαις, ἢ ταῖς ποσότησιν, ἢ ταῖς ποιότησιν, ἐξιστάμενα τῆς κατὰ φύσιν, quæ è corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinentur, vel tota substantia, vel quantitate, vel qualitate, à naturæ modo recedunt, authore *Gal. 6. de sympt. diff.*

D. Quid substantiæ vitium appellas?

Quid intelligitur substantiæ vitio.

C. Cùm quod excernitur toto genere præter naturam est, vt calculus, vt arenula, vt lũbricus: aut cùm non id quod excernitur, sed ipsa illius excretio præter naturam existit, vt sanguis è naribus, ex auribus, ex ore, è vesica, vel aluo profluens.

D. Quid quantitatis vitium vocas ?

Quid quantitatis vitio.

C. Cùm iustus naturæ modus in excretis minimè tenetur, sed ea vel

abundantiùs vel parciùs profluunt.

D. Quódnam est qualitatis vitium?

C. In excrementis vitium qualitatis inest, cùm eorum color à naturæ modo recedit; vt si niger, liuidus aut viridis existat: aut cum graueolentia ferit: aut sapor amarus, salsus, acidúsve subest: aut lentor vel acrimonia, & crassities vel tenuitas, aliáve qualitas, præter naturam inesse deprehenditur. Quid qualitatis vitio.

D. Cur excretorum ametriæ, retentorum ametria adiungitur?

C. Quia excrementa non minùs à naturæ modo desciscunt, nec minus vitium contrahunt, vbi excernenda retinentur, quàm cùm retinenda excernuntur. Cur retentorum nedum excretorum ametria dicatur.

D. Quænam symptomata ad retentorum ametriam referuntur?

C. Mensium & hæmorrhoïdôn suppressio, alui astrictio, ἰσχουρία, δυσουρία, στραγγουρία, sudoris, aliorúmque excrementorum retentio, quorum salutaris euacuatio est. Quæ ad retentorum ametriā symptomata pertineant.

D. Cur sensibus obuios corporis affectus præter naturam post excrementorum ametriam collocas? Cur sensibiles corporis affectus excremētorum ametriam sequātur.

C. Quia excrementitiorum ferè

humorum vitio contrahuntur.

D. *Quot sunt symptomata ἐν τοῖς τοῦ σώματος αἰσθητοῖς διαθέσεσι συνιστάμενα, in sensibilibus corporis affectibus consistentia?*

Quotuplicia sint symptomata in sensibilibus corporis affectibus.

C. Tot esse perhibentur, quot sunt sensus, quibus percipi solent. Alia quippe ὁρατά, visibilia sunt, alia ἀκουστά, audibilia; alia ὀσφραντά, odorabilia; alia γευστά, gustabilia; alia ἁπτά, tangibilia: quia visu, auditu, odoratu, gustu & tactu apprehenduntur.

D. *Quaenam sunt ὁρατὰ διαθέσεις παρὰ φύσιν, visibiles corporis affectiones praeter naturam?*

Qui sint visibiles corporis affectus.

C. Foedi colores, qui efflorescunt ex subiectorum humorum idea; qualis flauus est in ictero, pallidus in leucophlegmatia, niger in elephantiasi. Necnon figura & moles, omnésque aspectabiles corporis qualitates mutatae.

D. *Quae ἀκουστά, auscultabiles?*

Qui audibiles.

C. Soni pręter naturam, quales sunt auriū tinnitus; pulmonum faucιúmque stertores, dentium stridores, ventriculi rugitus, intestinorum crepitus. Necnō & clāgores & tremulae voces.

D. Quæ ὀσφραντὰ, olfactiles?

C. Tetri odores, quos axillæ, aures, nares, os, pedes, aut corpus vniuersum expirat. Qui odorabiles.

D. Quæ γευστὰ, gustatiles?

C. Ingrati sapores, qui palatum & linguam inficiunt: cuiusmodi sunt oris amaror à bile flaua, sapor acidus à melancholia, & salsus à pituita. Qui gustatiles.

D. *Quæ ἁπτὰ, tactiles?*

C. Primæ qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & quæ ab his nascuntur, mollities, durities, scabrities, laxitas, rugositas, & alia id genus vitia, quæ in cute tactu percipiuntur. Qui tangibiles.

DE SIGNIS.

D. *Hæc tria sunt summa symptomatum genera, vnde potissimùm sumuntur morborum signa, quorum doctrina σημειωτικὴ dicitur. Quid est signum?*

C. Quicquid sensibus nostris obuium, aliud quippiam latens & occultum comitatur, id illius est signum. Sic symptoma quia conspicuum, interioris occultique morbi è quo fluxit, expressum est signum: quemadmodum & causa euidens, vt Quid signum.

vitiosus cibus, morbi quem procreauit index est.

D. Quot sunt signorum genera?

Quotuplicia signa. C. Tria perhibentur summa signorum genera: salubria, quę sanam: insalubria, quæ morbosam; & neutra, quę neutram corporis constitutionem indicant.

D. Quotuplicia sunt signa insalubria?

Quotuplicia insalubria. Quæ diagnostica. Quę prognostica. Quæ anamnistica. C. Duplicia: diagnostica, quæ præsentem ostendunt morbi constitutionem; & prognostica, quæ futurã præuident.

A nonnullis adduntur Anamnistica, quæ præteritorum commemoratione præsentem & futurum morbi statum patefaciunt.

D. Quotuplicia sunt signa diagnostica?

Quotuplicia diagnostica. C. Triplicia, alia quippe partem affectam, alia causam, alia speciẽ morbi demonstrant: quæ si propria & inseparabilia sint, παθογνωμονικὰ dicuntur; quemadmodum communia & separabilia accidentia συμεδρεύοντα, assidentia nuncupantur.

Quæ ad prognosin necessaria. *D. Quæ ad Prognosim consequendam expendenda signa?*

C. Præter Pathognomonica signa,

quæ morbi idæam detegunt, ἐπιγινόμενα superuenientia, quæ morbi magnitudinem indicant; ac ἐπιφαινόμενα, insuper apparentia, quæ motum & morem ostendunt, accuratè considerandam.

D. *Cur pathognomonica, quæ specifica morbi diagnostica signa sunt, inter prognostica recenses?*

C. Quia ex morbi specie præsagia sæpè ducuntur. Quidam enim morbi in sua specie insanabiles sunt, vt carcinoma: alii verò sanabiles, vt febris tertiana: nonnulli breues, vt ephemera: alii longi, vt hectica & quartana. Adde quòd pathognomonica symptomata valde aucta, morbi magnitudinem significent, ac proinde periculum portendant. Vt si punctorius lateris dolor ad iugulum aut hypochŏdrium vsque extendatur, ac magna fuerit spirandi difficultas, acutissima febris, veheménsque tussis, periculosa pleuritis iudicatur.

Cur pathognomonica inter prognostica recenseantur.

D. *Quid vocas epigenomena?*

C. Symptomata per causæ propagationem superuenientia, quæ morbum adauctum indicant, cuiusmodi

Quid epigenomena.

ſunt in pleuritide phrenitis, diarrhęa, orthopnæa, faciei & oculorum rubor, maculæ per thoracem erumpentes, dorſi & ſçapularum rubor.

D. *Quid vocas epiphanomena?*

Quid epiphænomena. C. Quæ præter ſigna pathognomonica & epigenomena, velut foras exeuntia, manifeſtò ſe produnt. Talia ſunt coctionis & cruditatis ſigna, quæ criſim bonam vel malam, citiùs vel tardiùs futuram arguunt.

D. *Quid eſt criſis?*

Quid ſit criſis. C. Κρίσις ἐστὶν ὀξύῤῥοπος ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον. Criſis eſt repentina in morbo mutatio ad ſalutem, vel ad mortem, *authore Galeno, c. 1. l. 1. de diebus decretoriis, cap. 7. l. 3. de Criſibus. & com. in Aph. 13. & 23. ſect. 2.* Quo fit vt criſis bona ſit vel mala, ac vtráque perfecta vel imperfecta.

D. *Quid criſis dictio denotat?*

Quid criſis dictio denotat. C. Criſis nomen à Græco verbo κρίνω deductum eſt, quod iudico, certo, ſecerno, excerno & ſoluo, ſignificat. Vnde κρίσις idem ſonat quod iudiciū, ſæpè pro naturæ cum morbo certamine ſumitur, quādóque pro noxiorum humorum ſecretione & excretione

vſurpatur, ac nõnumquam pro morbi ſolutione quouis modo facta. Sic ab *Hippocrate lib. de Præceptionibus*, κρίσις, definitur ἀπόλυσις νόσου, ſolutio morbi.

D. *Quæ criſis perfectè bonà?*

C. Quæ pepaſmi ſignis die indice apparentibus præmonſtrata, ſine periculoſis ſymptomatis die critico perficitur, cum manifeſta excretione, pro morbi ſpecie & ægrotantis natura. — Quæ criſis perfectè bona.

D. *Quæ imperfectè bona?*

C. Quæ non omninò morbum tollit, ſed facit vt alacriùs æger morbum ferat. — Quæ imperfectè bona.

D. *Quæ criſis perfectè mala?*

C. Quæ mortem accelerat. — Quæ perfectè mala.

D. *Quæ imperfectè mala?*

C. Quæ ægrum in deteriorem ſtatum præcipitat. — Quæ imperfectè mala.

D. *Quomodo ſigna critica diuiduntur?*

C. Signorum criticorum alia criſim præcedunt, alia comitantur, alia conſequuntur. — Criticorum ſignorum diuiſio.

D. *Quotuplicia ſunt antecedentia criſis ſigna?*

C. Quæ criſim præcedunt ſigna duorum ſunt generum, quædam tempus & diem criſis indicant; alia ſpe- — Quotuplicia ſint antecedẽtia criſis ſigna.

ciem crisis futuræ prænuntiant.

D. Quanam sunt signa tempus & diem crisis indicantia?

Signa tẽpus & diẽ crisis indicantia.

C. Coctionis & cruditatis signa, quæ in excrementis apparent vniuersalibus, vrina & deiectione. Siquidem? an celerior vel tardior sperari debeat crisis, imò quo die iudicandus sit morbus, certò demonstrant. Nam si quarto die vrina appareat cocta, vtpote si hypostasim habeat albam, læuem & æqualem, crisim septimo die futuram ostendit; quia τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, septenorum quartus est index, ex Hippocratis dogmate.

D. *Quid prætereaindicant coctionis & cruditatis signa?*

C. Vt cruditatis signa non modò diuturnitatem, sed mortem aliquando portendunt: sic coctionis signa non tantùm morbi breuitatem, sed etiam securitatem pollicentur.

D. Estne id perpetuum?

Quid ad perfectã coctionẽ requiratur.

C. Maximè, modò coctio continua sit & constans. Optima quippe est vrina (inquit *Hippocrates Prognosi 26. sect. 2.*) cùm sedimentum fuerit album, læue & æquale per totum

tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Quòd si intermiserit, & aliquando quidem pura. i. cruda meiatur, nonnunquam subsideat quid album ac læue, diuturnior fit morbus, & minùs securus. Authoritas ratione confirmatur. Continuitas coctionis, naturæ validam vim, & caloris coquentis imperium denotat: at si interrupta sit coctio, vt manè coctionis signa appareant, vesperi delitescant, nunc crudæ, nunc coctæ fundantur vrinæ, nulla ex ea coctione crisis securitas sperari potest; quia pari contentione certant natura & morbus, vnde manet victoria anceps: inchoat coctionem natura, sed debilior perficere nequit; aut fortasse humoris efferi tanta est malignitas, vt coctionem admittere non possit. Hinc δυσκρισία.

D. Nónne sunt & alia tempus & diem criseωs indicantia signa?

Præter coctionis & cruditatis notas, obseruandus morbi motus, ad crisis tempus, diémque præsagiendum. Qui enim celeriter & vehementer mouentur, ij celeriter iudicantur. Extremè peracuti primo quaterna- Quid præter coctionē tempus crisis indicet.

rio, peracuti primo septenario, acuti simpliciter decimo quarto die, acuti ἐκ μεταπτώσεως ex decidentia, ad quadragesimum vsque diem prorogari possunt.

Motus insuper morbi indicat parine, an impari die crisis contingere debeat. Nam cùm in vigore tantùm & exacerbatione morbi fiant crises, nunquam in principio, nec in declinatione: si paribus diebus exacerbetur morbus, pari die speranda erit crisis; si imparibus, impari, *ex Hipp. sect. 3. l. 3. Epid.*

D: Q*uanam instantis crisis signa sunt?*

Signa quæ iam instantem crisim indicant.

C. Crisim proximè solent præcedere ingens capitis dolor, iactatio, anxietas, sitis inexhausta, pulsus inæqualitas, spirandi difficultas, & alia id genus, quæ τὸ δυσφορεῖν nomine designauit *Hippocrates, aph. 13. sect. 2.* Ὁκόσοισιν ἡ κρίσις γίνεται, τούτοισιν ἡ νὺξ δύσφορος πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. Quib⁹ crisis fit, iis nox grauis ante accessionem.

D: A signis quæ tempus, ad ea quæ speciem crisis prænuntiant, transeundum. Declara imprimis quotuplex sit crisis?

C. Duplex omninò crisis species, excretio & abscessus. Omnis quippe humoris ab vna parte in aliam translatio, fit κατ' ἔκρουν, per effluxum: κατ' ἀπόθεσιν, per decubitum. — *Signa quę crisis speciem prænunciant.*

D. Quænam sunt excretionis differentiæ?

C. Hæmorrhagia, sudor, diarrhœa, vomitus, & οὐρόρροια, vrinæ profluuiũ.

D. Quotuplicia sunt crisis per excretionem, vel abscessum futuræ, signa?

C. Duplicia. Nonnulla quippè vniuersalia sunt, alia cuiúsque speciei propria.

D. Vnde vniuersalia petuntur?

C. Ex morbi motu, parte affecta & ægrotantis ætate.

D. Qualia ex morbi motu critica præsagia?

C. Acuti morbi per excretionem, diuturni per abscessum ferè iudicantur; quia acutorum natura in celeri & vehementi motu consistit, vt diuturnorum in tardo. — *Vt vniuersalia petantur ex morbi motu.*

D. *At diuturni morbi sæpè excretione iudicantur. Sic 3. Epid. Nicodemus 24. die per vrinas, Anaxion 34. per sudores, ac Cleonactides 80. perfectè iudicatus est.*

C. Respondeo chronicos morbos per excretionem nonnunquam solui, ratione acutarum exacerbationum quæ superueniunt.

D. *Qualia ex affecta parte critica præsagia?*

Ex affecta parte.

C. Si hepatis conuexa, inflammatione obsideantur, expectanda erit crisis, aut per hæmorrhagiam è nare dextra κατ' ἴξιν, aut per sudorem, aut vrinæ profluuium: si caua afficiantur, alui fluxu aut vomitu potiùs soluetur morbus. Capitis inflammationes prorupto è naribus sanguine sæpè iudicantur. Eò enim desinunt extrema vasorum. Mesenterij verò & ventriculi phlegmones, vomitus & alui fluxus superuenientes sanant.

D. *Qualia ex ægrotantis ætate critica præsagia?*

Ex ægrotantis ætate.

C. Iuuenibus febre ardente correptis hæmorrhagiæ vt plurimùm contingunt, senibus verò alui profluuia, teste *Hippocrate lib. 1. Epid.* Rationem adfert Galenus, quia iuuenum humores biliosi sunt, tenuissimi & acerrimi, proptereáque ἀναῤῥέοντι; senũ verò pi-

tuitosi, ac κατάῤῥοπει.

D. Hæc sunt vniuersalia crisis futuræ signa: nunc ad ea quæ cuiúsque speciei propria sint, veniamus. Recense imprimis hæmorrhagiæ criticæ iamiam futuræ signa?

C. Si acutè febricitanti rubore suffundatur facies, ingens capitis collíque dolor adsit, temporum arteriæ vehementiùs pulsent, hebescat visus, ac marmaryges ante oculos obuersentur, hypochondrium distendatur cum spirandi difficultate, prôfluuium sanguinis è naribus expectare oportet. Signa futuræ hæmorrhagiæ.

D. Cuiúsque signi rationem expone?

C. Dum in procinctu est hæmorrhagia, rubet facies: quia transfertur sanguis ab inferioribus partibus ad superiores, qui mox per nares exitum sibi parat. Dolent caput & collum, ob eandem humoris morbifici translationem, qui membranosas partes exquisitissimi sensus diuellens distendénsque, doloris sensum parit. Pulsant arteriæ extraordinario motu, propter earum compressionem, quæ à particulari venarum repletione fit. Caligant oculi, quia copiosus & craf- Singulorum signorum causæ.

sus ad superiora elatus spiritus, meatus obstruit, adeò vt spiritui animali prohibeatur aditus. Minutula quædam corpuscula maculis marmorum similia in aëre apparent, licet intra corneam sint & crystalloïdem, ex humoris sursum tráslati vaporibus. Distenditur hypochondrium, id est in tumescit hepar, ob sanguinis motum, qui in suo fonte, & venarum radicibus, moueri incipit. Difficilis redditur spiratio, quia dum ad superiores partes viam affectat sanguis, diaphragma princeps liberæ respirationis organum premit.

D. Suntne & alia instantis hæmorrhagiæ signa?

Alia hæmorrhagię signa. G. Præter ea quæ recensentur ab Hippocrate, addit Galenus aurium tinnitum, narium titillationem, ac mendacia rubrarum rerum visa, imaginationi obuersantia. Sic libro de Prænotione, iuueni cuidam acutè febricitāti, subito è lecto exilienti, prędixit erupturum è naribus sanguinem; quòd rogatus qua de causa exiliret, cùm nihil adesset metuendum, responderit rubrum serpentem ex te-

gula irrepentem se vidisse, ideóque aufugisse, ne aberrans super ipsum delaberetur.

D. Quænam sudoris critici præsagia?

C. Sudoris critici iamiam futuri signa duo sunt apud Hippocratem, vrinæ suppressio & rigor. Sudoris critici signa.

D. *Cur vrinæ suppressio, sudoris est prænuntia?*

C. Quia vrinę & sudoris eadem est materia, serum nempè eorum, qui in venis continentur, humorum. Vnde facta serosi humoris in vniuersum corporis habitum trãslatione, supprimitur vrina. Signorũ causæ.

D. Quæ rigoris causa?

C. Seri acrimonia panniculum neruosum (vulgus carnosum vocat impropriè) exquisitissimi sensus vellicans.

D. *Súntne & alia sudoris futuri signa?*

C. Recentiores addunt pulsum mollem, fluctuantem, & vndosum, præsentionem calidi vaporis è corpore exhalantis, ac insomnium calentis balnei. Alia sudoris futuri signa.

D. Quænã sunt diarrhœæ instãtis signa?

Signa diarrhœæ instantis.

C. Ructus, rugitus, crepitus & inflatio ventris, aluinam deiectionem portendunt, authore Hippocrate. Hæc quippe noxium humorem à toto corpore in mesenterij venas, & ab his in intestina translatum arguunt. Vrina insuper tenuis & alba apparet, translata ad aluum copiosissima bile. Quandóque etiam supprimitur.

D. Quenam sunt imminentis vomitus signa?

Signa imminentis vomitus.

C. Hæc sunt ab Hippocrate prodita, ἄση, iactatio cum nausea: καρδιωγμὸς, morsus stomachi, à prauo humore in ventriculo stabulante: πτυαλισμὸς, sputatio frequens, exudante à ventriculo in os humore; ac τὸ σκοτώδες, tenebricosa visio, ob fumidum vaporem ab impuro ventriculo exhalantem.

Alij addunt linguæ amarorem, ac labri inferioris palpitationem.

D. Quenam sunt perirrhiæ futuræ signa?

Signa perirrhiæ.

C. Nulla tradidit Hippocrates, sed ex aliarum excretionum priuatione colligenda esse monet Galenus. Si enim hæmorrhagiæ, sudoris, aluinæ deiectionis, ac vomitus nulla signa

educeant, præcesserint autem & coctionis & perturbationis criticæ signa; rationi consentaneum est, per vrinæ profluuium, morbum iudicatum iri: maximè verò si grauitas in hypochondrio, & ardor in extremo pudendi, persentiantur, ac toto morbi decursu copiosas & crassas æger minxerit vrinas.

D. Excretionis cuiúsque signa enarrasti, tunc quibus notis abscessus futurus indicari possit, aperi?

C. In longis morbis ob humores crassos, quos per excretionem foras trudere natura nequit, expectandus abscessus, hyemali potissimùm tempore; Item si excretio inchoata quidem fuerit, sed non omnino perfecta; ac si vrinæ tenues & crudæ toto morbi decursu cum salutaribus signis apparuerint. **Signa crisis per abscessum futuræ.**

D. Hactenus & quando & quæ sit futura crisis aperuisti, facta deinceps criseos & bonæ & malæ notas persequere?

C. An facta crisis bona vel mala sit, ex signis & comitantibus & consequentibus dignoscimus.

D. *Quid vocas signa comitantia?*

Signa crisim comitantia.

C. Quæ vnà cum ipsa crisi apparent, adeò vt excretio aut abscessus contingens, sitne boni vel mali ominis, quasi digito indicent.

D. Quænam bonæ excretionis conditiones?

Signa laudabilis excretionis.

C. In salutari excretione, quatuor requiruntur, qualitas conueniẽs, quãtitas sufficiens, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris.

D. Quænam qualitas requiritur?

C. Qualitas laudabilis erit, si & peccans & coctus humor excernatur. Succi verò minimè noxij euacuatio noxia. Humoris etiam crudi excretio praua.

D. Quæ quantitas?

C. Moderata esse debet. Vt enim immodica excretio periculosa, quia πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, omne nimium est naturæ inimicum, ex Hippocrate: sic τῶν κρισίμων οὐδὲν σμικρὸν εἶναι προσήκει, eorum quæ critica sunt nihil conuenit esse paucum, ex Galeno: quia quod paucum excernitur, copiosiores vel malignos humores à natura regi non posse, aut summam naturæ

fatiſcentis exolutionem denuntiat. Quocirca damnantur ab Hippocrate ſudatiunculæ, ſubſtilla ſanguinis, & exigui vomitus. Totus quippe humor noxius, non eius portiuncula vacuari debet; quia quæ relinquuntur in morbis à criſi, recidiuas facere conſueuerunt, vt docet Hippocrates.

D. Quod tempus?

C. Dies criticus. Quæcumque enim excernuntur diebus non criticis ſuſpecta ſunt.

D. Qui excernendi modus?

C. Excretio fieri confertim debet, non ſenſim, & διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, per loca conferentia, non per nobiliores partes, nec ἀνάπαλιν, è diuerſo: ſed κατ' ἴξιν, καὶ κατ' εὐθυωρίαν, ſecundum rectitudinem, è directo, & per patentes ductus.

Hinc liene affecto, ſanguinem è dextra nare fluere; hepate verò, è ſiniſtra, malum. Arguit enim excretio, quæ fit è directo, validam naturę contentionem; vt quæ è diuerſo fit, humoris malignitatem, obſeſſæ partis imbecillitatem, meatuúmque obſtructionem.

Quænam legitimi abscessus conditiones?

Signa legitimi abscessus. C. In legitimo abscessu tria spectāda monet Hippocrates *lib. 6. Epid.* ὅπη, καὶ ὅθεν, καὶ διατί, quò, vnde, & propter quid, Quò, partem denotat in quam decumbit, quæ debet esse inferior, ignobilior, remota ab affecta parte, totius materiæ morbificæ capax, alioqui periculum refluxus. Vnde, significat à qua parte oriatur, dextráne, an sinistra, quia decubitus κατ' ἴξιν, secundum rectitudiné fieri debet. Propter quid causam designat, ob quam oboritur abscessus, id est, num fiat cocto à natura morbo, aut eadem irritata. Nam si crudo morbo superueniat, prauus erit.

D. Supersunt consequentia signa, ex quibus securam aut infidam crisim percipimus. Vnde sumuntur?

Signa crisim consequētia. C. Ex qualitate corporis, actionibus & excrementis.

D. Quid in qualitate spectandum?

Vt sumantur ex qualitate corporis. C. Qualitas corporis cernitur in colore & mole. Si benècolorata sit facies, salutaris fuit excretio; sin color liuidus, citrinus, niger, symptomatica. Si repentè detumescat facies, quę

priùs intumuerat, perfecta est crisis; si turgidula remaneat, periculum est relapsus.

D. *Quid in actionibus?*

C. An actiones naturales, vitales & animales, benè vel malè edantur. Si benè ingerat, digerat, egerat, fida est crisis. Sin nausea, cibi fastidium, ructus acidi aut nidorulenti, sitis, hypochondriorum tensio remanserint, metuendus est relapsus. Ex actionibus;

Si æqualis & remissior sit pulsus, respiratio facilis, calórque temperatus, tuta est crisis: si verò frequens sit pulsus, calórque tactum feriat, remãsit ἐμπύρευμα, quod superesse cuiusdam visceris intemperiem arguit, à qua noua humoris generatio fieri potest, vnde relapsus periculum subest.

Si mens tranquilla, sensus integerrimi, somnus placidus, nec turbulentus, ac bellè decumbat in alterutrum latus, bona fuit crisis; sin minùs, mala.

D. *Quid in excrementis?*

C. Si deiectiones sint coloratæ & figuratæ, ac vrinæ sanorũ similes, salutaré crisim testantur: Si tenues appareant, aut rubræ, relapsum minantur. Et excrementis.

D. Antecedentia, comitantia & consequentia crisis signa patefecisti, nunc dierum criticorum differentias ex te audire cupio.

Dierum criticorũ differentia.

C. Dierum criticorum tres statuuntur differentiæ, alii sunt verè critici, principes dicuntur, alii indices: alii intercalares, qui inter principes, & indices intercidunt.

D. Quinam sunt dies verè critici?

Dies critici principes, qui & quot sint.

C. Qui perfectè, fidè, manifestè & sine periculo iudicant.

D. Quot sunt dies critici principes?

C. Tres, septimus, decimus quartus, & vigesimus. Septimus peracutorum morborum terminus est: decimus quartus acutorum simpliciter: vigesimus verò acutorum, qui tardi fuerunt ab initio, aut quorum continuatum non fuit acumen.

D. Quænam est dierum criticorum causa?

quæ dierum criticorum causa sit materialis, efficiens. vniuersalis.

C. Dierum criticorum causa duplex, vna materialis, efficiens altera. Materialis, humor est noxius, qualitate, aut quantitate peccans. Efficiens verò duplex, vna vniuersalis & remotissima; cælum, cuius vires ferè om-

nes

nes Luna inferior excipit, eásque nobis communicat: altera particularis & proxima, nempe natura: quæ licet ἀπαίδευτος, καὶ ἀμαθής, consilii & rationis sit expers; motus tamen edit certos & constanti ordine definitos. Itaque ad perficiendas crises septimum, decimumquartum, ac vigesimum diem elegit. particularis.

D. Sed cur vigesimus dies est potiùs criticus, quàm vigesimus primus, cùm septenarij omnes perfectè sint critici?

C. Respondeo: vigesimum diem finem esse tertiæ septimanæ; quia ex tribus septimanis sola prima integra numeranda est, secunda cum tertia copulatur: adeò vt quartus decimus dies, finis sit secũdę, & principiũ tertię. Cur vigesimus dies sit potius criticus quàm vigesimus primus.

D. Cur priore septenario posterior vterque copulatus vno die breuior?

C. Id duabus ex causis accidit: vna quòd naturalis motus, cuius generis est criticus, in principio tardior, in fine celerior existat: altera, quòd materia morbifica superiori septenario attenuata & mitificata consequentibus, longè faciliùs ac citiùs à natura extrudatur.

D. Nonne vigesimus primus aliquando criticus?

Cur vigesimus primus aliquãdo criticus.

C. Maximè. Cùm enim crassior ac contumacior morbi materia tardiùs à natura deuincitur, ad vigesimum primum diem prorogatur crisis. Tum singuli septenarii sunt æquales. Vnde *Hippocrates primo Epid.* circuituum, inquit, qui iudicantur diebus imparibus primus est tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus primus. *Et Aphor. 36. sect. 4.* Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimo septimo, vigesimo primo. Quocirca licet vigesimo principatum decernendi tribuamus, non tamen vigesimum primum à decretoriis diebus omninò excludimus.

D. Quinam sunt dies indices?

Dies indices qui & quot sint.

C. Qui crisim septenario die futuram indicant.

D. *Quot enumerantur?*

C. Tres, quartus, vndecimus ac decimus septimus, quibus iudicandi ius non denegatur; decernunt enim ali-

quando, ſed imperfectiùs; proptereà ἐπίδηλοι, indices potiùs dicũtur, quàm iudices: θεωρητοὶ, contemplabiles vocantur etiam ab Hippocrate, quòd eorum obſeruatio ad criſeωn præſentionem Medico ſit neceſſaria. Quartus quippe ſeptimi eſt index, vndecimus quarti decimi, ac decimus ſeptimus vigeſimi.

D. *Eſtne id perpetuum?*

C. Maximè, ſi nihil externum, aut nternum occurrat, quod ordinarium aturę motum interturbet: vt ſi neque Medicus quid peccauerit, neque ger, neque miniſtrorum quiſquam, eque error vllus extrinſecus admiſus ſit, nec quicquam intrinſecus ſpõe ſuperuenerit, quod deſignauit Hippocrates in Coacis prænotionibus, quiens, τῶν λοιπῶν κατὰ λόγον ἐχόντων, ſi ætera conuenienter ſint conſtituta. ieri enim poteſt ob externam, aut internam aliquam cauſam, vt quartus ptimum ſemper non indicet, nec ndecimus quartum decimum, nec ecimus ſeptimus vigeſimum.

D. Quinam ſunt dies intercidentes? Dies intercalares, qui & quot ſint.

C. Qui naturam pruritant, & ante

tempus excernere cogunt, quales in prima septimana tertius & quintus, in secunda nonus & decimus tertius, in tertia decimus nonus. Hi ea prærogatiua decernunt, quia impares sunt, ac acuti morbi; cùm imparibus exacerbentur diebus, imparibus iudicari solent. Sed quæ diebus intercalaribus contingunt crises, ferè omnes imperfectæ sunt, atque periculosæ: quia maligna humoris morbifici qualitate iritatur adeò natura, vt cruda & cocta simul excernat, & cum noxiis laudabiles etiam humores expellat.

D. Quomodo reliqui dies appellantur?

Cur reliqui dies, vacui appellentur.

C. Interiecti dies, vt sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextus decimus, octauus decimus, vacui appellantur, quòd nec iudicent, nec indicent, nec prouocent. Licet enim excretiones illis diebus nonnunquam contingant, omnes tamen à morbi malignitate fiunt, non à natura au vincente, aut iritata: ac proinde symptomaticæ sunt, non criticæ.

Sextus dies omnium est pessimus crudelis, infidus, septimo omnino cō trarius. Quocirca hic Regi clementi

ſimo aſſimilatur; quia multos ab interitu vindicat: ille verò Tyrannus à Galeno nuncupatur; quia ægros ferè omnes ad exitium præcipitat, aut ſaltem in magnum vitę diſcrimen adducit.

Vacui dies à Doctis quibuſdam Medicinales dicuntur, quòd illis cathartica tutò exhibere poſſit Medicus; cùm diebus criticis non audeat, ne actionem naturæ perturbet. Cur dies vacui Medicinales dicti.

DE PVLSIBVS.

D. *Quoniam omnia, quæ hactenùs recenſuiſti, morborum ſigna, cùm diagnoſtica, tum Prognoſtica, à pulſibus & vrinis potiſſimùm ducuntur, vnde Medicus ad ægrum curandum accerſitus, priuſquàm curationem aggrediatur, pulſum protinùs contrectat, mox vrinam diligenter inſpicit, ad morbi diagnoſim & prognoſim conſequendam; animus mihi eſt explorare, num artis Sphygmicæ peritus, & in Ouroſcopia verſatus ſis. Imprimis ex te quæro quid ſit σφυγμὸς, Pulſus?* Mens Authoris.

C. Pulſus eſt motus cordis & arteriarum, ex diaſtole, ſyſtole, & intermedia quiete, conſtans à facultate vitali, ad natiuum calorem moderan- Quid Pulſus?

Diastole. dum editus. Diastole est, quâ arteria se dilatat; vt aëre tracto insitum calorem temperet, ac spiritui pabulum submi-

Systole. nistret. Systole, qua in se ipsa considet, séque summittit; vt spiritus fuliginem exustione comparatam expellat. Inter vtrámque media quies intercedit, eáque gemina: vna supera, quæ diastolen: altera infera, quæ systolen terminat.

D. Quotuplices sunt Pulsuum differentiæ?

C. Duplices. Aliæ enim absolutæ, aliæ comparatæ, quæ vulgò respectiuæ vocantur.

D. Quot sunt absolutæ pulsuum differentiæ?

Absolutæ Pulsuum differentiæ. C. Quoniam Pulsus, motus localis est, ad quem quinque requiruntur, mouens, mobile, spatium in quo fit motus, & tempus tàm motus, quàm quietis; quinæ statuuntur absolutæ Pulsuum differentiæ.

1. à mouente: A Pulsifica facultate, valida vel languida, Pulsus dicitur σφοδρός, vehemens; aut ἀμυδρός, imbecillus, languidúsve; vel σύμμετρος, moderatus.

vnde Pulsus vehemẽs. Vehemẽs, cùm vehementer tactum

ferit. Imbecillus, cùm remiſsè. Moderatus, cùm mediocriter. Imbecillus, Moderatus.

Ab arteriæ qualitate, Pulſus dicitur σκληρὸς, durus: vel μαλακὸς, mollis: aut σύμμετρος, mediocris. 2. à mobili. vnde Pulſus durus, Mollis. Mediocris.

Durus, cùm ſiccior, & in modum corii rigidior, arteria occurrit, vt in febre Hectica; aut valde comprimitur, vt in pleuritide. Mollis, quando arteria tenera, laxáque percipitur. Mediocris, qui inter durum, mollémque medius eſt.

A ſpatio diſtentę arterię, ſeu ex diaſtoles quantitate, pulſus dicitur μέγας magnus, vel μικρὸς paruus, aut σύμμετρος moderatus. 3. A ſpatio in quo fit motus.

Magnus pulſus, quando arteria in omnes dimenſiones diſtenditur. Sic magnus pulſus, longus, latus & altus ſimul eſt. Paruus verò breuis, ſtrictus & humilis. Mediocris, amborum medius. vnde Pulſus magnus, Paruus, Mediocris.

A tempore pulſationis, Pulſus dicitur ταχὺς, velox ſiue celer: vel βραδὺς, tardus: aut σύμμετρος, moderatus. 4. A tempore motus. à quo Pulſus velox, tardus, moderatus.

Velox qui breui tempore arteriam diſtendit. Tardus qui tardo. Moderatus qui mediocri.

5. A tempore quietis, à quo.

A tempore verò quietis, quæ est vtrique motui contrario interiecta, pulsus dicitur πυκνὸς, frequens seu creber: vel ἀραιὸς, rarus: aut σύμμετρος, mediocris.

Pulsus frequens, rarus, mediocris.

Frequens, qui sæpè & breui quietis interuallo arteriam distendit, tactúmque ferit. Rarus qui ex longioribus interuallis. Mediocris qui inter frequentem & rarum medius.

D. Absolutæ Pulsuum differentiæ, simplicésne reperiuntur, an compositæ?

Vt simplices pulsus sæpiùs coniuncti percipiuntur.

C. Simplices pulsus per se considerati, sæpiùs coniuncti percipiuntur. Plerúmque enim accidit, vt pulsus vehemens, mollis, magnus & velox simul sit: Pulsúsque imbecillus, paruus, creber, & nonnumquam durus reperiatur. Sed qui simplices differentias probè perspectas habet, facilè etiam compositas inueniet.

D. Hactenus absolutas pulsuum differentias recensuisti, comparatæ supersunt, quæ & quot sint expone?

Comparatæ Pulsuum differentiæ.

C. Præter absolutas Pulsuum differentias, tres sunt comparatæ, quæ proportionem, æqualitatem & ordinem respiciunt.

Pulſus reſpectu proportionis, quæ ῥυθμὸς, i. concentus Græcis dicitur, alius eſt εὔρυθμος conſonus, qui rhythmum ſeruat proprium: alius ἄρρυθμος abſonus, diſſonúsve, id eſt παράρρυθμος: vel ἑτερόρρυθμος, qui alienum rhythmũ mutuatur: vel ἔκρυθμος, qui nullum rhythmum refert.

A proportione, vnde pulſus. εὔρυθμος. ἄρρυθμος.

Pulſus æqualitatis reſpectu, alius eſt ὁμαλὸς æqualis; alius ἀνώμαλος, inæqualis.

Ab æqualitate, vnde Pulſus.

Æqualis, qui ſui ſemper ſimilis, parem retinet in vehementia, magnitudine, celeritate, ac cæteris differentijs conſtantiam.

Æqualis.

Inęqualis, qui æqualitatem non ſeruat in vehementia, magnitudine, celeritate, alijſque differentijs.

Inæqualis.

Ordinis reſpectu, Pulſus alius eſt τεταγμένος ordinatus, alius ἄτακτος inordinatus. Pulſibus æqualibus ſemper ordo adiunctus eſt: inæquales verò alij ſunt ordinati, in quibus certa & definita ſeries inæqualitatis ſeruatur: alij inordinati, qui nullam prorſus circuitus in magnitudine, celeritate, frequentia, aut vehementia, formam retinent.

Ab ordine, vnde Pulſus ordinatus, inordinatus.

D. *Quid est rhythmus?*

Quid Rhythmus. C. Rhythmus est proportio quæ spectatur in comparatione diastoles cum systole, penes tempus motus & quietis.

D. Vnde rhythmi nomen deductum est?

Vnde nomen deducitur. C. Rhythmi nomen, quod symphoniam certa dimensione constantem significat, à Musicis ad Medicorum scholas translatum est: quia pulsus vtróque motu, ac gemina quiete, quendam veluti concentũ obseruat.

D. Quotuplex est Rhythmus?

Quotuplex Rhythmus. C. Vt proportio par vel impar esse potest, ita Rhythmus alius est æqualis, quo tempus distentionis respondet tempori contractionis; alius inæqualis, cùm alterum ab altero superatur. Æqualitas Rhythmi varia est, pro temperamenti, sexus, ætatis, temporis & regionis diuersitate.

D. Quid vocas proprium Pulsus Rhythmum?

Quid proprius Rhythmus. C. Proprius Rhythmus est, cuius æqualitas naturæ, sexui, ætati, tempori & regioni consentanea est. Sic pulsus celer bilioso homini, floridæ ætatis, æstate, in calida regione est.

analogus: Pituitosæ verò mulieri, vetulæ, hyeme, in frigida regione anomalus.

D. Quotuplex est anomalia?

C. Anomalia duplex est, vna singularis, altera systematica. Illa in vna pulsatione, hæc in pluribus pulsationibus spectatur. Illa rursus vel in vna parte arteriæ, vel in diuersis, ac vno digito, vel multis digitis arteriam contingentibus, percipitur. Quotuplex inæqualitas.

D. Recense singulas anomaliæ differentias in vna pulsatione perceptibiles?

C. Inæqualitas in vna pulsatione, & in vna parte arteriæ triplex obseruatur, 1. cùm systole celerior est, quàm diastole, vt in febribus putridis: vel contrà, vt in ardentibus. 2. cùm motus, licet continuus, initio tamen celerior est, in fine tardior, vt pulsus impar citatus, qui Græcis ἀνισοταχὴς, dicitur: vel, cùm diastole interciditur quiete, & post eam velocior pulsus euadit. Hic διακόπτων intercisus est, & proprio nomine δορκαδίζων caprizans dicitur. Vnicus pulsus est, non geminus, licet in vna diastole, quasi duplex, ictus sentiatur. Nomen sortitur à sal-

In vna pulsatione, & vna parte arteriæ. Pulsus dissonus. Impar citatus.

Caprizans.

tu caprarum, quæ cùm aliquem adoriuntur, inter saliendum quasi sublimes hærent, & antequàm motum perficiant, quiescere videntur, sed mox maiore impetu & celeritate motum absoluunt. 3. cùm frequentior percipitur, veluti δίκροτος, pulsus bis feriens, qui repetit tanquam malleus ab incude resiliens, post absolutam diastolen, antequam systole absoluta sit; à percussu geminato sic dictus.

Dicrotus.

In diuersis arteriæ partibus.

In diuersis partibus arteriæ inæqualitas obseruatur, vel ratione situs, vel ratione motus. In situ quidem, cùm arteria ipsa, à propria sede traducitur, vt in pulsu vibrato, in quo arteriæ quædam partes sursum, aliæ deorsum eodem tempore feruntur, instar iaculorum valida manu emissorum: & in pulsu conuulsiuo, in quo vtrinque ab extremis retrahi, tendi & conuelli videtur arteria, instar chordæ tensæ. Conuulsiuo pulsui tremulus & palpitans sunt finitimi. In motu pulsus inæqualis dicitur, cùm multis digitis arteriam contingentibus dissimilis occurrit, quod duobus modis accidit. Prior est, cùm motu cōtinuo existen-

Ratione situs.

Pulsus vibratus.

Conuulsiuus.

Ratione motus.

te, inæqualitas quædam in celeritate, duritie & magnitudine, digitis omnibus æquè tangentibus percipitur, cuius generis sunt, pulsus ἐμπρίων, serratus, qui serræ modo ferit digitos, partibus aliis arteriæ magis distentis, aliis minùs: & κυματώδης, vndosus, quo arterię partes vicissim, vndarum instar sese attollentium, distenduntur. Qui si paruus, frequens & languidus fiat, σκωληκίζων, vermiculans dicitur, quia tùm vermium reptatui similis est. Ac si tandem omnium minimus euadat, frequentissimus & languidissimus, vt vix deprehendatur, μυρμηκίζων, formicans appellatur, quia formicarũ gressui similis videtur. Posterior est, cùm motus interciditur, adeò vt arteria parte vnâ feriat digitum aliquem, alterâ minimè. Vnde διαλείπων, intercisus aliqua ex parte dicitur.

Pulsus serratus. Vndosus. Vermiculans. Formicans. Interruptus.

D. Singularem in vna pulsatione inæqualitatem enarrasti, perstringe systematicam, in pluribus pulsationibus magnitudine imparibus consistentem?

C. Anomalia συστηματικὴ collectitia, quæ in congerie multarum pulsationum inter se collatarum reperitur,

Inæqualitas in pluribus pulsationibus magnitudine imparibus.

Pulsus æqualiter inæquales. Myurus. duplex est, prout pulsus inæquales fiunt æqualiter, aut inæqualiter. Æqualiter imminuũtur, si primo pulsu secundus paulò sit minor, tertius secundo, quartus tertio, & pari modo reliqui, à murinæ caudæ sensim gracilescentis similitudine μύουροι Græcis dicti, Latinis decurtati.

Deficiẽs. Reciprocus. Qui bifariam diuiduntur. Alii enim diminui non cessant, donec deficiant: alii denuò resurgunt, & ad pristinam redeunt magnitudinem. Illi μύουροι nuncupantur ἐκλείποντες deficientes, hi verò παλινδρομοῦντες reciproci.

Pulsus inæqualiter inæquales. Intermittens. Pulsus inæquales sæpè ægris inæqualiter, nullâ seruatâ proportione contingunt: quales sunt διαλείπων, intermittens, cuius inæqualitas in raritate consistit, quia vna vel altera deest pulsatio; & παρεμπίπτων, coincidens, qui in frequentia inæqualitatem habet: quia inter duas pulsationes tertia præter spem intercurrit, veluti superuacanea.

Coincidens.

DE CAVSIS PVLSVVM.

D. *A Pulsuum differentiis, ad causas transeamus. Quot sunt Pulsuum causæ?*

Continẽtes Pulsuũ causæ. C. Tres statuuntur continentes

pulsuum causæ, facultas, instrumentum, & vsus. Siquidem facultas vitalis è corde profecta, est efficiens pulsus causa princeps: Arteria est instrumẽtalis, quæ mouetur à facultate propter vsuum & mouendi necessitatem. Vsus est finis principem ad mouendum impellens, tribus de causis vrgens, præ spiritus penuriâ, caloris exuperantiâ, & fuliginis copiâ. Vnde triplex vsus existit admodum necessarius, reparatio spiritus vitalis, cõtemperatio caloris natiui, & excretio fuliginis. At facultas vel robusta, vel imbecilla est: instrumentum vel molle, vel durum, aut mediocre: vsus alius auctus, alius imminutus, alius moderatus.

Præter continentes, aliæ internæ pulsuum alteratrices causæ. Externæ, vt æstas, hyems, & quæcúmque extrinsecùs calore & frigore corpus alterant; vt aër, cibus, potus, motus, quies, somnus, balneum, animíque perturbationes. Internæ, vt plethora, cacochymia, morbus, symptoma, & si qua id genus in corpore continentur pulsus immutantia. Pulsus natura- Alteratrices Pulsuum causæ.

lis & moderatus, à natura sua & mediocritate non recedit, nisi ab alterutra causa violéta, externa vel interna, primùm alteretur. Cor secundum naturam constitutum pulsu symmetro insitum sibi calorem, spiritúsque mediocritatem tuetur: ac præter naturam affectũ, diuerso pulsu quicquid molestum infensúmque est excutere, aut etiam quicquid deest, instaurare contendit.

D. Vehementis & languidi pulsus causas expone?

Causæ quę Pulsum vehementẽ & lãguidum efficiunt.

C. Quemadmodum vehemens Pulsus editur ab ijs omnibus quæ facultatem roborant, vt à bona cordis temperie & symmetria, legitimáque diæta, quæ in recto armorum naturalium vsu consistit: ita languidus ab ijs, quæ eandem frangunt & debilitant, cuiusmodi sunt inedia, labor, cura, tristitia, dolor, vacuatio omnis immodica.

D. Cedo duri, mollísque pulsus causas?

Causæ Pulsus duri & mollis.

C. Pulsus durus ab arteriæ siccitate, vel constrictione, vel tensione, prouenit. Siccitas fit ab immoderato vini meracioris vsu, à febre ardente, hecti-

ce, quartana, aliisque morbis à melancholia. Constrictio à frigore, quod aëris, balnei, aut frigidæ potionis vis intulit. Tensio à conuulsione, ab inflammatione, vel à scirrho iecoris, aut lienis. Mollem pulsum efficiunt contrariæ causæ, quæ arteriam humectant, emolliunt, relaxant; cuiusmodi sunt cibi humectantes, balneum frequens aquę dulcis, somnus multus, otiosa vita, mollis & delicata, morbi à pituita, vt lethargus, anasarca.

D. Magni & parui Pulsus causas aperi?

C. Magnus Pulsus prouenit à facultate forti, instrumento molli & vsu aucto: paruus à facultatis debilitate, instrumenti duritie & vsu remisso. Causæ Pulsus magni & parui.

D. Velocis & tardi, crebríque ac rari causas enarra?

C. Velocem Pulsum efficit, atque etiam crebrum, fuliginis copia, vel calor auctus, aut dissipatus spiritus. Proinde à causis omnibus naturalibus, non naturalibus, & contra naturam, vt calidiore temperamento, iuuentute, feruida cæli constitutione, vehe- Velocis & crebri

mentiori exercitatione, iracundia, calidiori cibo & potu, febre, & calida qualibet intemperie, celerior Pulsus editur, cùm facultas est robusta & vsus postulat. Quòd si maior sit necessitas, & imbecilla facultas, accedit crebritas in subsidium. At Pulsum efficiunt tardum & rarum contrariæ causæ, temperamentum frigidius, senectus, hyems, metus, tristitia, intemperies frigida.

Tardi & rari.

Vsus enim paucus, aut nullus, facultas debilis. Quocirca cùm facultas est robusta, vehemens Pulsus editur. Quòd si obsequatur arteria, & sese in dimensiones omnes extendi, à robusta facultate patiatur, fiet quoque magnus. Verùm vrgente necessitate, vt in febribus putridis copia fuliginis per systolen expurganda, in ardentibus per diastolen æstus contemperandus, fiet Pulsus velox & concitatus: tandémque vel oppressa vel debilitata facultate, aucto tamen vsu fiet creber. Contrario modo contrarij pulsus sese consequuntur. Primùm enim facultate imbecilla, fit pulsus rarus, deinde tardus, tùm

paruus, postremò languidus.

D. *Æqualis & inæqualis Pulsus causas exprome?*

C. Pulsus æqualis editur à potente facultate, instrumẽto apto, & vsu moderato: Inæqualis verò à facultate inualida, vtpote oppressa, languente vel exoluta; ab instrumento læso, ineptóve; & abvsu aucto, vel imminuto. Opprimitur facultas à cibo copiosiore, plethora, insigni cachochymia. Languet atrophia, morbo. Exoluitur immodica vacuatione, dissipatísque spiritibus immoderata agrypnia, improbo labore, anxifera cura, excruciãte dolore. Instrumentum ineptum redditur, vel propter sanguinis plenitudinem in venis vel arteriis contenta; vel propter obstructionem à crassis & lentis humoribus illic impactis; vel propter compressionem à phlegmone, alióve præter naturam tumore id obsidente; aut alia causa adstringente, liberum spiritus transitum impediente. Dum enim aucto vsu vrgente, facultas multitudine humorum onerata, aut obstructione impedita, aut compressione obsessa, aut per se lan-

Causæ Pulsus æqualis & inæqualis.

mentiori exercitatione, iracundiæ, calidiori cibo & potu, febre, & calida qualibet intemperie, celerior Pulsus editur, cùm facultas est robusta & vsus postulat. Quòd si maior sit necessitas, & imbecilla facultas, accedit crebritas in subsidium. At Pulsum efficiunt tardum & rarum contrariæ causæ, temperamentum frigidius, senectus, hyems, metus, tristitia, intemperies frigida.

Tardi & rari.

Vsus enim paucus, aut nullus, facultas debilis. Quocirca cùm facultas est robusta, vehemens Pulsus editur. Quòd si obsequatur arteria, & sese in dimensiones omnes extendi, à robusta facultate patiatur, fiet quoque magnus. Verùm vrgente necessitate, vt in febribus putridis copia fuliginis per systolen expurganda, in ardentibus per diastolen æstus contemperandus, fiet Pulsus velox & concitatus: tandémque vel oppressa vel debilitata facultate, aucto tamen vsu fiet creber. Contrario modo contrarij pulsus sese consequuntur. Primùm enim facultate imbecilla, fit pulsus rarus, deinde tardus, tùm

paruus, postremò languidus.

D. *Æqualis & inæqualis Pulsus causas exprome?*

C. Pulsus æqualis editur à potente facultate, instrumẽto apto, & vsu moderato: Inæqualis verò à facultate inualida, vtpote oppressa, languente vel exoluta; ab instrumento læso, ineptóve; & abvsu aucto, vel imminuto. Opprimitur facultas à cibo copiosiore, plethora, insigni cachochymia. Languet atrophia, morbo. Exoluitur immodica vacuatione, dissipatísque spiritibus immoderata agrypnia, improbo labore, anxifera cura, excruciãte dolore. Instrumentum ineptum redditur, vel propter sanguinis plenitudinem in venis vel arteriis contenta; vel propter obstructionem à crassis & lentis humoribus illic impactis; vel propter compressionem à phlegmone, alióve præter naturam tumore id obsidente; aut alia causa adstringente, liberum spiritus transitum impediente. Dum enim aucto vsu vrgente, facultas multitudine humorum onerata, aut obstructione impedita, aut compressione obsessa, aut per se lan-

Causæ Pulsus æqualis & inæqualis.

guida, nihilominùs quæ suum instrumentum sæpè duriùs vel molliùs vitiant, vehementibus, magis, celeribus, ac crebris motibus propellere studet, variam inæqualitatem nasci est necesse.

D. *Ista generales inæqualitatis Pulsuum causæ, per speciales anomaliæ primum singularis, dein collectitiæ differentias distinguendæ sunt. Ordiamur ab inæqualitatis varietate, quæ vno digito, in vna parte arteriæ percipitur: posthac ad eam progressuri, quæ pluribus digitis, in diuersis arteriæ partibus, deprehenditur. Quænam est rhythmi consoni & dissoni causa?*

Rhythmi consoni & dissoni causa.

C. Pulsus est εὔρυθμος, in quo contractio æquè celer est, ac distensio: ἄρυθμος, in quo contractionis & distensionis est inæqualis celeritas. Vtriusque causa ab vsu solo dependet. Cùm enim arteria diastole frigidum humorem attrahat, systole verò fuliginosa excrementa expellat; luce meridiana clarius, vbi par est systoles & diastoles necessitas, æqualem quoque rhythmũ futurum: vbi verò alterius necessitas magis vrget, contractionem distensione, vel distensionem contractione

futuram celeriorem.

D. Quænam est imparis citati Pulsus causa?

C. Pulsus αἰωνταχὺς prodit à facultate non exoluta, sed onerata, quæ id quod molestum est expellere conatur. Pulsus imparis citati causa.

D. Quænam est caprizantis Pulsus causa?

C. Causa caprizantis Pulsus est vis robusta, quæ tamen humorum copiâ grauatur, vel obstructione arteriæ impeditur, quominùs continuum motum possit conficere. Ideò cogitur paulisper consistere in ipso motu, sed recollectis viribus motum celeriorem & vehementiorem edit, vt superet obstaculum. Pulsus caprizantis causæ.

D. Quæ dicroti causæ?

C. Pulsus dicrotus fit à facultate valida, duro instrumento & vsu vrgente. Vbi quippè facultas ob caloris excessum, arteriam multùm distendere contendit, neque ob instrumenti duritiem, voti compos euadit, duplici motu id studet assequi, quod vnico non potuerat. Pulsus dicroti causæ.

D. Quænam sunt inæqualitatis in diuersis arteriæ partibus, causæ?

Inæqualitatis in diuersis arteriæ partibus causæ.

C. Inæqualitatis singularis in diuersis arteriæ partibus causæ sunt, vel facultas imbecilla, vel copia humorum, vel extrema instrumentorum mollities, vnum ex ijs, vel plura. Facultas enim imbecilla ex corde in arterias deriuata, non potest pari firmitate totum vas attollere, sed propinquiorem scaturienti fonti, i. cordi, partem magis & citiùs attollit ac vehementiùs; remotiorem autem tardiùs & minùs & debiliùs: donec vis quæ in priore parte erat, permeet etiam ad posteriorem; quæ aucta robore ex minore in maiorem, ex tardiore in celeriorem, ex debiliore in fortiorem motum prosilit. Copia autem humorum impedit facultatem, remorando, detinendo, dirimendo & scindendo continuum eius progressum. Non enim sinunt æqualem esse motum Pulsus humores, ac eo potissimum loco quo affluunt. Quapropter fit, vt in quibusdam partibus motus maior, celerior & vehementior: in quibusdam minor, tardior, languidior: in quibusdam etiam minimus, vt sensu percipi nequeat, ac veluti quie-

te interruptus appareat. Instrumentum autem supra modũ molle, quòd facies arteriarum tùm multa humiditate sint imbutæ, non potest æqualiter omnibus partib⁹ dilatari, propterea quòd flaccidum corpus ineptum sit ad motum æqualem. Partes enim magis cordi proximæ attolluntur, aliæ verò interim flectuntur, non attolluntur.

D. Istæ generales inæqualitatis Pulsuum in diuersis arteriæ partibus perceptibilium causæ, per speciales differentias enucleandæ sunt, ducto ab ea exordio, quæ in situ cernitur. Quænam sunt vibrati & conuulsiui Pulsus causæ?

C. Vibratus Pulsus fit, cùm potens facultas, vrgente necessitate, loco maximæ distensionis, nunc hanc, nunc aliam partem arteriæ duræ, in acumen flectit, sursúmque eiaculatur, vt in magnis inflammationibus, & tenacissimis obstructionibus. Vibrati Pulsus causa.

Conuulsiui Pulsus causa est neruorum conuulsio. Nam dum nerui contrahuntur, arteriæ etiam contrahuntur. Magna enim est neruorum & arteriarum societas, non solùm quòd si- Causæ pulsus conuulsiui.

bras arteriæ à neruis accipiant, sed etiam quòd singuli ramuli arteriæ vel & neruorum inuicem sint coniun-. Ferè enim cuilibet arteriæ infrà n ad latus neruus adhæret.

Tremuli. Pulsus tremulus facultatis imbecillitatem, arteriæ mollitiem, aut cor...

Palpitantis. palpitationem, sequitur. Palpitan. autem Pulsus causa est flatuosa. Si quidem Palpitatio non fit, nisi à flatu in membris occluso, qui exitum quærit, & agitat secum continentia membra; tandiu, donec vel resoluatur; vel violenter explosus in cognatum sibi aërem expiret.

D. Persequamur inæqualitatis differentiam, quæ in motu spectatur. Quibus ex causis fit serratus Pulsus?

Causæ Pulsus serrati. C. Serrati Pulsus causæ sunt facultas onerata, durum instrumentum & vsus auctus. Hic enim distensionem postulat, sed arteria ob duritiem ex tensione & inflammatione natam, ægrè distenditur, præsertim ab affecta facultate.

Quæ vndosi, vermiculantis & formicantis Pulsus causæ sunt?

Vndosi. C. Pulsus vndosus à copia humorum,

rum, inſtrumenti mollitie & grauata facultate naſcitur. Tres igitur ad eius generationem cauſæ concurrunt, facultas imbecilla, quæ pari firmitate totam arteriam attollere non poteſt, copia humorum quæ facultatem remoratur, & inſtrumenti mollities ob humiditatem: vnde fit vt æqualiter diſtendi non poſſit, ſed partes eius aliquæ attollantur, aliæ flectantur. Vndoſus diſſoluta magis virtute, in vermiculantem ſæpiùs degenerat: & vermiculans fatiſcentibus viribus in formicantem, qui acutis atque malignis febribus non rarò contingit.

Vermiculātis.

Formicantis.

D. Supereſt anomaliæ ſyſtematicæ cauſa. Quotuplex eſt?

C. Collectitiæ inęqualitatis, quæ in multis pulſationibus ſpectatur, cauſa duplex: facultas inualida, & ineptum inſtrumentum. Facultas autem inualida eſt, cùm opprimitur plenitudine aut impuritate humorum, vel diſſoluitur intemperie, morbi vehementia vel diuturnitate, vacuationibus immodicis, dolore, inedia, & animi affectibus. Inſtrumentum verò ineptum eſt, cùm impeditur repletione, obſtru-

Cauſæ inæqualitatis ſyſtematicæ.

ctione, aut compressione.

D. Quæ ex causa Myurus oritur Pulsus?

Causa Pulsus Myuri.

C. Myurus pulsus causam habet imbecillam facultatem, quæ remotioribus partibus à corde parciùs affunditur, propioribus vberiùs. Quapropter propiores cordi magis distẽduntur, remotiores minùs: & quantò partes longiùs distant à principio, tantò minores motus edent.

D. Quænam est intermittentis & deficientis Pulsus effectrix causa?

Intermittentis. Deficientis.

C. Vt modica virium solutio pulsum languidum, paruum, tardum, rarum; ita maior intermittentem, maxima deficientem, & tandem ἀσφυξίαν, omnimodam pulsus priuationem efficit.

D. *Quæ deficientis reciproci causa est?*

Reciproci.

C. Recurrens pulsus fit ab innalescente facultate, quo premebatur onere liberata.

D. Quæ ex causa Pulsus intercidens enascitur?

Intercidentis.

C. Pulsus intercurrens fit à facultate robusta, sed onerata, quæ nihilominùs quicquid molestum est

excutere nititur.

D. *Vnde oritur tanta illa Pulsus inæqualitas, quæ in malignis febribus animaduertitur: vt qui nunc languidus est, mox vehemens appareat: & qui paruus, mox magnus: qui celer, ilicò tardus: & qui creber, statim rarus?*

C. Id accidit, cùm facultatis substãtia non ipsa per se consumitur, sed vel obstructione, vel tumore præter naturam, vel humorum copia & influxu quasi pressa & obruta succumbit; & cùm perniciosa aura lacessitur, ac acerrimè validior reluctatur. Cõtinuæ inæqualitatis.

DE SIGNIS MORBORVM, quæ petuntur à Pulsibus.

D. Quæ morbi signa petuntur à Pulsu?

C. Diagnostica febris signa, omniúmque morborum prognostica, ex pulsu potissimùm sumuntur. Febris quippè primaria est, vel symptomatica. Primaria verò, continua, vel intermittens. Huius accessiones, & accessionum quatuor tempora, pulsus mutatione cognoscuntur. Continuæ febris exacerbationes & remissiones pulsus quoque fideliter indicat. Febris symptomatica simul cum prima- Quæ morbi signa ducantur à Pulsu.

riis morbis augetur & minuitur. Vt igitur febris, quæ magnis morbis ſuperuenire ſolet, incrementum & declinatio diſcernantur, accurata Pulſus obſeruatio confert. Itaque febres tàm primarias quàm ſymptomaticas, atque ex accidenti magnos omnes morbos Pulſus demonſtrat. Vires autem ægri pulſus certò prodit, quarum comparatione cum morbo facta, de futuro euentu tutò pronuntiatur. Nam ſi morbus augeatur, & vires minuantur, mortis periculum imminet. Si verò morbus minuatur, & vires augeantur, ſpes recuperandæ ſanitatis affulget. Cùm morbus non minuitur, ſed vires conſtant, quæ longitudinem & magnitudinem morbi perferre poſſunt, non eſt deplorata ſalus. In hac viriū cum morbo collatione, ſeu cóparatione, prognoſis tota vertitur. Vtrúmque verò pulſu deſignatur. Itaque tàm diagnoſtica, quàm prognoſtica morborum ſigna petuntur à pulſu: certiora tamen ſunt Prognoſtica, quia virium fidelis nuntius eſt pulſus.

D. Quæ generatim tetigiſti morborum

ex Pulsibus signa cùm diagnostica, tùm Prognostica, minutiùs per species explicanda sunt. Quid vehemens & languidus Pulsus significant?

C. Effectus est index suæ causæ. Pulsus vehemens fit à robusta, languidus à languida facultate. Ergo pulsus vehemens, vitalis facultatis robur indicat; & quò vehementior est, eò maiores vires significat; ac sanis vitæ longitudinem, ægrotis securitatem pollicetur. Si tamen naturæ limites excedat vehementia, non vigorem virtutis, sed iritationem annuntiat. Languidus contrà, debilitatem facultatis arguit; & quantò est languidior, tantò maiorem virium defectum esse attestatur Debilis autem facultas est, ex spirituum dissipatione, vel quòd opprimatur humorum copia. Quid vehemens & debilis Pulsus significant.

D. Quid Pulsus durus & mollis significant?

C. Pulsus mollis humidum corporis habitum indicat, qualis est in hydropicis. Durus contrà, vel siccitatem à febre ardente & maligna, vel hectica, aut quartana profectam, vel adstrictionem ex frigore, vel tensionem à Quid Pulsus durus & mollis.

conuulsione, vel tumore præter naturam, aut repletione vasorum ortam, præ se fert.

D. Quid Pulsus magnus & paruus significant?

Quid magnus. C. Magnus Pulsus morbum calidum significat. Nam propter auctum calorem arteria se quoquouersum pandit. Vbi ex robore facultatis proficiscitur, magnus est simul & vehemens. Si ex mollitie instrumenti, magnus & mollis existit. Si ex aucto calore duntaxat, caret vehementia & mollitudine.

Paruus. Paruus verò pulsus, si à facultatis imbecillitate prodit, erit paruus simul & languidus: Si ab instrumento duro, erit paruus simul & durus. Si neutrum adsit, nec durities, nec languor, caloris imminutionem significat.

D. *Quid celer & tardus significant?*

Quid celer. C. Celer in sanis sine magnitudine, significat exercitia immoderata, vel thermas, vel quampiam aliam nimis calefacientem causam, quæ vires attriuit. In ægrotantibus verò morbum calidum, qui iam vires labefactauit. Itaque perpetuus est febris comes.

Tardus pulsus imbecillam esse facultatem, si simul est languidus, significat. Simul durus est, si instrumentum durum fuerit. Vsum verò diminutum, si tardus duntaxat fuerit, indicat. Tardus.

D. Quid frequens & rarus significant?

C. Frequens pulsus vsum magis auctum, vel facultatem imbecillam, vel instrumentum durum, distensioni prorsus ineptum commonstrat. Si à solo aucto vsu prouenit pulsus, neque languidus, neque durus est, magnóque ac celeri superuenit; tunc magna in ægrotante coopore caliditas, quæ omnem in pulsu mediocritatem euertit, significatur. Si à debili facultate proficiscatur, imbecillitas ipsa pulsu percipitur; sicut & arteriæ durities, ob quam frequens editur, quod magnus fieri nequeat. Adiũgitúrque ferè omnibus paruis pulsibus frequentia, cùm natura id quod deest magnitudini, primò celeritate, dein frequẽtia compensare soleat. Rarus pulsus imminutum vsum arguit, ac frigidum morbum præ se fert. Perpetuò in malis sunt languidi pulsus, parui, tardi, rari, Quid frequens. Rarus.

eóque peiores, quò languidiores, minores, tardiores, rariores. Instante morte solent esse languidissimi, minimi, tardissimi, rarissimi.

D. Quid æqualitas indicat in Pulsibus?

Quid æqualitas in Pulsibus significat.

C. Facultatem esse robustam, organum aptum, & vsum moderatum.

D. Quid inæqualitas singularis portendit?

Quid inæqualitas singularis portendat.

C. Inæqualitas singularis periculosior est, quàm systematica: cùm causa quæ singulos pulsus vitiat, grauior sit, quàm quæ inter plures vnum aut alterum.

D. Quid inæqualitas rhythmi significat?

Quid inæqualitas rhythmi.

C. Pulsus arhythmus fuliginis copiam, vel caloris exuperantiã indicat: Vtráque febrem, illa putrem, hæc ardentem designat. Hinc inæqualitas rhythmi, propria perhibetur putridæ febris nota.

D. Quid Pulsus impar portendit?

Quid Pulsus impar citatus.

C. Impar citatus minus periculum portendit, quàm intermittens in vna pulsatione. Indicat enim naturam à causis insalubribus impediri, sed cum

illis nihilominus decertare prodit. Inter putridæ febris signa recensetur.

D. Quid Pulsus intermittens præsagit?

C. Pulsus in vna pulsatione intermittens perniciosior est, quàm in pluribus: quoniam natura non solùm quarto aut quinto quoque pulsu, sed in singulis sic impeditur, vt ne vnum quidem pulsum integrum perficere possit: ob idque mortem portendit, si intermissio à languida facultate proueniat. Sed si vitio tantùm instrumenti inæqualitas contingat, licet facultatem impediri significet, non adeò tamen periculosa est, vt in caprizante pulsu accidit, vbi motus quiete solùm interpolatur, & in duas quasi partes diuiditur. Quid singularis intermittens designet.

D. Quid Pulsus caprizans & dicrotus significant?

C. Ambo inæqualem cordis intemperiem, aut fumosorum excrementorum copiam, non omnibus cordis partibus æquabiliter insidere ostendunt. Quid Pulsus caprizans & dicrotus.

D. Quid Pulsus vibratus & conuulsiuus significant?

C. Vibratus Pulsus ostendit naturæ Quid Pulsus vibratus & conuulsiuus.

Inæqualitatis in diuersis arteriæ partibus causæ.

C. Inæqualitatis singularis in diuersis arteriæ partibus causæ sunt, vel facultas imbecilla, vel copia humorum, vel extrema instrumentorum mollities, vnum ex ijs, vel plura. Facultas enim imbecilla ex corde in arterias deriuata, non potest pari firmitate totum vas attollere, sed propinquiorem scaturienti fonti, i. cordi, partem magis & citiùs attollit ac vehementiùs; remotiorem autem tardiùs & minùs & debiliùs: donec vis quæ in priore parte erat, permeet etiam ad posteriorem; quæ aucta robore ex minore in maiorem, ex tardiore in celeriorem, ex debiliore in fortiorem motum prosilit. Copia autem humorum impedit facultatem, remorando, detinendo, dirimendo & scindendo continuum eius progressum. Non enim sinunt æqualem esse motum Pulsus humores, ac eo potissimum loco quo affluunt. Quapropter fit, vt in quibusdam partibus motus maior, celerior & vehementior: in quibusdam minor, tardior, languidior: in quibusdam etiam minimus, vt sensu percipi nequeat, ac veluti quie-

te interruptus appareat. Instrumentum autem supra modũ molle, quòd tunicæ arteriarum tùm multa humiditate sint imbutæ, non potest æqualiter omnibus partib⁹ dilatari, proptereà quòd flaccidum corpus ineptum sit ad motum æqualem. Partes enim eius cordi proximæ attolluntur, aliæ verò interim flectuntur, non attolluntur.

D. Istæ generales inæqualitatis Pulsuum in diuersis arteriæ partibus perceptibilium causæ, per speciales differentias enucleandæ sunt, ducto ab ea exordio, quæ in situ cernitur. Quænam sunt vibrati & conuulsiui Pulsus causæ?

C. Vibratus Pulsus fit, cùm potens facultas, vrgente necessitate, loco maximæ distensionis, nunc hanc, nunc aliam partem arteriæ duræ, in acumen flectit, sursúmque eiaculatur, vt in magnis inflammationibus, & tenacissimis obstructionibus. Vibrati Pulsus causæ.

Conuulsiui Pulsus causa est neruorum conuulsio. Nam dum nerui contrahuntur, arteriæ etiam contrahuntur. Magna enim est neruorum & arteriarum societas, non solùm quòd si- Causæ pulsus conuulsiui.

bras arteriæ à neruis accipiant ... sed etiam quòd singuli ramuli arteriæ vel & neruorum inuicem sint coniuncti. Ferè enim cuilibet arteriæ infrà ... ad latus neruus adhæret.

Tremuli. Pulsus tremulus facultatis imbecillitatem, arteriæ mollitiem, aut cor... palpitationem, sequitur. Palpitantis autem Pulsus causa est flatuosa. Si quidem Palpitatio non fit, nisi à flatu in membris occluso, qui exitum quærit, & agitat secum continentia membra; tandiu, donec vel resoluatur; vel violenter explosus in cognatum sibi aërem expiret.

Palpitantis.

D. Persequamur inæqualitatis differentiam, quæ in motu spectatur. Quibus ex causis fit serratus Pulsus?

Causæ Pulsus serrati. C. Serrati Pulsus causæ sunt facultas onerata, durum instrumentum & vsus auctus. Hic enim distensionem postulat, sed arteria ob duritiem ex tensione & inflammatione natam, ægrè distenditur, præsertim ab affecta facultate.

Quæ vndosi, vermiculantis & formicantis Pulsus causæ sunt?

Vndosi. C. Pulsus vndosus à copia humorum,

rum, instrumenti mollitie & grauata facultate nascitur. Tres igitur ad eius generationem causæ concurrunt, facultas imbecilla, quæ pari firmitate totam arteriam attollere non potest, copia humorum quæ facultatem remoratur, & instrumenti mollities ob humiditatem: vnde fit vt æqualiter distendi non possit, sed partes eius aliquæ attollantur, aliæ flectantur. Vndosus dissoluta magis virtute, in vermiculantem sæpiùs degenerat: & vermiculans fatiscentibus viribus in formicantem, qui acutis atque malignis febribus non rarò contingit. Vermiculātis. Formicantis.

D. Superest anomaliæ systematicæ causa. Quotuplex est?

C. Collectitiæ inæqualitatis, quæ in multis pulsationibus spectatur, causa duplex: facultas inualida, & ineptum instrumentum. Facultas autem inualida est, cùm opprimitur plenitudine aut impuritate humorum, vel dissoluitur intemperie, morbi vehementia vel diuturnitate, vacuationibus immodicis, dolore, inedia, & animi affectibus. Instrumentum verò ineptum est, cùm impeditur repletione, obstru- Causæ inæqualitatis systematicæ.

ctione, aut compressione.

D. Quæ ex causa Myurus oritur Pulsus?

Causa Pulsus Myuri.

C. Myurus pulsus causam habet imbecillam facultatem, quæ remotioribus partibus à corde parciùs affunditur, propioribus vberiùs. Quapropter propiores cordi magis distēdun-tur, remotiores minùs: & quantò partes longiùs distant à principio, tantò minores motus edent.

D. Quænam est intermittentis & deficientis Pulsus effectrix causa?

Intermittentis. Deficientis.

C. Vt modica virium solutio pulsum languidum, paruum, tardum, rarum; ita maior intermittentem, maxima deficientem, & tandem ἀσφυξίαν, omnimodam pulsus priuationem efficit.

D. Quæ deficientis reciproci causa est?

Reciproci.

C. Recurrens pulsus fit ab inualescente facultate, quo premebatur onere liberata.

D. Quæ ex causa Pulsus intercidens enascitur?

Intercidentis.

C. Pulsus intercurrens fit à facultate robusta, sed onerata, quæ nihilominùs quicquid molestum est

excutere nititur.

D. *Vnde oritur tanta illa Pulsus inæqualitas, quæ in malignis febribus animaduertitur: vt qui nunc languidus est, mox vehemens appareat: & qui paruus, mox magnus: qui celer, ilicò tardus: & qui creber, statim rarus?*

C. Id accidit, cùm facultatis substãtia non ipsa per se consumitur, sed vel obstructione, vel tumore præter naturam, vel humorum copia & influxu quasi pressa & obruta succumbit; & cùm perniciosa aura lacessitur, ac acerrimè validior reluctatur. Cõtinuæ inæqualitatis.

DE SIGNIS MORBORVM, quæ petuntur à Pulsibus.

D. Quæ morbi signa petuntur à Pulsu?

C. Diagnostica febris signa, omniúmque morborum prognostica, ex pulsu potissimùm sumuntur. Febris quippe primaria est, vel symptomatica. Primaria verò, continua, vel intermittens. Huius accessiones, & accessionum quatuor tempora, pulsus mutatione cognoscuntur. Continuæ febris exacerbationes & remissiones pulsus quoque fideliter indicat. Febris symptomatica simul cum prima- Quæ morbi signa ducantur à Pulsu.

riis morbis augetur & minuitur. Vt igitur febris, quæ magnis morbis superuenire solet, incrementum & declinatio discernantùr, accurata Pulsus obseruatio confert. Itaque febres tàm primarias quàm symptomaticas, atque ex accidenti magnos omnes morbos Pulsus demonstrat. Vires autem ægri pulsus certò prodit, quarum comparatione cum morbo facta, de futuro euentu tutò pronuntiatur. Nam si morbus augeatur, & vires minuantur, mortis periculum imminet. Si verò morbus minuatur, & vires augeantur, spes recuperandæ sanitatis affulget. Cùm morbus non minuitur, sed vires constant, quæ longitudinem & magnitudinem morbi perferre possunt, non est deplorata salus. In hac virium cum morbo collatione, seu cõparatione, prognosis tota vertitur. Vtrúmque verò pulsu designatur. Itaque tàm diagnostica, quàm prognostica morborum signa petuntur à pulsu: certiora tamen sunt Prognostica, quia virium fidelis nuntius est pulsus.

D. Quæ generatim tetigisti morborum

ex Pulsibus signa cùm diagnostica, tùm Prognostica, minutiùs per species explicanda sunt. Quid vehemens & languidus Pulsus significant?

C. Effectus est index suæ causæ. Pulsus vehemens fit à robusta, languidus à languida facultate. Ergo pulsus vehemens, vitalis facultatis robur indicat; & quò vehementior est, eò maiores vires significat; ac sanis vitæ longitudinem, ægrotis securitatem pollicetur. Si tamen naturæ limites excedat vehementia, non vigorem virtutis, sed iritationem annuntiat. Languidus contrà, debilitatem facultatis arguit; & quantò est languidior, tantò maiorem virium defectum esse attestatur Debilis autem facultas est, ex spirituum dissipatione, vel quòd opprimatur humorum copia. Quid vehemens & debilis Pulsus significant.

D. Quid Pulsus durus & mollis significant?

C. Pulsus mollis humidum corporis habitum indicat, qualis est in hydropicis. Durus contrà, vel siccitatem à febre ardente & maligna, vel hectica, aut quartana profectam, vel adstrictionem ex frigore, vel tensionem à Quid Pulsus durus & mollis.

conuulsione, vel tumore præter naturam, aut repletione vasorum ortam, præ se fert.

D. Quid Pulsus magnus & paruus significant?

Quid magnus. C. Magnus Pulsus morbum calidum significat. Nam propter auctum calorem arteria se quoquouersum pandit. Vbi ex robore facultatis proficiscitur, magnus est simul & vehemens. Si ex mollitie instrumenti, magnus & mollis existit. Si ex aucto calore duntaxat, caret vehementia & mollitudine.

Paruus. Paruus verò pulsus, si à facultatis imbecillitate prodit, erit paruus simul & languidus: Si ab instrumento duro, erit paruus simul & durus. Si neutrum adsit, nec durities, nec languor, caloris imminutionem significat.

D. *Quid celer & tardus significant?*

Quid celer. C. Celer in sanis sine magnitudine, significat exercitia immoderata, vel thermas, vel quampiam aliam nimis calefacientem causam, quæ vires attriuit. In ægrotantibus verò morbum calidum, qui iam vires labefactauit. Itaque perpetuus est febris comes.

Tardus pulsus imbecillam esse facultatem, si simul est languidus, significat. Simul durus est, si instrumentum durum fuerit. Vsum verò diminutum, si tardus duntaxat fuerit, indicat. Tardus.

D. Quid frequens & rarus significant?

C. Frequens pulsus vsum magis auctum, vel facultatem imbecillam, vel instrumentum durum, distensioni prorsus ineptum commonstrat. Si à solo aucto vsu prouenit pulsus, neque languidus, neque durus est, magnóque ac celeri superuenit; tunc magna in ægrotante coopore caliditas, quæ omnem in pulsu mediocritatem euertit, significatur. Si à debili facultate proficiscatur, imbecillitas ipsa pulsu percipitur; sicut & arteriæ durities, ob quam frequens editur, quod magnus fieri nequeat. Adiũgitúrque ferè omnibus paruis pulsibus frequentia, cùm natura id quod deest magnitudini, primò celeritate, dein frequẽtia compensare soleat. Rarus pulsus imminutum vsum arguit, ac frigidum morbum præ se fert. Perpetuò in malis sunt languidi pulsus, parui, tardi, rari, Quid frequens. Rarus.

eòque peiores, quò languidiores, minores, tardiores, rariores. Instante morte solent esse languidissimi, minimi, tardissimi, rarissimi.

D. Quid æqualitas indicat in Pulsibus?

Quid æqualitas in Pulsibus significat.

C. Facultatem esse robustam, organum aptum, & vsum moderatum.

D. Quid inæqualitas singularis portendit?

Quid inæqualitas singularis portendat.

C. Inæqualitas singularis periculosior est, quàm systematica: cùm causa quæ singulos pulsus vitiat, grauior sit, quàm quæ inter plures vnum aut alterum.

D. Quid inæqualitas rhythmi significat?

Quid inæqualitas rhythmi.

C. Pulsus arhythmus fuliginis copiam, vel caloris exuperantiã indicat: Vtráque febrem, illa putrem, hæc ardentem designat. Hinc inæqualitas rhythmi, propria perhibetur putridæ febris nota.

D. Quid Pulsus impar portendit?

Quid Pulsus impar citatus.

C. Impar citatus minus periculum portendit, quàm intermittens in vna pulsatione. Indicat enim naturam à causis insalubribus impediri, sed cum

illis nihilominus decertare prodit. Inter putridæ febris signa recensetur.

D. Quid Pulsus intermittens præsagit?

C. Pulsus in vna pulsatione intermittens perniciosior est, quàm in pluribus: quoniam natura non solùm quarto aut quinto quoque pulsu, sed in singulis sic impeditur, vt ne vnum quidem pulsum integrum perficere possit: ob idque mortem portendit, si intermissio à languida facultate proueniat. Sed si vitio tantùm instrumenti inæqualitas contingat, licet facultatem impediri significet, non adeò tamen periculosa est, vt in caprizante pulsu accidit, vbi motus quiete solùm interpolatur, & in duas quasi partes diuiditur. Quid singularis intermittens designet.

D. Quid Pulsus caprizans & dicrotus significant?

C. Ambo inæqualem cordis intemperiem, aut fumosorum excrementorum copiam, non omnibus cordis partibus æquabiliter insidere ostendunt. Quid Pulsus caprizans & dicrotus.

D. Quid Pulsus vibratus & conuulsiuus significant? Quid Pulsus vibratus & conuulsiuus.

C. Vibratus Pulsus ostendit naturæ

certamen cum morbo, magnámque phlegmonem, vel tenacissimam obstructionem, portendit.

Conuulsiuus verò pulsus, conuulsionem à siccitate indicat, quæ solet esse lethalis.

D. Quid Pulsus tremulus & palpitans?

Quid tremulus & palpitãs. C. pulsus tremens facultatem imbecillam, arteriámque mollem renunciat: interdum syncopes, & postea mortis, omen est.

Palpitans in pituitosa febre laborantibus, sine periculo apparet.

D. *Quid* Pulsus *serratus significat?*

Quid serratus. C. Pulsus serratus internam partium neruosarum inflammationem indicat; à qua, nisi valida sit facultas, æger non facilè euadit.

D. Quid vndosus, vermiculans ac formicans significant?

Quid vndosus. Pulsus vndosus arterias humore madentes indicat, humidósque morbos, vt febres pituitosas, hydropes in quibus nullo scirrho indūruerunt viscera, ac interdum virtutem non mediocriter validam, propterea criticum sudorem significat. Plerúmque facultatem oneratam testatur. Malum au-

tem signum est cùm in vermiculantē mutatur. Vermiculans quippè facultatem vitalem ex nimia aliqua vacuatione, paulatim labascere denuntiat. Formicans vermiculante perniciosior, eandem iam collapsam. In febribus lentis, quæ diuturnitate temporis exhauserunt vires, certus est mortis nuntius.

Quid vermiculans.

Quid formicans.

D. Quid inæqualitas systematica portendit?

C. Inæqualitas collectitia æqualiter facta, periculosior est quàm inæqualitas inæqualiter facta; cùm illa ab imbecillitate facultatis, hæc instrumenti vitio, sæpiùs accidat.

Quid inæqualitas systematica portendat.

D. Quid Myurus Pulsus designat?

C. Facultatis imbecillitatem in extenuato corpore ostendit, & cor ipsum eatenus debile, vt vim & actionem, ab se iam nequeat ad extremas vsque corporis partes æquabiliter protendere. Hic igitur perniciosus est, atque ruinam minatur; si deficiēs, nec reciprocus sit. Asphyxia siquidē omnium symptomatum est horrendissimum, & certum præsentis mortis signum, modò à momentaneis causis

Quid Myurus designet.

non enascatur. periculosior enim est intermittente; quia maiorem imbecillitatem arguit, nihil mouere posse, quàm per interualla tantùm mouere posse. Sed pulsus reciprocus in bonis habetur; quia resurgentis facultatis est index.

D: Quid intermittens systematicus portendit?

Quid intermittēs systematicus portēdat.

C. Si ab instrumenti vitio fiat intermissio, magnitudinem & vehemētiam pulsus vix planè amittit; minùs proinde periculosus: sed si à facultatis debilitate proueniat, languidus erit, & idcircò periculos⁹. Intermissio quò diuturnior, eò periculosior. Diuturna censetur, quæ tempus excedit duorum pulsuum. Iuuenibus periculosissima pulsuum intermissio, minùs pueris, minimè senibus. Interdum tamen neque iuuenibus ipsis exitialis est, cùm vel integra valetudine, ex arteriarum obstructione, aut diuturno quouis affectu, vt ex asthmate. familiaris existit. perseuerans illa diutiùs inopinatam repentinámque mortem minatur, ipsiúsque cordis vitalem calorem derepentè extinctum iri.

D. Quid intercidens Pulsus denotat?

C. Intercurrens Pulsus omnium ex systematica classe securissimus est. Licet enim oneratam virtutem indicet, validam tamen adhuc esse, integram & cum causa morbi pugnantem significat, proinde victoriam promittit. Quid intercidens Pulsus significet.

D. Quid ordo indicat in Pulsibus?

C. Ordo fixam & permanentem causam significat. Ataxia verò, id est ordinis perturbatio, variantē. Itáque in bonis semper ordo optandus est. In malis præstat nullum seruari ordinem. Vt Pulsus intermittens semper est malus. Peior tamen si intermittat cum ordine, quàm si sine ordine. Quid ordo indicet in Pulsibus.

ARTIS SPHYGMICÆ Praxis.

D. Perdocte Candidate, simul ac Apollinarem lauream adeptus eris, ad Praxim Medicam te conferre speras, cuius initium à Pulsus tactu ducitur. Explices opto, ad quem vsum ars Sphygmica fuerit instituta?

C. Ars Sphygmica, sapientissime Præceptor, cùm ad naturæ dynamin perscrutandam, tùm ad morbi dia- Ad quem vsum ars Sphygmica sit instituta.

gnosin & prognosin comparandam est instituta. Cuius notitia Medico apprimè necessaria videtur, quòd eius exercitatio quotidie subeunda sit in facienda Medicina.

D. *Cedo mihi subiectum circa quod Ars Sphygmica exercetur?*

Circa quod subiectũ exerceatur.

C. Circa corpus sanum & ægrum, & quod indifferenter se habet, nec planè sanum, necdum ægrum, sed neutrum.

Monet Galenus, quò faciliùs quisque intelligat qui præter naturam sit pulsus, vt naturalem priùs obseruet.

D. *Qua methodo Sphygmicam artem circa corpus sanum exercebis?*

Quomodo circa corpus sanum exercenda sit.

C. Quoniam Pulsus naturalis, est motus σύμμετρος, moderatus; & εὔρυθμος, consonus: considerabo primùm symmetriam in qualitate, tum ratione mouentis facultatis, tum ratione mobilis organi; & in quantitate distensionis: deinde rhythmi analogiam in tempore motus & quietis adnotabo.

D. *Quid considerabis in qualitate & quantitate Pulsus?*

Quid cõsiderandũ in qualitate Pulsus.

C. Penes qualitatem primùm ratione mouentis facultatis animad-

uertam, si nec languidus, nec vltra modum vehemens, sed moderatus sit pulsus: ac ratione mobilis arteriæ, si nec durus, nec mollis, sed intervtrúmque medium teneat.

Mox quantitatem distensionis retegam, si nec paruus, nec enormiter magnus, sed modum seruet. In quantitate distensionis.

D. Aduersarij nihilominus non pauci contendunt, quò vehementior & maior pulsus extiterit, eò robustiorem facultatem indicari, ac proinde magis naturæ consentaneum esse. Quod eis responsum dabis? Obiectio.

C. Respondebo, quòd cor secundum naturam constitutum, pulsu symmetro & eurhythmo insitum sibi calorem moderetur, ad vitalem spiritum elaborandum: ac si mediocritatis limites excedat; vehementia magnitudóve, non virtutis robori, sed irritationi sit imputanda. Ideò vehementiùs & vltra modum micans pulsus, præter naturam censetur, vt & impensè durus atque mollis. Nam vt rectè monet Poëta: Responsio.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos vltra citráque nequit consistere rectum.

D. Quid in rhythmo considerabis?

Quid in rhythmo considerandum, penes tēpus motionis, penes tēpus quietis.

C. Duo considerabō, æqualitatem & ordinem. Idcirco diligenter obseruabo penes tempus motionis, si nec iusto velocior pulsus, nec tardior; & penes tempus quietis, si nec frequentior, nec rarior, sed εὔρυθμος, consonus existat. Et ad rhythmi analogiā apertiùs deprehendēdam, accuratiùs perpendam, si tempus distensionis tempori contractionis respondeat, nec alterum ab altero superetur. Pulsus quippe εὔρυθμος, propriū seruat rhythmum. At proprius rhythmus æqualis & ordinatus est. Rhythmus autem æqualis, temperamento, sexui, ætati, tempori, & regioni analogus est: ordinatus verò in pulsationum multitudine certam circuitus seriem, constantiámque retinet.

Quid Pulsus sit eurhythmus. Qualis sit proprius rhythm⁹. Qui sit rhythmus æqualis. Qui ordinatus.

Sic accuratè perspecta pulsus symmetria vel ametria in qualitate & quantitate, ac rhythmi analogia, vel anomalia in tempore motus & quietis, atque in pluribus pulsationibus taxi vel ataxia, ego acri intentione diiudicabo, an naturalis sit, vel præter naturam.

D. Qua methodo Sphygmicam artem circa corpus ægrum exercebis?

C. Ego ad ægrum curandum accersitus, imprimis obseruabo, si pulsus suam amiserit symmetriam in qualitate, vel ratione mouentis facultatis, vel mobilis organi: vt si naturali vehementior sit, vel remissior; durior vel mollior; & in quantitate, vt si maior, vel minor extet: deinde si proprium deseruerit rhythmum in tẽpore motus vel quietis; vt si velocior, vel tardior; aut crebrior, vel rarior euaserit. Cor siquidem præter naturam affectum, diuerso pulsu quicquid molestũ est excutere, aut quicquid deest instaurare, contendit. Si pulsus à proprii rhythmi æqualitate desciuerit, perscrutabor an anomalia sit singularis, in vna pulsatione conspicua, an collectitia in multarum pulsationum congerie, quæ συστηματικὴ Grẹcis dicitur: ac si singularis exiltat, num in vna parte, an in diuersis partibus arteriæ percipiatur.

Quomodo ars Sphygmica circa corpus ægrum exercenda sit.

D. Quomodo singularum anomaliam in vna parte arteriæ percipies?

Quomodo triplex anomalia singularis in vna parte arteriæ peruestiganda. C. Ego singularem anomaliam in vna parte arteriæ retegam, primùm si celerior sit systole quàm diastole, vt in febribus putridis; vel contrà: vt in ardentibus. Vnde pulsus deprehenditur

1. ἄρυθμος dissonus, τὸν ῥυθμὸν οὐ σώζων· ἀλλὰ διαφθείρων, suum rhythmum non seruans, sed labefactans, κάκωσις γὰρ τοῦ

Gal. c. 8. li. de Diff. puls. κατὰ φύσιν ῥυθμοῦ, ἐστὶ διαφθορὰ, οὐ στέρησις παντελής. Vitium enim natiui rhythmi, corruptio seu deprauatio est, non absoluta abolitio seu priuatio.

2. Deinde si motus, licet continuus, celerior sit initio, in fine tamen tardior, qualis est pulsus ἀνισοταχὺς, impar citatus: vel celerior in fine, sed initio tardior, cuiusmodi est pulsus δορκαδίζων caprizans: vbi diastole intercciditur quiete, & post eam velocior euadit.

3. Tum si crebrior appareat, vt pulsus δίκροτος bis feriens, tanquàm malleus ab incude resiliens. Sic triplicem in vna pulsatione anomaliam vicissim peruestigabo.

D. Quid anomalia prima significat?

Quid significet. 1. C. Maiorem expellendæ fuliginis necessitatem indicat, si systole cele-

rior ſit; vel æſtus contemperandi, ſi diaſtole velocior. Vnde illa putridæ, hæc ardentis febris comes eſt.

D. Quid ſecunda? 2.

C. Naturam à cauſis inſalubribus, quas euincere conatur, impeditam eſſe oſtendit, ſi celerior motus initio, quàm in fine:

Vel naturam noxiorum humorum, quorum copia grauatur, victricem eſſe teſtatur; ſi celerior in fine, quàm initio.

D. Quid tertia?

C. Caloris exceſſum arguit, propter quem facultas duplici motu maiorem ſtudet refrigerationem allicere, quam vnico non poteſt ob inſtrumenti duritiem. 3.

D. *Quomodo anomaliam in diuerſis arteriæ partibus reperies?*

C. Ego in diuerſis arteriæ partibus, non vno duntaxat digito, ſed pluribus digitis arteriam contingentibus, vel in ſitu, vel in motu inæqualitatem perueſtigabo. quomodo duplex anomalia ſingularis in diuerſis arteriæ partibus perueſtiganda.

In ſitu quidem, ſi arteria ipſa à propria ſede traducatur, vt in pulſu vibrato, in quo arteriæ quædam partes 1. in ſitu.

sursum, aliæ deorsum eodem tempore feruntur, instar iaculorum validâ manu emissorum: & in pulsu convulsiuo, in quo vtrimque ab extremis retrahi, tendi, & conuelli videtur arteria, instar chordæ tensæ.

2. in motu. In motu verò, si multis digitis arteriam contingentibus pulsus dissimilis occurrat; vt si mot⁹ intercidatur adeò vt arteria parte vna feriat digitum aliquem, altera minimè: Vnde διαλείπων intercisus aliqua ex parte dicitur: vel si motu continuo existente, inæqualitas quædam in celeritate, magnitudine, duritie, digitis omnibus æquè tangentibus percipiatur; vt in pulsu serrato, qui serræ modo ferit digitos, aliis arteriæ partibus magis, aliis minùs distentis: & in pulsu vndoso, vbi arteriæ partes vicissim, vndarum instar sese attollentium, distenduntur. Qui degenerat in vermiculantem, si paruus, frequens & languidus fiat; ac demum in formicantem, si omnium minimus, frequentissimus & languidissimus euadat.

D. *Quid significat anomalia in situ, qualis in pulsu vibrato, & cõuulsiuo percipitur?*

C. Pulſus vibratus, magnam prodit inflammationem, aliúmve acutum morbum, cum quo natura ſummo diſcrimine decertat. Quid ſignificet 1.

Pulſus autem conuulſiuus lethalem à ſiccitate conuulſionem portendit.

D. *Quid ſignificat anomalia in motu, qualis in pulſu interciſo, vel continuo, veluti ſerrato & vndoſo?*

C. Pulſus ſingularis interciſus arguit impediri naturam. Si vitio inſtrumenti intercidatur, minùs periculoſus; ſi facultatis imbecillitate, periculoſior.

Pulſus ſerratus internam partium neruoſarum inflammationem longè periculoſiſſimam portendit.

Pulſus vndoſus ſeroſorum humorum in corpore turgentium index eſt, ac interdum ſudoris critici prænuntius. Cùm in vermiculantem degenerat, ac demùm in formicantem, exitialis; quia vitalem facultatem collapſam teſtatur.

D. *Si anomalia ſyſtematica fuerit, quid in plurium pulſationum congerie conſiderabis?* Quid in anomalia ſyſtematica ſit animaduertendum.

C. Diligenter animaduertam, num

certam inæqualitatis seriem seruent, an nullam prorsus circuitus formam retineant.

D. Quínam sunt pulsus inæquales ordinati?

Qui pulsus inæquales ordinati.

C. Pulsus μύουροι, tùm ἐκλείποντες, deficientes, qui æqualiter imminuũtur, adeò vt primo pulsu secundus paulò minor sit, secundo tertius, tertio quartus, & pari modo reliqui donec deficiant;

Tùm παλινδρομοῦντες, denuò resurgentes, qui sensim ad pristinam redeunt magnitudinem.

D. Quínam sunt pulsus inæquales & inordinati?

Qui inordinati.

C. Pulsus διαλείποντες, intermittentes, in quibus vna aut altera deest pulsatio, nulla proportione seruata; & παρεμπίπτοντες, coincidentes, vbi inter duas pulsationes tertia præter spem intercurrit, veluti superuacanea.

D. Quænam anomalia deterior?

Quæ anomalia peior.

C. Singularis anomalia deterior est, quàm systematica, quòd singulæ pulsationes labefactatæ maius portendant periculum, quàm inter plures inculpatas vna vel altera vitiata.

Inæqualitas ordinata perniciosior est, quàm inordinata, quòd illa permanentem, hæc variantem causam arguat. Quæcumque à languente facultate proficiscitur, longè etiam periculosior, quàm quæ instrumenti vitio contingit.

D. Qua methodo sphygmicam artem circa corpus neutrum exercebis?

C. In corpore quod indifferenter se habet, nec planè sanum, necdum ægrum, ad morbi præcautionem, in contrectando valetudinarii pulsu, diligenter animaduertam, si suam etiãnum symmetriam seruet in qualitate & quantitate, vel ametros prorsus euaserit; ac si suum adhuc rhythmum retineat, in tẽpore motus & quietis, vel à proprii rhythmi æqualitate & ordine recesserit. Quod percipiam; si tempus distensionis, tempori contractionis sit analogum, vel alterum ab altero superetur. Quomodo ars Sphygmica circa corpus neutrum exercenda.

DE RESPIRATIONE.

D. Pulsus ad vitam tuendam apprimè vtilis, expositus est: nunc aperias velim, an vitæ munia solus obeat?

C. Minimè. Pulsus in vitalibus eden-

dis actionibus, sociam habet Respirationem, quæ Græcis ἀναπνοὴ dicitur.

D. Quid est Respiratio?

Quid Respiratio. C. Respiratio est motus inspiratione & expiratione constans, à facultate animali, ope musculorum editus, ad insitum calorem contemperãdum, ac subministrandum spiritui vitali atque animali pabulum. Proinde motus est ex duobus motibus contrariis compositus, & gemina inter eos quiete, ad eumdem prorsus modum quo & Pulsus. Eorum vno aër in pulmonem trahitur, thorace dilatato; altero ex pulmone excluditur, eodem subsidente & compresso. Ille τῇ διαστολῇ, hic τῇ συστολῇ proportione respondet. Quoniam enim maior est cordis flamma, quàm vt possit arteriarum pulsu temperari; aliam præstandi refrigerii rationem natura per respirationem machinata est, vt æstuante corde animalis facultas propriorum musculorum ministerio, thoracem vicissim attolleret atque deprimeret, quò pulmones dilatato thorace vnà attollantur diducantúrque ad frigidum aërem

rem follis instar intra se pertrahendum, depresso autẽ iidem simul summittantur, ad excalfactum aërem & cum eo fuliginem omnem exprimendum. Hinc patet Respirationis & Pulsus vsum eumdem esse, licet à diuersa facultate ac diuersis instrumentis illa peragatur.

D. Quotuplex est Respiratio?

C. Tot sunt Respirationis, quot Pulsus differentiæ. Vt enim pulsatio, ita & Respiratio, est mediocris aut vehemens vel debilis, magna vel parua, velox vel tarda, crebra vel rara, æqualis vel inæqualis, ac insuper facilis vel difficilis. Illa Græcis εὐπνοία, hæc verò δυσπνοία, vel ὀρθοπνοία dicitur. Respirationis differentiæ.

D. *Quid Respiratio mediocris significat?*

C. Respiratio mediocris indicat vegetam esse facultatem, nec vlla instrumenta malè affecta, nec auctum, nec imminutum esse vsum. Quid significet Respiratio mediocris.

D. Quid Respiratio vehemens & debilis significant?

C. Illa robustam, hæc infirmam facultatem esse arguit. Quid vehemens, debilis.

D. Quid magna & parua?

Quid magna, Parua.

C. Magna propter incendium, auctum esse vsum indicat: parua verò imminutum esse ostendit, propter caloris refrigerationem, vel ob aliquod respirationis instrumentum malè affectum.

D. Quid velox & tarda?

Quid velox, Tarda.

C. Velox accidit propter auctum calorem, vel partium respirationi dicatarum angustiam, ac dolorem cum febre. Tarda diminutum calorem indicat, vel instrumenti alicuius læsionem, dolorem.

D. Quid crebra & rara?

Quid crebra.

C. Crebra maximam necessitatem vrgentem, vel facultatem oppressam, aut prostratam, demonstrat. Frequens & magna æstum ingentem designat. Talis solet esse in febre ardente, túmque feruidus spiritus ore naribúsque efflatur. Frequens verò & parua infirmas esse vires testatur, aut instrumenta impediri, auctum tamen esse vsum. Talis deprehenditur in inflammatis visceribus, vt pulmone diaphragmate, pleura, iecore, liene Rara caloris natiui diminutionem præ se fert. Rara & magna delirium portenr-

Frequens & magna.

Frequens & parua.

Rara.

Rara & magna.

dit. Rara & parua caloris inopiam, oppreſſionem vel extinctionem teſtatur. Rara & parua.

D. *Quid æqualis & inæqualis?*

C. Æqualis Reſpiratio, facultatis robur, & organorum integritatem denuntiat. Inæqualis verò facultatis motricis imbecillitatem, vel aſperæ arteriæ anguſtiam, obſtructionem, compreſſionem denotat. Quid æqualis: Inæqualis.

Formidanda Reſpiratio, quæ inæqualiter interciséque ducitur, vt dupla videatur aëris intra pectus reuocatio. Funeſta idem eſt, cùm ſpiritus frigidus ore & naribus efflatur: aut ſpiritus propè totus per nares inſpiratur & expiratur, pinnis contractis & dilatatis.

D. *Quid εὐπνοία, δυσπνοία & ὀρθοπνοία ſignificant?*

C. Εὐπνοία magnam vim habet ad ſalutem in omnibus acutis morbis, quòd pectoris & partium in eo contentarum temperiem renuntiet. Vnde ſpiratione integra manente, natiuus calor ſupereſſe demonſtratur, qui vrgéti malo repugnare ſufficiat. *Ex Hippocrate lib. 1. Prog. & Gal. com.* Quid ſignificet eupnœa.

Dyspnea. Δυσπνοία verò mala, quia partium vitalium intemperiem designat.

Orthopnœa. Sed multò peior & periculosior ὀρθοπνοία, quando æger non potest, nisi recta ceruice spirare, supinus cùm iacet suffocatur. Indicat enim ferinam destillationem in pulmones, anginam suffocãtem, empyema, vel asthma incurabile.

D. Obiter abs te peto, an viuere quispiam possit Respiratione priuatus?

An quis Respiratione priuatus viuere possit. C. Interdum ita deficere videtur Respiratio, vt abolita putetur. Sed reuerà nequit aboleri, vita superstite.

D. Cur ita deficit Respiratio?

Defectus Respirationis causæ. C. Ἀπνοία defectus Respirationis triplicem habet causam, nempè angustiam maximam spiritum intercludentem, summam facultatis infirmitatem, & caloris inopiam, vt in syncope, & hysterica pasione, in qua calor adeò refrigescit, vt solius transpirationis ope vita ad aliquod tempus foueri credatur, vt docet *Gal. cap. 5. l. 6. de loc. aff.*

DE ACTIONIBVS Animalibus & Naturalibus.

D. Erudite Baccalaaree, quoniam effe-

ctus est index suæ causæ; Actio autem læsa, primus est morbi effectus; vnde præsentem & futurum eius statum indicat: animales & naturales, nedum vitales functiones examinandæ sunt. Dum exploratis pulsu viribus, tacita mente per animales actiones excurres, quid considerabis?

Cur actiones animales & naturales, nedum vitales, sint expendendæ.

Cur principes animæ functiones 1. considerandæ, an integræ vel læsæ sint.

C. Imprimis considerabo si permaneat ægro mens sana, Nam ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐρρῶσθαι τὴν διάνοιαν, ἀγαθὸν, in omni morbo mente constare, bonum: τὸ δ᾽ ἐναντίον, κακόν, desipere verò malum. *Aph.33.l.1.*

Ratiocinatio.

Deinde si quidpiam imaginetur æger, quod reuera non sit.

Imaginatio. Memoria.

Tum si obliuiscatur eorum quæ postulauit, vt phreneticus potionis, lethargicus matulæ. Nam mentis, imaginationis & memoriæ læsio, affectum esse cerebrum indicat.

2. Sensus interior, vt somnus & vigilia.

Pergam deinceps ad interiorem sensum, vt somnum & vigiliam. Nam vt ἄριστον τὴν νύκτα καθεύδειν, saluberrimum noctu dormire; ita κάκιστον μὴ κοιμᾶσθαι, μήτε τῆς νυκτὸς, μήτε τῆς ἡμέρης, pessimum est neque noctu, neque interdiu dormire, quòd vigiliis immoderatis spiritus dissipentur & vires exoluãtur.

Si somnolentus videatur æger, percontabor si somnus sit laboriosus, quia ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον, in quo morbo somnus laborem facit, lethale. *Aph.* 1. *l.* 2.

Tum si turbulentis agitetur insomniis. Terrifica enim insomnia triste quiddam portendunt.

Et exteriores, visus, auditus, gustus, odoratus.

Ab interiori sensu, ad exteriores transibo. Externos enim sensus vigere optandum est. Visum verò, auditum, gustum, odoratum deprauari, haud spernendum malum.

3. motus.

Posteà motum obseruabo, ad quem pertinet decubitus. Animaduertam obiter an in alterutrum latus, vel supinus, aut pronus, decumbat æger; quia decubitus supinus noxius est: propterea quod incalescant renes, & multi vapores per spinam ad cerebrum ferantur. Solis ideò morbis oculorum conuenit. Pronus verò decubitus, delirium portendit. Iis solis confert, qui colicis cruciatibus, aut ventris torminibus affliguntur. Accuratè verò perspiciam, si liberè se erigat æger in lecto, an veluti terræ pondus iners jaceat.

D. Dum naturalibus actionibus animum intendes, quid molieris?

C. An vegeta, vel prostrata sit appetentia, primùm sciscitabor, quia εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθὸν: τὸ δ' ἐναντίον, κακὸν, benè se habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contrà verò, malum. *Aph.* 33. *l.* 2. Cur animaduertendum 1. qualis sit appetentia.

Deinde num integra, vel læsa sit coctio, proprijs excrementis perdiscere conabor, deiectionibus prima, vrinis secunda, sudoribus tertia. 2. an coctio integra sit vel læsa.

Tum perquiram si excrementorum euacuatio, fiat κατὰ ῥυθμὸν, vel παρὰ ῥυθμὸν, id est certo modo, ordine & tempore, vel contrà; vt inde coniiciam naturalis œconomiæ statum. 3. an aluus benè vel malè suo munere fungatur.

DE VRINIS.

D. Medicus tacto pulsu, ac perspecta ægrotantis respiratione, actionibúsque animalibus & naturalibus expensis, ad vitales, animales & naturales vires explorandas, Vrinam diligenter inspicit, ad morbi dignosim consequendam. An in Vroscopia æquè sis, atque in arte Sphygmica versatus, tentare placet. Quid est vrina? Trãsitus ab actionibus, ad excreta.

C. Vrina est liquidum venosi generi excrementum, ex secunda coctio- Quid Vrina.

ne alimenti in hepate facta proditum, à sanguine in renibus segregatum & ad vesicam delatum, in qua suam accipit formam. Excrementum illud nihil aliud est, quàm serum quatuor humorũ, corpori nutriendo ineptum, quod sanguinem ab hepate quoquouersum per venas, ad singulas corporis partes alendas deducit, (vnde τροφῆς ὄχημα, alimenti vehiculum, ab Hippocrate vocatur;) eóque munere persunctum, insita facultate à renibus per emulgentes attrahitur; atque hinc per vreteras in vesicam demittitur, & à vesica foras per vrethram excluditur. Vnde vrina constitutionis partium plurimarum quas attingit, bonæ vel malæ, nuntia est. Pars enim quælibet benè vel malè affecta, affectionis suæ notas vrinæ transeunti inurit: quoniam diathesin suam humoribus in se contentis impertit, quorum vrina comes est.

D. Quos, & quarum corporis partium affectus præter naturam indicat vrina?

Quos partium affectus Vrina demonstrat.

C. Vrina morbos omnes ex humoribus quantitate & qualitate peccantibus ortos demonstrat; vt febres non

modò continuas, quæ in maioribus venis ſedem habent, ſed & intermittentes, alióſque affectus in prima & tertia, nedum in ſecunda corporis regione, humorum vitio contractos: quòd antecedens morbi cauſa duplex, plethora & cacochymia, à qua ille primùm fit, deinde fouetur, in venoſo genere conſiſtat, ac vtriúſque coctionem aut cruditatem, proinde morbi ſtatum, & quatuor tempora, quæ morbifici humoris ἀπεψία, vel πεπασμῷ diſtincta ſunt, certò referat.

Quarum partium characterem impreſſum & inuſtam notam Vrina referat.

Lotium verò, non modò iecoris, quod functionum naturalium princeps eſt organum, venarúmque principium, in quo fit hæmatoſis; ſed & partium per quas illabitur, vt renum, vreterum, veſicæ ac penis affectus, & continentem eorum cauſam repræſentat. Nam tametſi non diutiùs in his ſubſiſtat, ac hæreat; ab illis tamen ſordes & inquinamenta (ſi qua inſunt) præterfluens corradit, & ſecum rapit. Itáque vna Vrina de toto ferè decidua, ſignificationem imprimis generalem ſortitur.

VROSCOPIÆ fundamenta.

D. Quæ sunt in Vrinis consideranda?

quæ in Vrinis consideranda.

C. Duo in Vrina qualibet imprimis consideranda veniunt, χῦμα, liquor, id est liquidum vrinæ corpus, & παρυφιστάμενον, contentum, id est subsistens corpus liquori adiunctum, quod homogeneon, vel heterogeneon existit. In liquore σύστασις consistentia, & accidentia duo, quantitas & qualitas, in qua color & odor spectantur. Paryphistamenon homogeneon, cuius materia est eiusdem generis, pro varietate loci, in quo continetur, triplex existit: ὑπόστασις sedimentum, quod in imo subsidet: ἐναιώρημα, suspensum, quod in medio stat: & νεφέλη, nubes, quæ in sublimi natat. Paryphistamenon heterogeneon, cuius materia est diuersi generis, licet ab homogenei côtenti natura degeneret, nihilominus vel in infima vrina, perinde vt illud subsidet, vel per mediam Vrinam volitat, vel per summam Vrinam innatat. Inter heterogenea in fundo hærentia, extant corpuscula quædam farinæ crassiori vel squamulis, vel fur-

furi similia, interdum subsidentia, quæ ab Hippocrate ὑποστάσεις κριμνώδεις, πεταλώδεις, καὶ πιτυρώδεις, dicuntur, i. sedimenta farinacea, squamosa, & furfuracea. Præter hæc in vrina nonnunquam subsident concretus sanguis, pus, arenulæ, mucus.

In medio Vrinæ volitant, & interdum quoque fundum, aut superiora petunt, corpuscula filamentis & pilis similia: In superficie vrinæ quatuor præter naturam apparent: corona, bullæ, spuma, pinguedo. Ab hisce omnibus plures emergunt Vrinarum differentiæ, aliæ essentiales, aliæ accidentales.

DE VRINARVM differentijs.

D. Recense singulas Vrinarum differentias?

C. Essentiales Vrinarum differentiæ petuntur à systasi, à qua tenuis, vel crassa aut mediocris appellatur; ác insuper clara, quam visus acies penetrat, aut turbulenta, per cuius medium non videmus: quæ in tres differentias secernitur à Fernelio, quarum vna, licet clara fuerit emicta, mox tamen tur-

Vnde sumantur Vrinarũ differentiæ, essentiales.

bata externi frigoris vi euasit, sed igni exposita promptè declaratur: altera turbida quidem meïtur, sed spontè subsidentibus partibus crassioribus tandem inclarescit: tertia confusa nuncupatur, quæ turbata meïtur, nec externo calore, nec spontè clarescit.

Accidentales. Accidentales verò differentiæ sumuntur à quantitate, à qua multa vel pauca dicitur vrina, & à qualitate. Ratione coloris alia alba vel aquea, alia intésè vel remissè nigra, ad quam rubra, viridis & liuida pertinent: aliæ inter vtrámque extremam mediæ sunt, vt pallida, citrina, flaua vel subflaua, rufa vel subrufa. Ratione odoris dicitur suauis vel graueolens, pro vario item sedimento varia sortitur nomina.

Ab heterogeneis contentis, alia farinacea, alia squamosa, alia furfuracea, alia cruenta, alia purulenta, alia arenosa, alia mucosa, alia capillis conspersa, alia coronata, alia πομφολυγώδης bullans, alia ἀφρώδης spumans, alia pinguis, vel oleosa denominatur.

DE VRINARVM CAVSIS.

D. Harum differentiarum causæ, ac-

curatè sunt inuestigandæ, vt ijs cognitis certiùs decernatur judicium. Vrina tenuis, crassa, ac mediocris, claraque & turbulenta, causas expone?

C. Vrina fit tenuis cruditate, aut obstructione. Cruditate, cùm calor natiuus imbecillior liquorem coquendo crassum efficere nequit. Obstructione, cùm id tantùm quod tenue est percolatur, crassum relinquitur. Nephriticorum vrinę sunt tenues obstructione: hepaticorum & stomachicorum, quibus frigidior & imbecillior ventriculus, infirmum iecur, cruditate. Causæ vrinarū, Tenuis.

Vrina fit crassa alieni vt crudi humoris permistione, aut viarum laxitate. Mulieres vtráque causa crassas reddunt vrinas. Habent enim collum vesicæ breue, sed latum, ac cruditatibus multis abundant. Crassæ.

Temperatus calor mediocrem dat consistentiam. Siquidem natiuus calor alimentum, humorésque concoquens, primùm quidem & maximè substantiæ mediocritatem molitur, cui dein pro partium natura colorem addit. Mediocris.

Claræ. Vrina nedum tenuis, sed & crassa, potest esse clara. Multa quippè crassa, vt oleum, vitrum, sunt perspicua. Vrina eorum, qui vinum album tenue largiùs potarunt, est tenuis; attamen clara & pellucida. Talis redditur ab ægris coctione. Vt enim vrinam frigore turbatam declarat moderatus ignis, sic perspicuam efficit temperatus color natiuus.

Turbatæ.

Turbidæ. Turbida plerúmque ex renum aut vesicæ abscessu, vlcere, aliísque vitiis manat; è quibus cruor, sanies, pus aut mucus profluit. Quæ citra hos affectus fuerit, crassorum humorum copiam in venis, horúmque effusionem renuntiat. Sæpè etiam vrina repentè turbida euadit, cùm solutis obstructionibus, apertísque viis crassior materia diu cohibita excidit è liene, iecore, renibus, aut è venis maioribus, quod ferè sanis post exercitationes, ægrotantibus post morbos obuenit, maximè in crisi diuturnarũ febrium, in lienis, iecorísque morbis, & in abscessuum eruptione. Turbida vrina vino comparatur, quod fęcis permistione turbidum est.

Confusa vrina, quæ nec sponte, nec externo calore depuratur, fit insigni putredine & corruptela humorum qui in maioribus venis continentur. Idcirco comparatur vino vetustate acido, fulgure aut tonitrui strepitu corrupto, quod vappa dicitur.

D. Quid causa sit cur interdum, tùm crassæ, tùm tenues vrinæ, ne vel ingenti frigore quidem; interdum verò temperato etiam loco turbentur, scire velim?

C. Id non nisi ad insitum vrinæ calorem referri potest, qui vt hypostasin, ita & cæteras partes locis distinguit, quem constat aliàs languidum, aliàs valentem esse. Cur aliàs turbetur, aliàs non turbetur vrina.

D. *Quænam sunt Vrinæ copiosioris & parcioris causæ?*

C. Multa Vrina interdum ex immoderato potu vini tenuis vel aquæ, vel ex diureticis medicamẽtis obtingit: vel ex aliarum euacuationum, vt sudoris & deiectionis, suppressione: quandóque copiosior emittitur calida & sicca intemperie renum, qui vi maxima ex omni corpore serum proliciunt, assiduóque profundunt, vt in diabete: vel corporis totius colliqua- Causæ copiosioris.

tione, vt in febribus ardentibus. Aliquando à serosi humoris destillatione è cerebro per spinam dorsi ad renes, inde ad vesicam irruente: Nonnumquam à natura morbum per vrinæ vias iudicante. Parcior verò redditur vrina, cùm parum bibitur, ac siccioribus eduliis viuitur: vel cùm humiditas ardore febrili consumitur: vel cùm vrinæ materia aliò transfertur. Vnde qui multum sudant aut deiiciunt, parum meiunt; quia serosus humor ad corporis habitum vergit, aut ad alnū aperitur. Hydropicis etiam parcior fit vrina, sero à renibus non attracto, sed in abdominis capacitatem translato. Sæpiùs autem vrinæ paucitas ab obstructione nascitur. Sic Nephriticis lotium retinetur obstructis vrinæ ductibus.

& Parcioris vrinæ.

D. *A quantitate, ad qualitatem vrinarum, in colore & odore pergamus. Causæ colorum, quibus tinguntur, peruestigandæ. Quibus causis vrinæ colorantur?*

C. Tribus causis vrinæ variis coloribus inficiuntur: primùm, alteratione, vt cruditate, coctione, vstione: secundò, rei alicuius, vt sanguinis, puris

Causæ colorum qui in vrinis apparent.

permiſtione: tertiò, dominatu ſeri. At cuiúſque humoris ſuum eſt ſerum, ſanguinis rubrum, bilis flauum, pituitæ album, melancholiæ nigrum. Refert autem vrina colorem ſeri dominantis. Serum verò copioſius, oſtendit eum humorem abundare, cuius eſt ſerum. Nonnunquam aſſumpti alimenti, aut medicamenti colore, tinguntur vrinæ. Sic epotum rheum concolorem vrinam reddit. Ordinarius potus decocti radicis oxalydis, rubram facit vrinam.

D. *Albarum & nigrarum vrinarum cauſas explica?*

C. Vrinæ fiunt albæ & aqueæ, vel cruditate, vel albi alicuius, vt chyli, ſeminis, aut puris permiſtione, aut ſeri pituitoſi copia: aliquando priuatione bilis, vt in ardenti febre, quando illa ad cerebrum rapitur, inſtante delirio. Tum enim phreneticis alba cernitur mictio, abſentiâ bilis, qua ſolet vrina colorari. Cauſæ vrinarum albarum.

Nigræ fiunt contrariis cauſis, humorum ſcilicet vſtione, humoris melancholici vel atrabilarii miſtione, vel ſeri melancholici dominatu. Non Nigrarũ.

est nouum morbos melancholicos, vt quartanas febres, vrinis nigris termi-nari, humore morbifico per vrinas ex-creto.

D. Recense etiam causas vrinarum ad nigram pertinentium?

Rubræ. C. Vrina rubra fit sanguinis per-mistione, vel seri sanguinis dominatu, vel assatione incipiente.

Viridis. Viridis autem maiori vstione, aut bilis porraceæ permistione.

Liuidæ. Liuida aucto vstionis gradu, aut bi-lis ceruleæ mistione.

D. Persequere causas Vrinæ pallidæ, citrinæ, & aliarum ad citrinam accedentium.

Pallidæ, Citrinæ, Flauæ, Subflauæ, Rufæ, Subrufæ, C. Omnes fiunt à calore medioeri. Vnde cum vrina album colorem per-mutat pallido, aut flauo, bonum. Ar-guit enim coctionem inchoari. Sin autem in rubrum, viridem, aut liui-dum mutetur, malum omen.

D. Fœtidæ Vrinæ causam exprome?

Fœtidæ. C. Fœtor interdum assumptorum, vt putris casei, vel alliorum vsu, con-trahitur: interdum è renum aut pu-dendi vlcere procedit. Nonnunquam ex superioribus locis proficiscitur, ab

humore, aut partis cuiuſdam ſubſtantia putreſcente.

D. Patefeciſti cauſas ſubſtantiæ & accidentium chymatis Vrinarum, de Paryphiſtameni homogenei & heterogenei cauſis deinceps agendum. Quid propriè vocas paryphiſtamenon homogeneon?

C. Paryphiſtamenon homogeneon voco, craſſiorem vrinæ partem, quæ ortus ſui cauſam duxit, ex ſanguinis portione minùs elaborata, corporis nutritioni minimùm idonea, inſiti caloris vi ſecreta & in imum depulſa; quandóque ſurſum repulſa, vel in medium, vel in ſublime. Vnde ſedimentum, vel enæorema, vel nubes appellatur. Quid paryphiſtamenon homogeneon.

D. Cùm Paryphiſtamenon homogeneon penitus conſanguineum videatur, quòd in venoſo genere ex hæmatoſeos reliquijs ortum fuerit, cur hypoſtaſis, enæorema & nubes loco diſſident?

C. Cauſa cur loco diſcludantur, ab homogenei contenti cruditate, aut coctione dependet. Cùm enim Paryphiſtamenon crudum ſit, vel coctum: crudum autem ſpiritu flatulento turgeat, qui coctione diſcutitur; ſi per- Cur paryphiſtamena homogenea loco diſcrepent.

exiguus, vel nullus, supersit flatus, qui sursum materiam cõtentam impellat, hypostasis in imo subsidet: si verò multus flatus in fundo luxuriet, qui materiam contentam ad medium efferat, enæorema in medio suspensum hæret; sin autem plurimus flatus ad liquoris superficiem vsque materiam contentam attollat, in sublimi nubes apparet.

D. Eadèmne sedimenti materia est in vrinis sanorum atque ægrorum?

An sit eadem sedimenti materia in sanis atque ægris.

C. Hypostasis in ægris non modò fit ex reliquijs secundæ coctionis, quæ in nutrimentum partium mutari non potuerũt, sed etiã ex materia morbifica.

D. Ad heterogeneorum in Vrinis contentorum causas transeamus. Quibus ex causis fiunt κριμνώδεες, πεταλώδεες, καὶ πιτυρώδεες ὑποστάσιες, sedimenta farinacea, squamosa, & furfuracea?

Causa hypostaseos farinaceę.

C. Κριμνώδης ὑπόστασις fit à colliquatione, vel vniuersi corporis, vel renum duntaxat. Si citra febrem apparuerit, renes duntaxat afficiuntur; sed si subsidentia in febre ardente farinam crassiorem referat, sanguinem ardore febrili torrefactum arguit, & in carne

quicquid tenerum & adipale ineſt liquatum, & carnem denique ipſam duriorem, non ſecùs atque ea quæ in ſartagine pertorrentur exarefactam.

Πεταλώδης ſquamoſa ab eadem cauſa, ſed vehemétiore, efficitur; cùm febris tanta eſt, vt non modò carnes, ſed partes etiam ſolidiores inæqualiter colliqueſcant. Squamoſæ.

Πιτυρώδης furfuracea fit à longè vehementiſſimo calore febrili, ſolidas partes ſupra modum colliquefaciente, vrente, & reſiccante. Itáque niſi πεταλώδεα καὶ πιτυρώδεα ὑφιστάμενα ſecedant à veſica ſcabie affecta, ſummum ardorem in ſanguine teſtantur, quo interior tunica venarum ab acerrimo ſuccoabraditur, deſquamatur, & in furfures reſoluitur. Furfuraceæ.

D. Cruentæ, purulentæ, arenoſæ & mucoſæ vrinæ cauſas aperi?

C. Aliquando ſubſidet ſanguis in grumum concretus, vnde cruenta vrina redditur, aperta, rupta, aut exeſa in renibus aliqua vena, puta dum à grãdiore calculo atteruntur. Cauſa vrinæ cruentæ,

Quandóque pus ab aliquo renum aut veſicæ abſceſſu confer.im, aut vl- & Purulentæ.

cere, paulatim simul cum vrina effluxit, quod suo pondere fundum petit. Ideò discernitur à semine, quod semper innatat vrinæ, propter suam tenuitatem & leuitatem. Distinguitur etiam à pituita, quod hæc, licet quiete subsideat, crassa tamen sit, atque tenax, sibique cohæreat; illud verò agitatum mox dissoluatur ac diffluat.

Quî distinguatur pus à semine, & à pituita.

Causa arenosæ, & Mucosæ vrinæ.

Arenosa vrina procedit à calculosa renum constitutione, nedum à calidiori eorum intemperie.

Mucosa vrina cum dolore emicta, fit à crassa pituita, quam vesica cumulat, quia frigida & membranosa existit. At quæ nullo dolore fluit, è renibus, vel circumpositis partibus affectis, illabitur.

D. Vnde prodeunt filamenta albis capillis similia, in vrinis volitantia?

Vnde prodeant filamenta per mediā vrinam volitantia.

C. Filamenta albis capillis similia, à renibus reddi, author est Hippocrates. At Fernelius animaduertit ea sæpiùs ex ijs vasis spermaticis deriuari, quæ parastatæ dicuntur, in quibus teretem figuram sortiuntur ex seminis materia, quæ vi morbi sensim defluēs calore crassescit.

D. Putásne in mentem venisse Hippocrati, pilorum mictionem, quam τριχίασιν Græci vocant, à soluta renum substantia prodire?

C. Minimè. Sed pilos quibus Vrina conspergitur, à crasso & viscido humore in renibus exsiccato, torrefacto & in fila conglobato natos, Hippocratem voluisse reor.

D. Supersunt heterogenea quæ per summam Vrinam innatant; inter quæ corona primas tenet. Quid est corona?

C. Est circulus ambitu suo supremam Vrinæ faciem cingens. Quid corona.

D. In qua Vrina conspicitur corona?

C. In ea, cui partium dissimilitudo quædam inest, aut humorum exagitatio, aut color aliquis magis tinctus. In qua vrina appareat.

D. Quo colore prædita est?

C. Corona varij coloris est, pro vario humore à quo gignitur, quem repræsentat. Quo colore prædita.

D. Vnde spuma & bullæ oriuntur?

C. Spuma & bullæ constant ex eadem materia. Spuma enim nihil aliud est, nisi multæ bullæ aggregatæ & cohærentes. Generantur autem bullæ à flatu in viscida materia incluso, qui Causa spumæ & bullarũ.

cùm exhalare nequeat, materiam in tumorem attollit. Dum enim flatus in materia tenaci agitantur, neque facilè transire possunt, bullæ proueniũt; atque quò humor is est viscidior & flatus crassior, eò diutiùs spuma & bullæ durant.

D. Quam ob causam Vrina pinguis fit?

Causa pinguedinis in vrinæ superficie innatantis.

C. Nisi Vrina ab epoto oleo oleosa euaserit, pinguedo supernè innatans à liquato renum adipe, vel à corporis totius colliquatione gignitur.

DE SIGNIS MORBORVM, quæ sumuntur ab Vrinis.

D. Hactenus Vrinarum differentias & causas enarrasti, superest vt quid singulæ significent breuiter explices. Sed vt vera significatio haberi possit, antequàm de singulis decernas, Vrina, quæ fida morborum nuntia est, ab ea quæ fallax esse consueuit, accuratè distinguenda?

Quæ vrina morbos certò denunciat.

C. Vrina, quæ nulla inquinatur permistione rerum externarum, quarum qualitatibus immutatur, interiores partium & humorum affectiones certò denuntiat.

D. *Quænam res externæ propriam vrinæ indicationem peruertunt?*

C. Potus

C. Potus immoderatior, præsertim aquæ, aut vini albi tenuis, copiosiorem vrinam profundit, eámque tenuem & crudam; & quæ, quoniam præproperè perlabitur ac præterfluit, nec partium, nec humorum affectiones, nec qualitates expressas exquisitè refert. Non pauca etiam vel mediocri vsu vrinam colore inficiunt, vt crocus, cassia, rhabarbarum, senna, rubia maior: quædam alieno illam odore perfundunt, vt allium & terebinthi lachryma. Horum enim qualitates vrinam immutant. Itaque cauendum ne Medici iudicium fallant. Quæ propriã vrinæ significationẽ peruertunt.

D. Quid substantia & accidentia chymatis Vrinarum significent, sigillatim deinceps perpendamus. Quid vrina tenuis, crassa & mediocris indicant?

C. Vrina tenuis & aquea, nisi manifesta sit obstructio renum, vt in nephritide; vel hepatis aut lienis, vt in quartanis febribus: cruditatis est soboles. Tam exiguus interdum calor est, vt aquam aliúmve potum talem labi sinat, qualis acceptus fuerat. Propterea tenuis vrina meïtur in principio morbi, dum cruda sunt om- Quid indicet Vrina tenuis.

nia. Incipit enim crassescere incremẽto, quia tùm coctio inchoatur.

Crassa. Crassa vrina, nisi ex laxioribus patentioribúsque viis vrinæ profluat, oppressi caloris nota est, quòd calor insitus crudorum humorum exuperantia prematur.

Mediocris. Vrina mediocris consistentiæ vegetum calorem, exquisitámque concoctionem ventriculi, iecoris atque venarum ostendit.

D. *Quid clara & turbida significant?*

Quid clara. C. Perspicua vrina perfectam concoctionem, humorum bonitatem, & caloris natiui summam vbertatem ostendit, cuius vis etiam in vrina permanens hypostasin tandem secernit & distinguit.

Turbata. Quæ, cùm primùm micta est, turbatur, & igne clarescit, principium coctionis arguit.

Turbida. Verè turbida, quæ ex renum aut vesicæ affectibus non proficiscitur, diuturnos contumacésque morbos, & capitis dolores, à crassorum humorum copia oriundos, indicat. Vnde Hippocrates: Quibus vrina turbida, qualis iumentorum est, iis capitis dolor vel

adest, vel aderit. Perseuerans autem diutiùs, aut veternum, aut lethargum minatur.

Confusa quæ igne non clarescit, sanguinis & humorum, qui in venis sunt maioribus, confusionem, corruptionem & putredinem portendit, eámque ferè malignam. Quocirca in solis continuis febribus, iísque periculosis ea deprehenditur. Confusa.

D. Quid vrinæ copia & paucitas indicant?

C. Nisi copiosioris vrinæ euidens sit causa, vt potus multus, diureticorum vsus, aliarum vacuationum solemnium suppressio, catarrhus, aut colliquatio totius corporis; probabile est morbum vrinarum copiâ solutum iri. Vrina multa.

Nisi paucioris vrinæ sit manifesta causa, vt paucus potus, insignis sudor, alui profluuium, aut ingens incendium, à quo vrinæ materia resoluatur; coniectura est vrinæ vias calculo, aut muco obsideri. Pauca.

D. Quid singuli vrinæ colores significant?

C. Colores extremi, & qui ad illos

accedunt, humorum cruditatem, aut vstionem, plùs minùs indicant.

Vrina alba; nigra. Vrina enim alba cruditatis, nigra vstionis nota est; nisi talis sit, alicuius albi aut nigri permistione. Distinguẽtur potissimùm hoc signo; quòd earum, quæ alteratione sola præter naturam colorantur, tenuis sit consistẽtia; earum verò quæ permistione, crassa.

Alba & tenuis. Alba ergo & tenuis, cruditatem ostendit: aut bilem aliò, vt ad cerebrũ, translatam. Hæc in acutis febribus delirium minatur.

Alba & crassa. Alba & crassa, crudæ pituitæ soboles est.

Nigra & tenuis vrina, lethalis est; quia summæ vstionis; aut extincti caloris, est index.

Nigra verò & crassa, non est perpetuò lethalis: quia multi morbi melancholici iudicantur vrinis nigris.

Rubra & tenuis. Rubra & tenuis, quæ flammea, ardentem febrem indicat, & iecur immodicè calens, qualis si perseueret, interitum portendit.

Rubra & crassa. At si rubra simul & crassa fuerit, qualis in synocho sæpè redditur, aut

bilis rubræ copiam, aut assari sanguinem ostendit, nisi talis sit permistione sanguinis: quod accidit dum renes à calculo atteruntur: sed tum vrina cùm refrixit, sedimentum velut concreti sanguinis exhibet.

Vrina viridis fit summo incendio: liuida, natiui caloris extinctione. Viridis, Liuida.

Medii colores, vt pallidus, citrinus seu subaureus, ruffus, flauus, subflauus, qui sunt extremis illis interiecti, coctionis sunt indices, præsertim si colore mediocris consistentia attestetur. Pallida, Citrina, Ruffa, Flaua, Subflaua.

D. *Quid odor vrinæ denuntiat?*

C. Odoris suauitatem vix sperare licet ab vrinis, nisi vel terebinthina, vel odoratioris medicamenti vi affletur. Fœtor autem, si nec assumptorum vsu, nec renum aut vesicæ vitio contractus fuerit, ex superioribus locis prouenit. Fœtida verò vrina inde profluens, siue rubrā turbidáque sit, siue tenuis ac perspicua, putredinis semper est index: eáque putredo aut iñ humoribus, aut in partium substātia consistit. Si recens est fœtor & repentè natus in vrina crassa ac turbi- Quid vrina graueolens significet.

da, humor: sin vetus ac diuturnus in vrina tenui ac perspicua, partis cuiusdam substantia putrescit.

D. Hucvsque declarasti quid designet Vrinæ chymosis, nunc quid paryphistamenon homogeneon & heterogeneon indicet, aperias velim. Illud triplex, hypostasis, enæorema & nubes. Quid significat hypostasis?

Quid hypostasis indicet.

C. Hypostasis morbifici humoris coctionem significat, si laudabilis sit.

D. Quale debet esse sedimentum laudabile?

Hypostasis optima quæ.

C. Sedimentum illud optimum est, quod album, læue & æquale conspicitur. Venæ siquidem materiam morbi coctione dealbant, ac læuem id est vnitam; non diuulsam, & æqualem, id est vbique & perpetuò sibi similem, reddunt; non vna parte coctam, altera crudam; nec hodie coctam, cràs crudam. Itaque quò candidior, læuior & æqualior hypostasis erit, eò melior, quia certiùs naturæ victoriam demonstrat. Quæ ab hac recedit, mala; & quò longiùs discessit, eò deterior.

D. Hypostasis, quæ non fuerit alba, nec

leuis, nec æqualis, quid denuntiat?

C. Subſtantia quæ non fuerit alba, humorem peccantem, cui concolor eſt, abundare demonſtrat, flaua bilem; rubra ſanguinem aut rubram bilem; nigra melancholiam vel atram bilem; viridis bilem porraceam aut ærugi-noſam; violacea glaſteam. Quæ diuulſa eſt, non vnita, oſtendit à flatu factam perturbationem in imo corporis. Inæqualis, diuturnum fore morbum portendit: eiúſque dubiũ euentum, quia fit ex humore cocto & incocto.

Quid arguet hypoſtaſis flaua, rubra, nigra, viridis, violacea; Diuulſa. Inæqualis.

D. Quid enæorema & nephelion ſignificant?

C. Vt hypoſtaſis robuſtam, ſic enæorema nondum firmam, ac nubes etiamnum infirmiorem naturam arguit. Cùm enim paryphiſtamenon homogeneorum materia communis ſit, potens calor eam coquit, incraſſat, ſecernit, & in imum deturbat; Minus potens eam in medio ſuſpenſam relinquit: Adhuc impotentior in ſublimi; adeò vt inferiora paryphiſtamena ſublimioribus perpetuò præſtent. Imbecillitas verò maxima ſignifica-

Quid enæorema & nubes indicent.

tur, si nullum toto morbi progressu, in vrinis, appareat paryphistamenon. Licet enim nequaquam necesse sit, in lotio sanorum aut ægrorum conualescentium extare perpetuò sedimentum, quòd in oligodiætôn vrinis nihil quandóque subsideat; ac biliosi nonnunquam morbi, sine sedimento fœliciter terminentur: melior tamen & multò securior habetur vrina, quæ nõ modò substantia mediocri est, nec instar aquæ tenuis, nec vt iumentorum crassa, clara, non turbida, colore subaureo, sed in qua etiam hypostasis subsidet alba, læuis & æqualis. Talis enim cæterarum quasi lex est, & regula, vt quæ concoctionem inculpatam indicet.

Optima vrina quæ.

D. Eadémne vrina tibi videtur in omnibus sanis semper obseruari?

Vt mutetur tẽperamento, sexu, ætate, victus ratione, anni tempore.

C. Minimè. Temperamento quippe, sexu, ætate, victus ratione ac cæli constitutione mutatur. Nam biliosi coloratior est vrina, quàm pituitosi; viri, quàm mulieris; iuuenis, quàm senis. Pituitosi verò crassior est quàm biliosi, mulieris quàm viri, quia multa superuacanea vt in vterum, ita in ve-

ficam vndique confluunt: puerorum quàm ætate florentium, propter ingluuiem: ſenum propter caloris imbecillitatem, cruda eſt, tenuis, alba. Copioſior & craſſior hominum qui intemperanter, quàm qui frugaliter viuunt. *Gal. 2. Prognoſt.* ſcribit, quòd vrina ſedimentum nullum habeat, ſi tenuiter viuitur; copioſum, ſi largiùs; exiguũ verò, ſi modicè viuitur. Æſtate parcior redditur vrina, quàm hyeme: quia multum ſeri ſudore & inſenſibili transſpiratione reſoluit æſtus.

D. Ab homogeneis ad heterogenea contenta pergamus. Quid ὑφιστάμενα κριμνώδεα *portendunt?*

C. Quæ ſubſident in vrinis craſſamenta farinæ craſſiori ſimilia, Hippocrati longam inualitudinem ſignificant, propter pepaſmi difficultatem. Quid κριμνώδεα ſedimenta ſignificent.

D. Quid πεταλώδεα καὶ πτυρώδεα?

C. Si quis ſquamulas minxerit, & grauis odor adſit, veſica exulcerata eſt. Quid πεταλώδεα.

At ſi citra veſicæ exulcerationem exeunt, febris ardens interiores vaſorum tunicas colliquefacit, & velut in lamellas diſſoluit. Vnde & ſolidarum

partium consumptio inest.

Quid πιτυρίασις. Quibus in Vrina crassa quædam furfuri similia exeunt, iis vesica scabie laborat. At si hæc in Vrina tenui apparent, colliquãtem febris ardorem denuntiant, ob quem & venarum sanguis retorretur, & earum substantia incendio perusta solidum quiddam quasi intertrimentum deperdit, abijcítque, quod cum vrinis emittitur.

D. Quid cruenta & purulenta Vrina significant?

Quid cruenta & purulenta vrina. C. Si sanguis & pus cum Vrina reddatur, renum aut vesicæ exulcerationem significat, inquit *Hippocrates Aph. 75. l. 4.*

Quandóque pus à partibus diaphragmate superioribus manat, sed tùm æqualiter id permiscetur Vrinæ: dum verò à renibus & vesica proficiscitur, non æqualiter permiscetur Vrinæ. A vesicæ ceruice, ingenti partis dolore manat; à renibus, nullo ferè sensu doloris.

D. Quid arenosa & mucosa Vrina significant?

Quid arenosa & mucosa. C. Arenulæ cum Vrina postremæ

prodire ſolent. Rubræ & flauæ à renibus, albæ à veſica proficiſci creduntur. Si copioſæ illæ fuerint, & craſſiuſculæ, calculum minantur. Earũ quippè adhæſu calculus milij vel hordei magnitudine concreſcit, qui cùm è renum ſubſtantia in capacitatem excutitur, Vrinas craſſas, turbidas, rubras aut ſubnigras reddit, impendentis nephritici doloris indices. Calculus in caput vreteris inſertus dolore excruciat: ac tùm Vrinæ tenues & albæ, quales in omni ferè renum infarctu cernuntur.

Craſſior pituita inſtar muci narium matulæ fundo inhæreſcens, cum dolore emiſſa, veſicæ calculum, aut ceruicis ſordidum vlcus denuntiat, authore Fernelio. Sed Sennertus, ſalua veſica, inculpatíſque renibus, cum maximo in meiendo cruciatu, talem materiam per aliquot ſeptimanas continuò tanta copia cum vrina eiici vidit, vt impoſſibile videatur, illam ſaltem à veſicæ vel renum vlcere profluxiſſe: verùm cacochymiæ in partibus vltra renes ſitus ſobolem fuiſſe cenſet, quam naturæ per hanc

viam euacuare placuit.

D. Quid filamenta albis capillis similia in vrinis volitantia significant?

Quid filamenta albis capillis similia significent.

C. Spermaticæ materiæ corruptelam, à fœda gonorrhæa relictam, recludunt; atque fœdam vteri colluuiē, in mulieribus quibus albicantes menses profluunt.

D. Persequamur heterogenea in superficie vrinæ contenta. Quid significat corona?

Quid corona significet.

C. Corona ferè docet qualis in vasis maioribus sanguis habeatur. Nam tenuis & alba dilutum sanguinem & sero tenui perfusum ostendit: crassa & alba pituitosum, citrina naturalem: crocea bile multa, eáque flaua, conspersum: rubra & ardens, feruidum & accensum: viridis bile prassina vel æruginosa, cærulea & liuida vel naturali melancholia vel atra bile inquinatum, aut hunc certè in eorum humorum naturam corruptione mox abiturum.

D. Quid spuma & bullæ significant?

Quid spuma & bullæ significent.

C. Spuma multa citra vrinæ agitationem innatans, flatus arguit plurimos in corpore vagari, ventriculum & intestina distendi, colicum dolo-

rem imminere, ídque vel fructuum vel leguminum immoderato esu, vel insiti caloris imbecillitate. Ea si magnis bullis diu perseueret, crassos & viscosos humores, ex hísque obstructiones indicat: at si leui causa hæ bullæ rumpuntur atque dissoluuntur, tenuem flatum, tenuésque humores. Si bullæ paruæ & exiguæ per vrinæ coronam dispositæ sunt, capitis dolor adest; cephalalgia quidem, si coronam omnem; hemicrania verò, si illius solùm medietatem occupent: acriórque dolor erit, si aureæ sint & citrinæ; mitior, si albę & pallidæ; diuturnus verò, si diu permaneant. Quæ porrò media vrinæ facie consistunt, pacati doloris sunt indices. Cùm enim summam vrinæ partem teneant, ipsum quoque caput in homine summum dolore obsideri testantur; ídque vel à flatu, vel ab humore, cuius speciem bullarum color exprimit. Bullæ granis exiguis similes in corona sitæ, si dum versatur & agitatur vrina deorsum versus depulsæ, mox in coronam resiliunt, destillatio è capite, vel in pulmones, vel in ventriculum, vel in

ſcapulas, vel in alias ſubiectas ſedes procumbit: cuius vis & natura, ex colore vrinæ, coronæ, atque bullarum, intelligitur.

D. *Quid pinguedo vrinis innatans ſignificat?*

Quid pinguedo vrinis innatans ſignificet.

C. Pinguedo per ſumma innatans telis araneorum ſimilis, hominem (inquit Hippocrates) tabe conſumi ſignificat. Niſi enim renum colliquatio & fuſio quædam in cauſa ſit, corpus vniuerſum vel febre ardente, vel phthiſi, vel hectica febre liqueſcit. Diuulſa quaſi olei puncta innatantia, alterutrum ſimiliter, ſed ineſſicaciùs, ſignificant.

D. *Quænam ſunt obſeruanda antequàm certa de vrinis ſententia feratur?*

Vrina quando colligenda.

C. Excipienda Vrina eſt à ſomno prima, perfecta cibi concoctione, eáque vniuerſa, quòd pars nulla dilucidè poſſit notas omnes exprimere. Matula in qua reponatur alba ſit & dilucida, qualis ferè vitrea eſt. Obturetur procul à ſole, à frigore, & à flatu; ne vel turbetur, vel craſſeſcat. Quieta, nulláque agitatione reſideat, dum ſenſim refrixerit; nec tamen ſupra ſex

Quali matula ſit reponenda.

Vt cuſtodienda ſit à Sole, frigore, vento.

horas asseruetur, ne quam corruptionem subeat. Si fortè vel frigoris vi, vel sponte sua crassescat, turbetúrque, igne leni dissoluetur, atque declarabitur, nulla agitatione, ne dissipetur hypostasis. Vrinæ inspectio in loco fit, nec obscuro, nec nimium lucido, nec Solis radiis collustrato.

Vt turbata declaranda.

Quo loco inspiciēda.

QVA RATIONE MEDICIS οὐρομαντίας exercitatio subeunda.

D. Perdocte Candidate, si præstantis Medici nomen apud vulgus tibi comparare velis; partem affectam, affectúsque speciem & causam, atque futurum morbi euentum, absentis etiam ægroti, te tanquam hariolum oportet augurari, ex inspectione sola Vrinæ tibi oblatæ. Qua ratione artis Vromanticæ peritum te populo exhibebis?

C. Antequam de absentis ægroti Vrina mihi proposita sentētiam nuntio feram, quod anni tempus, quæ cæli constitutio sit, quos morbos regio inuehere soleat, & quis morbus communiter grassetur in populum, animaduertam. Nam is semper suspiciēdus qui multis insidiari consueuit. Ac si mihi notus sit ægrotans, quæ illius

Antequā de vrina sententia feratur, quæ Medicū secū reputasse oportet.

natura & cõstitutio, quibúsque morbis sit opportunus, memoria repetã. Laborantísque sexum, ætatem, victúsque rationem accuratè perpendam. Nam si mulier præter naturam afficitur, an vitio vteri contractus sit affectus obseruabo. Si senex est qui laborat, hyeme, pluuioso cælo, & in regione humida, fieri vix potest quin tussi, catarrho, & ventriculi imbecillitate, deiectáque appetentia affligatur, atque morbis à destillatione ortis cõflictetur; maximè si natura humidior, atque crapulæ & vinolentiæ deditus. Si iuuenis ísque biliosus ęgrotat, æstate media, cælíque statu & regione feruenti, post victum calidum, exercitationémve immoderatam, diu mecum reputabo, num febre ardente, an tertiana intermittente, aut pleuritide, vel dysenteria corripiatur; vt hinc coniectura fiat, eo teneri morbo, cui magis est obnoxius, aut qui tum temporis plurimùm grassatur in vulgus.

Perspectâ deinceps vrinâ, si nulla externarum causarum vi mutata sit, num renes vrinæque ductus afficiantur, diligenter inuestigabo: num olim

nephritide & calculo tentatus æger fuerit, perquiram. Si nec renum, nec vesicæ vitium extet, quænam sit viscerum aut venarum intemperies, vrina demonstrabit, simpléxne sit, an ex humorum vitio, & quod humoris genus exuperet, & an cum putredine atque febre. Nam color intemperiem, substantiã crassa aut turbulenta humoris vitium, confusio putredinem denuntiabit. Quin & vrinæ contenta sedis affectæ certam notitiam exhibebunt.

D. Si alba & tenuis vrina tibi proponatur, quid respondebis?

C. Dicam ventriculum atque iecur supra modum refrixisse, cibi inesse fastidium, feréque deiectam appetentiam, ventriculum à pastu distendi atque dolitare, ructus multos, eósque acidos emitti, flatus plurimos euagari, frigus plerúmque sentiri, caput ingrauescere, corpus vniuersum quasi eneruatum languere, multa olim commissa fuisse errata in victu, ídque vel potu frigidæ, vel fructuum esu, vel vigiliis, vel mœrore. Si iamdiu malum persistit, corpus vniuersum cruditate

Quid respondere oporteat, alba & tenui vrina proposita.

scatere, viuidum periisse faciei colorem; aut lienteriam esse, aut pedes tumere, & leucophlegmatiæ, aut cachexiæ periculum impendere. Et quoniam ea quoque vrina sępè notatur in melancholia, atque in lienis tumore, loquar de mœrore, metu, insomniis turbulentis, rugitu sinistri hypochondrij, cordis palpitatione, scotomate, & aliis id genus symptomatis.

D. Si alba & crassa vrina tibi offeratur, quid dices?

Quid alba & crassa.

C. Cùm alba & crassa simul, aut turbida fuerit, quoniam à crassæ lentæque pituitæ dominio fit, enuntiabo caput dolore concuti, vel graui somnolentia teneri, viscera humoribus multis impediri, intestina atq; hypochondria flatibus distendi, & colicum dolorem imminere, vētriculum nausea, aut pituitosa vomitione premi. Hæc si simul confusa apparebit, aut quotidianam aut lentam febrem esse, eámque diuturnam, & symptomata vrgere, quæ febres comitari solent.

D. Quid si aurea & tenuis?

Quid aurea & tenui.

C. Vrina aurea, si tenuis fuerit, iecoris calidam intemperiem, sitim,

corporis extenuationem, vigilias, ſomnum turbulentum, manuum volas, plantáſque pedum impendiò calidas.

D. Quid ſi eadem craſſa?

C. Ea, ſi craſſa erit, bilem flauam exuperare & exagitari, hancque vomitione reddi, os ieiuno amareſcere, animi defectiones obrepere, ventriculum & pręcordia incaleſcere, idque ferè cum ſiti; aluum torminibus, aut crebra deiectione ſolicitari, quæ dyſenteriam minatur; aut corpus pruritu ardere, aut ſcabie fœdari. Aurea & craſſa,

D. Quid ſi eadem confuſa?

C. Eadem, ſi confuſa exiſtat, tertianam aut ardentem febrem affligere, capitis dolorem, vigilias, delirium, ſitim inexhauſtam, aliáque harum febrium ſymptomata, aut adeſſe, aut imminere. & confuſa.

D. Quid ſi rubra, tenuis & confuſa?

C. Rubra vrina, ſi tenuis aut mediocris ſit, ſanguinis efferueſcentiã ineſſe, capitis pulſantem dolorem atque grauitatem, membrorum tenſiuã laſſitudinem: & ſi confuſa fuerit, ſynochũ putridam, eiúſque ſymptomata. Quid rubra, tenui, & confuſa.

D. Quid si aliis coloribus prædita?

Quid aliis coloribus prędita.

C. Si ex aliis vrinæ coloribus, vel icterus, vel iecoris scirrhus, vel phlegmone, vel melancholia in liene, vel cæterorum quippiam inesse coniicitur; symptomata omnia, tùm quę illinc profecta sunt, tùm quæ impendere solent, causas quoque euidentes, ex quibus illa proficisci consueuerũt, diligenter persequar. Sed interrogatiunculam cautè præmittam, quampridem morbus inuasit, subitóne, an lentè, ac pedetentim, & quàm vehementer: vt hinc coniectura fiat, acutúsne, an diuturnus is sit.

D. *Quid si bullans vrina tibi afferatur?*

Si bullãs vrina proponatur.

C. Si bullæ per summam vrinæ coronam dispositæ, caput dolore, aut humore multo, grauari denuntient; mox iudicabo & somnolentiam & sensuum tarditatẽ esse; ex hísque aut soporem, aut paralysin, aut grauiorem defluxionis ruinam instare: aut cùm iam certa destillationis signa deprehenduntur, humorem aut in ceruicem, aut in scapulas, aut in latera atque thoracem, aut in pulmones

cum tuſſi, aut in articulos procumbere: atque ſi cum deſtillatione febris ſigna exiſtant, pleuritin vrgere, maximè verò ſi tùm temporis populariter illa vagatur: ſin verò cum deſtillatione, Vrina ſit oleaginea, phthiſin vel ineſſe, vel proximè inſtare.

DE DEIECTIONIBVS.

D. *Perdocte Candidate, iam à Fernelio Doctore celeberrimo hariolandi artem ex Vrinis te perdidiciſſe percipio. Sed amplius quæro num ab alijs etiam excrementis diagnoſtica atque prognoſtica ducantur ſigna?*

C. Maximè. Deiectiones enim atque ſudores etiam ſpectantur, quòd primæ regionis affectus illæ detegant, hi tertiæ. Cur deiectiones ſpectentur.

D. Quæ ſunt in deiectionibus conſideranda?

C. Subſtantia & accidentia, puta quantitas & qualitas in colore & odore, atque permiſta. Vnde deiectionum differentiæ plures exiſtunt. Quæ in deiectionibus cõſideranda.

D. Cedo quas?

C. Deiectio à ſubſtantia dicitur liquida, aut dura, vel mollis: à quantitate multa, vel pauca; ac frequens, Differentiæ deiectionum ſumptæ, à ſubſtantia: à quantitate:

à colore: vel rara: à colore, alba vel nigra; aut ab odore: flaua, vel rubra, aut viridis: ab odore à permistis: fœtida, vel sine fœtore: à permistis varia sortitur nomina, vt à sanguine cruenta, à pure purulenta, à chylo chylosa, à pituita mucosa, à flatu flatulenta, à spuma spumosa, à pinguedine pinguis: quandóque lumbricis referta.

D. Deiectionis cuiusque causas expone.

Causæ deiectionis liquidæ. C. Deiectio liquida fit, vel frequentiore vsu liquidioris alimenti, vel cruditate, vel destillatione; dum à toto vel à parte aliqua, vt à cerebro, humor multus ad sentinam confluit: obstructo quoque mesenterio, quòd à iecore non attrahatur chylus.

Duræ. Contrariis causis stercus induratur, pauco, eóque sicciore & adstringente alimento, vel calore resiccante, siue à vehementi febre; siue ab interna inflammatione proficiscatur, vel ab improbo labore, aut immoderata exercitatione contractus sit.

Mollis. Mollis fit mediocri coctione.

Multæ. Eadem ratione augetur & minuitur deiectionum quantitas. Nam qui multùm edit, vescitúrque cibo excre-

mentitio, vt pane furfuraceo; & qui parum coquit, aut coctum non distribuit, multum deiicit: Qui verò parcè ac duriter viuit, quique vtitur alimẽto facilis concoctionis & distributionis, ac minimùm excrementitio, parùm deiicit. Paucæ.

Frequens aluus redditur acrimoniâ bilis assiduè excreticem stimulantis. Frequentis.

Rarior est cùm supprimitur bilis, à qua iritatur excretrix. Raræ.

Colorantur fæces alteratione vel permistione: alteratione, nempè cruditate, vstione, aut mediocri coctione: permistione alieni, vt chyli, sanguinis, puris, pituitæ. Vnde chylosæ, cruentæ, purulentæ, mucosæ nuncupantur. Coloratæ.

Alba deiectio fit aut cruditate, aut bilis absentiâ, aut commistione humoris albi, vt chyli non distributi, vel puris ab abscessu erumpentis, aut pituitæ aliundè confluentis. Albæ.

Nigra verò aut vstione, aut humoris melancholici aut atrabilarij mistione. Nigræ.

Flaua mediocri coctione, ac permistione bilis, quam natura quotidie à folliculo in ecphysin transmittit per Flauę.

meatum cholidochum; vt, clysteris instar, excretricem ad officium incitet.

Rubræ. Rubra fit à sanguine, vel vstione.

Viridis. Viridis maiori vstione, aut permistione bilis porraceæ vel æruginosæ.

Fœtidæ. Fœtor contingit humorum putredine, nisi manifestam habeat causam, vt vsum alimenti, vel medicamenti fœtidi. Aphrodisæus in problematibus quærit cur humanum stercus peius oleat, quàm ceterorum animalium: respondit hoc pendere à cruditate: hanc verò à varietate alimenti.

D. Deiectionum differentias & causas explanasti, nunc signa breuiter perstringe?

Optima deiectio quæ. C. Deiectio censetur optima, quæ mollis est, & cohærens & subrufa; nec graueolens, & assumptis alimẽtis analoga. Hæc enim naturalis facultatis integritatem significat; ac nullum, ex vicinis partibus, aut vniuerso corpore, fieri humorum decubitum denuntiat. Quæcúmque ab hac deflectit, vt quæ liquida vel dura est consistentia, quæ alieno colore tincta, quæ graue olet, quæ partes habet distractas, miniméque cohærentes, nec assumptis

Quæ præter naturam.

pris alimentis proportione respondet, præter naturam est, vitiúmque materiæ, aut facultatis, ostendit.

Liquida & aquosa deiectio in morbis acutis mala; quia ἀπεψίαν, vel obstructionem, vel catarrhum indicat. Quæ citra sensum & voluntatem ęgri elabitur, periculosa; quia prostratas vires arguit. Quid indicat deiectio liquida.

Dura & coacta deiectio, praua; quia diuturniorem in intestinis moram significat, ob expultricis imbecillitatem, aut bilis defectum, vel propter acutam febrem, aut internam inflammationem, quæ stercus exsiccat, & totam absumit humiditatem. Dura.

Quę copiosior, vel parcior est, damnatur. Copiosior, quia defectum ἀναδόσεως, aut pituitæ defluxum in aluum è supernis partibus indicat, vnde & ipsa liquida redditur. Copiosior.

Parcior, quia plurimam fieri distributionem ostendit. Vnde prę calidi iecoris est index, quod totam ferè chyli humiditatem pellicit. At quò plus humoris à iecore trahitur, eò fæces alui pauciores & aridiores redduntur. Parcior.

Frequentior, Frequentior alui deiectio flauæ b
lis redundantiam arguit.

Rarior, Rarior meatus cholidochi obstr
ctionem.

Alba, Alba aut pallida deiectio, mala; qu
cruda & incocta est. Si propter bi
absentiam talis sit, obstructioné me
tus cholidochi, vt in ictericis; vel b
lis translationem in cerebrum, vt
phreneticis ostendit.

Nigra, Nigra deiectio in morbi princip
lethalis: sed melancholica in statu,
die critico, præcedentibus pepasmi
gnis, cum euphoria contigerit, mo
bum soluit. Verum atrabilaria, q
splendet vt pix, perpetuò funesta e
Itaque de hac intelligit *Gal. cum c.*
de atra bile scribit, se nunquam vid
se vnum qui nigra deiecerit, non i
teriisse.

Rubea, Rubens alui proluuies in morb
omnibus, praua est; quia humiditat
crudo sanguine conspersæ deiiciu
tur, ob retentricis facultatis hepa
imbecillitatem.

Cruenta, Cruenta verò, quâ sanguis cum f
cibus deiicitur, vel hæmorrhoïdes d
tegit, vel dysenteriam ab exulcer

tione inteſtinorum.

Viridis deiectio, niſi ab alimentis corruptis originem duxerit, exitioſa, quia talis fit ab æruginoſa bile. Viridis.

Verſicolor deiectio morbi longitudinem portendit; quia varios affectus, multóſque humores prauos indicat, quorum coctio non niſi longo tempore perfici poteſt. Verſicolor.

Deiectio inſigniter putida, in malis habetur; quia putredinem inſignem demonſtrat, niſi fuerit critica, naturę motu, excreto humore putri, qui morbum faciebat. Putida.

Purulenta deiectio ruptum in meſenterio, vel in cauis hepatis abſceſſum denuntiat. Purulenta.

Chyloſa deiectio hepatis obſtructionem vel imbecillitatẽ ſignificat. Chyloſa.

Mucoſa deiectio, pituitæ in inteſtinis genitę, vel aliunde illapſę, ſoboles exiſtit. Mucoſa.

Spumoſa deiectio magnum intus incendium oſtendit, vel contumacem humorem à permixto flatu agitatum: quæ cum ſtridore, deterior eſt; quia flatuum permixtorum ab imbecillo calore genitorum copiam arguit. Spumoſa.

Pinguis. Pinguis deiectio, nisi ab assumptis pinguibus, aut à sola intestinorum pinguedine fusa fiat, lethalis est; quia totius corporis colliquationem indicat.

Vermes quid portendant. Vermes per aluum excreti, cùm suscitentur ex materia putri, putredinem subesse attestantur. Quò plures sunt, aut maiores, eò maioris putredinis sunt indices. Considerandum si viui, an mortui excludantur. Nã mortuos exire peius est. Summam quippe putredinem esse constat, à qua perierint. In malignis febribus semper in ægri perniciem excernuntur, in aliis morbis distinguenda sunt tempora. Nam in morbi cuiúsque principio, vermes exire malum est. Corruptela enim indicatur, quam vt effugiant, mox foras prodeunt. At in incremento, statu & declinatione, non adeò malum est secedere lumbricos.

DE SVDORIBVS.

D. *E communibus coctionum excrementis restat Sudor. Quid est Sudor?*

Quid Sudor. C. Sudor est humidum tertiæ coctionis excrementum, per cutem in Sudoris materia. aquæ speciem erumpens. Cuius ma-

teria eiuſdem cum vrina generis ſeroſus eſt humor, quem in ſanis calor humidus per habitum corporis diffuſus fundit & attenuat. Hæc in ægris coniunctam habet aliquam morbifici humoris partem. Et quemadmodum vrina humorum in venis contentorũ; ſic Sudor eorum, qui in habitu corporis continentur, qualitatem prodit.

D. *Quæ ſunt in Sudore conſideranda?*

C. Subſtantia, quantitas & qualitas multiplex, à quibus numeroſæ prodeunt Sudoris differentiæ. Quæ in Sudore conſideranda.

D. *Cedo quas?*

C. Sudor à ſubſtantia dicitur tenuis, vel craſſus: & lentus, vel friabilis: à quantitate, multus, vel paucus, aut mediocris: à qualitate, quæ in colore cernitur, rufus, aut ruber, vel viridis; quæ odore percipitur, fœtidus vel mitis; quæ ſapore, ſalſus & amarus, vel dulcis; quæ tactu deprehenditur, calidus vel frigidus; quæ locum ſpectat, vniuerſalis vel particularis; quæ motum, criticus vel ſymptomaticus; id eſt naturalis, vel præter naturam. Differentiæ Sudoris ſumptæ, à ſubſtantia, à quantitate, à qualitate.

D. *Harum Sudoris differentiarum cauſas explica.*

Causæ Sudoris tenuis, C. Sudor tenuis fit ex sero tenuiore & crudiore:

Crassi: Crassus coctione, aut humoris crassi, vt pituitosi permistione.

Lenti, Lentus colliquatione, vel humoris viscidi mistione.

Friabilis, Friabilis, humorum assatione.

Multi, Multus gignitur multo potu, copiosiore sero, aut à calore humido, qui solus humores in sudorem resoluit. Hinc naturâ calidi humidi, vt sanguinei, necnon pueri & adolescentes, plurimùm & frequenter sudant.

Pauci, Graciles verò, sicci, senes, & quibus iecur aut lien, aut totum corpus inaruit, non sudant. Adiuuat plurimùm laxitas cutis. Nam qui sunt sicca, dura & adstricta cute, rarò minimúmque sudant.

Calidi, Frigidi, Sudor calidus fit calidi, frigidus frigidi humoris permistione: aut calidus à calore febrili, frigidus natiui caloris extinctione, qualis syncopticus, qui viribus exolutis syncopen comitatur; atque etiam diaphoreticus, gelidus sudor, mortis prænũtius. Vtérq; veriùs ἐφίδρωσις, mador, quàm ἱδρὼς, à Medicorum coryphæis nũcupatur.

Sudor, vtplurimùm, linteum detersorium tingit colore rufo; quia sola bilis, aut humoris peccantis portio valdè tenuis in sudores resoluitur. Si quandò ruber aut viridis color deprehendatur, ille à sanguinis, hic à porraceæ vel æruginosæ bilis permistione proficiscitur. Rufi, Rubri, Viridis,

Sudor dulcis fit colliquatione corporis. Itaque contra naturam est. Naturalis debet esse salsus & amarus, ratione bilis. Dulcis. Salsi & amari,

Graue olet sudor propter humorum putredinem. Putrent verò illi, quia non difflantur. Fœtidi,

Sudor vniuersalis à toto corpore manat: particularis, ab aliqua parte. Vniuersalis, Particularis,

Sudor criticus fit robore naturæ superfluam humiditatem euacuantis. Critici,

Symptomaticus verò vi & magnitudine morbi, & prauorum humorum redundantia, contingit. Symptomatici.

D. Explicatis singularum Sudoris differentiarum causis, subnecte signa boni & mali ominis?

C. Sudor in omnibus acutis morbis optimus habetur, qui calidus, & Sudor optimus qui.

vniuersalis, & copiosus, cum euphoria, die critico, prægressis pepasmi signis erumpit. Talis enim vel febrem prorsus aufert, vel ita saltem minuit, vt eam deinceps faciliùs ferat ægrotans.

Pessimus qui.

Pessimus contrà symptomaticus, qui frigidus est, & paucus, & circa caput tantùm & faciem atque ceruicem oritur, nec die critico, nec præcedentibus coctionis signis. Hic enim, cum febre acuta, mortem: cum mitiore verò longitudinem morbi portendit, ob copiam humorum natiuum calorem obruentium, quę non nisi longo tempore superari potest. *ex Aph.37.l.4.*

Qui bonus.

Quicunque Sudor expurgatæ succedit aluo, bonus est; quia crassiore dempta morbi materia, quod tenuioris reliquum est exhaurit.

Qui malus.

Sed Sudor in morbi principio, malus. Humoris enim peccantis copiam, proinde morbum fore chronicum indicat.

Copiosus Sudor qui ægrum non leuat, in malis habendus est; quia vires exoluit.

Particularis Sudor, vt affectæ partis index.

Qua corporis parte Sudor manat,

morbum in ea ſitum arguit. *Aph.* 38. *l.* 4. Vt ſi capite, aut thorace, Sudor emanet, ibi humorem morbificum deliteſcere ſignificatio fit.

DE PARTICVLARIBVS *excrementis.*

D. *Quæ in communibus excrementis conſideranda videbantur patefeciſti, an particularia inſuper ad morbi diagnoſin & prognoſin expendenda ſint, aperi?*

C. Sputa in affectibus thoracis, & quæ per nares excernuntur in cerebri morbis accuratè ſunt obſeruanda. Affectus enim partium, à quibus prodeunt, certò demonſtrant; quia materiæ morbi coniunctæ portiones quædam ſunt. Quinetiam morbos partium, quarũ ſunt excremẽta, ſalutares vel lethales, ac breues vel diuturnos fore prænuntiant. Itáque morborum illa thoracis, hæc cerebri diagnoſtica & prognoſtica ſigna ſunt.

Cur ſputa, & cerebri excremẽta, ad morbi diagnoſin, & prognoſin expẽdenda.

D. *Quæ ſputa coniunctam morbi cauſam indicant?*

C. Sputum album, morbum à pituita, rubrum à ſanguine, flauum à bile permixta, nigrum à melancholia fieri ſignificat.

Vt à ſputis, morbi cauſa dignoſcatur.

D. Quæ sunt salutaria in thoracis affectibus sputa?

Optima sputa quæ. C. Sputa quæ alba, læuia & æqualia sunt, neque consistentia nimis humida, neque nimis crassa, optima censentur; quia perfectam coctionem adepta sunt, ideò ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν, significant.

D. Quænam sunt perniciosa sputa?

Quæ lethalia. C. Sputum nigrum atque liuidum, pessimum; quia vel humoris adustionem, vel caloris extinctionem portendit. Sputum, quod vi caloris pituitam incrassantis & adurentis, rotundum & grandinosum euadit, deterrimum. Delirium quippe minatur, ob caloris excessum.

Salsum sputum, siue ex putri pituita, siue ex vstæ bilis cum seroso humore permixtione proueniat, exulcerationis pulmonum metum adfert.

Fœtidum sputum in phthisicis funestum; quia, putredinis, puris & vlceris indicium est.

D. Quæ sputa morbi breuitatem prænuntiant?

Quæ morbi breuitatem prænuntiant. C. Sputa, quæ in pleuritide, alijsque thoracis affectibus citò apparent, &

quæ facilè educuntur, breuem fore morbum pollicentur. Siquidem & naturæ robur & materiæ bonitatem ostendunt.

D. Quæ morbi longitudinem portendunt?

C. Quæ tardiùs & difficiliùs, puta cum dolore & tussi vehementi excernuntur, facultatis imbecillitatem, aut materiæ cruditatem, aut contumaciam, proindéque morbi longitudinem portendunt. Hinc liquidum, & viscidum sputum damnatur; quia vtrúmque difficulter expuitur. Illud enim ob tenuitatem spirituum eludit, hoc ita hæret arteriç, vt vix auelli possit. Illud ítaque cruditatis est indicium, hoc contumacis materiæ. Quæ longitudinē portendant.

D. Si nullum tussiendo, sputum educatur, quid inde significatur?

C. Si nullum tussiendo, sputum prorsus auellatur, pessimum signum est; quia summam cruditatem, & contumaciam humoris, cum virium imbecillitate coniunctam denuntiat. Quid expectorationis defectus indicet.

D. Quid significant excrementa è naribus prodeuntia? Quid excrementa è naribus prodeuntia significent.

C. Quæ prodeunt è naribus, excre-

mentitiorum, qui in cerebro sunt, h
morum coctionem, vel cruditater
ostendunt. Nam si pituitosum excr
mentum per nares emissum, tenue s
cruditatem arguit; siue à frigore e
primatur, siue à calore fundatur:
crassiusculum, coctionem: si durum
fœtidum, moram & calorem. Si ret
neatur in cerebro, apoplexiæ, vel ep
lepsiæ, aut lethargi, metus subest. Qu
bus humidiores sunt nares, iis hum
dius atque infirmius est cerebrum
proinde minùs prospera valetudin
fruuntur, teste Hippocrate *Aph.*
l. 6.

DE SIGNIS,
à corporis habitu desumptis.

D. *Ad morbi diagnosin atque progno sin, priora duo symptomatum genera actionum læsio, & excrementorum ame tria, in examen adducta sunt, habitus cor poris mutatus examinandus superest. Ha bitus nomine partes hîc intelligo, quæ no stris obijciuntur oculis; Inter quas facie omnium prima conspicitur, ad corporis to tius euexiam vel cachexiam indicandam Quid in facie considerandum?*

Quid in ægri faeie confiderãdum.

C. In facie, primum illud conside

randum venit, an ſui ipſius ſit ſimilis vel diſſimilis. Nam quæ naturali ſimillima eſt, in acutis morbis optima cenſetur; quia facultatum omnium integritatem oſtendit. Quæ verò diſſimilis, & naturali contraria, pernicioſa eſt. *ex Progn.* 1. *l.* 1. Quæ facies optima. Quæ peſſima.

D. In quo ſimilitudo, & diſſimilitudo ſpectatur?

C. In mole, colore, & charactere.

D. Quid extenuata facies, quid turgida ſignificat?

C. Illa macilenti, hæc plethorici corporis nota eſt. Quid ſignificet facies extenuata, turgida.

D. Quid faciei color ſupra conſuetudinem rubicundus indicat?

C. Plethoram. Supra modũ rubicunda.

D. Quid faciei color flauus, nigricans, albicans?

C. Cacochymiam bilioſam, melancholicam, pituitoſam. Flaua, Nigricãs, Albicans.

D. Quid character à naturali diſcrepans arguit?

C. Valdè multum à naturę modo receſſum, ac proinde periculum, portendit. Character mutatus.

D. Quæ facies admodum naturali contraria?

Quæ facies admodum naturali cõtraria.

C. Horrendissima illa graphicè ab Hippocrate descripta, in qua nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ ac contractæ, & extremitates earum auersæ, cutis circa frontem dura & circumtenta & arida, ac color pallidus, vel niger, liuidúsve, aut plumbeus. Id enim formæ vitium, si contractum non est ab aliqua causa euidente, vt ab insomnio, alimenti inopia, aut alui fluore, mortem in propinquo esse portendit; quia consumptio talis existit, ob morbi malignitatem.

Cur Medicus linguam introspiciat.

D. Medicus perspecto ægrotantis vultu, linguam introspicit, vt percipiat oculis an benè sit constituta, vel à naturali constitutione remota. Cùm enim carnem habeat raram & spongiosam, à fuliginibus è ventriculo & thorace ascendentibus, & ab humoribus è capite defluentibus, saliua permistis, facilè mutatur. Quid lingua mutata designat?

Quid alienus linguæ color indicet.

C. Lingua præter naturam affecta, peccantis humoris dominium colore & sapore refert. Rubicũda quippè sanguinem, alba pituitam, flaua bilem, nigra verò atram bilem domina-

ri demonſtrat, quia τὸ χρῶμα τῶ χυμῶν ἐοικὸς, i. color ſubiectis humoribus ſimilis. Quinetiam à bile ſaporem amarum, à pituita dulci dulcem, à ſalſa ſalſum, à ſucco melancholico acidum, in ore perſentiſcit ægrotans. Quid ſapor.

D. Quid arida, aſperáque lingua ſignificat?

C. Lingua redditur arida & aſpera, ſæpéque finditur, ex humiditatis, quæ à calore febrili abſumitur, defectu. Quocirca linguæ ariditas & aſperitas, febrilem ardorem ex ichoribus bilioſis genitum ſignificat. Quid ſiccitas & aſperitas.

D. *Medicus inſuper ad principum naturalis œconomiæ partium conſtitutionem iudicandam, hypochondria diligenter contrectat. Qualia ſigna petuntur ab hypochondrijs?*

C. Optima profectò, ſi mollia, æqualia, anodyna, atque craſſa ſint: peſſima verò, ſi dura, tenſa, inæqualia, dolentia, atque extenuata. *ex Hipp. l.* 1. *Progn.* Quæ hypochondria optima. Quæ peſſima.

D. Horum ſignorum cauſam explica?

C. Hypochondria mollia, æqualia & doloris expertia in quouis morbo laudantur ab Hippocrate; quia par- Quid mollia, æqualia, & anodyna ſignificent.

tium subiectarum, vt abdominis, m
culorum, mesenterij, hepatis, lienis
Quid dura, tensa, renitentia & dolorifica. vẽtriculi temperiem renuntiant. D
ra verò, tensa, renitentia & dolorifi
damnatur; quia intemperiem, obstr
ctionem, phlegmonem, scirrhum, a
Quid crassa & extenuata. flatus subesse declarant. Quinetia
crassa extenuatis præferuntur: quia i
la roboris indicia sunt; hæc verò in
becillitatis partium, quæ contabu
runt, nedum signa sunt, verumetia
causæ; quòd nec bona ciborum co
coctio fiat in ventriculo, nec sangui
catio in hepate, *Aph.35.l.2.*



DISPVTATIO IV.

DE CVRANDI METHODO, quæ θεραπευτικὴ Græcis dicitur.

DOCTOR IV.

ADhuc Pathologia, sub qua αἰτιολογικὴ & σημειωτικὴ comprehensæ, ad patefaciendos præter naturã affectus: eorũ curandorum ratio superest, θεραπευτικὴ Græcis dicta, quibus constituatur aperi?

CANDIDATVS.

Ad curandi methodum constituendam duo requiruntur, directus indicationum ordo, & legitima remediorum administratio. Quibus cõstituatur curandi methodus.

DE INDICATIONIBVS.

D. Quid est indicatio?

C. Recta ratio est, quid ad sanitatem instaurãdam sit agendum dictãs: ἔνδειξις, nonnunquam σκοπὸς, Græcis dicitur.

D. *Quotuplex sunt indicationes?* Quotuplices indicationes.

C. Duæ sunt summæ indicationes:

prima à viribus, altera ab affectibus contra naturam: sub quibus coindicationes & contra-indicationes continentur.

Indicatio à viribus. *D. Cur indicatio à viribus prima perhibetur?*

C. Quia vires ante omnia conseruandæ sunt hominibus, vt docet *Galenus l. 9. Meth. med.* quòd ipsarum conseruandarum gratia curatio instituatur.

D. Quid indicant vires?

C. Vires sui custodiam semper indicant, *eodem authore.*

D. Quid indicant affectus præter naturã?

C. Omnis præter naturam affectus, sui amotionem indicat, vt testatur *Galenus l. 9. Meth. med.*

D. Quotuplex est indicatio ab affectibus præter naturam?

Ab affectibus præter naturam. C. Triplex, prima à causa morbi sumpta, secunda à morbo, postrema à symptomatis.

D. *Cur in morbi curatione indicatio à causa præmittitur?*

A causa morbifica. C. Quia causa Persistente, manet affectus, nec penitùs euelli potest. Itáque in omnibus omninò morbis,

in quibus effectrix causa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est, authore *Gal. c. 4. l. 4. Meth.*

D. Cur indicatio à morbo statuitur, cùm, sublatâ continente causâ, protinus soluatur morbus?

C. Respondeo vt plurimùm continentem causam non adesse, sed antecedentem dumtaxat, quâ sublatâ morbus sui amotionem indicat. Amorbo.

D. Cur indicatio à symptomatis vltima?

C. Quia symptomatis nullius curatio primùm fit, sed perpetuò affectus symptoma ipsum facientis, vt afferit *Galenus com. 2. in 6. Epid.* A symptomatis.

D. Ergo nulla sumitur à symptomate indicatio? Obiectio.

C. Sumitur quidem, non quatenus symptoma est; sed quòd rationem habeat causæ nonnunquam vires imminuentis, vel morbum augentis. Solutio.

D. Quotuplex indicatio à morbi causa?

C. Morbi, qui adhuc fit, curandi indicatio duplex; prima ab antecedente, altera à continente eius causa; quia morbi, qui adhuc in generatione est; quòd quidem gigneretur, generari est Quotuplex indicatio à causa morbi.

prohibendum; quòd verò genitum, iam est curandum.

Prohibebitur autem augeri sublatâ antecedente causâ; factus verò morbus curabitur, solutâ cõtinente morbi causâ, authore *Galeno, in arte Medica*.

Duplex item curandi scopus in morbo à fluxione nato, primus in humore ad partem affectam etiamnum influente sistendo, alter in humore parti laboranti influxo vacuando, vt testatur *Hippocrates lib. de Locis*.

Quicúmque morbi à fluxionibus fiunt: primùm fluxiones sedare oportet; deinde id, quod influxit, educere.

D. Quotuplex indicatio à morbo?

Quotuplex indicatio à morbo.

C. A simplici morbo simplex indicatio, sed à composito multiplex.

D. Quænam in composito morbo præmittenda indicatio?

Quæ in cõposito morbo præmittenda indicatio.

C. In connexo morbo præmittenda indicatio illius, qui alterius curationem prohibet. Vt si cum vlcere coniuncta sit phlegmone, hæc priùs curanda, quàm illud ad cicatricem perduci possit, vt *Galenus l. 7. meth. med.* prodidit.

At vbi vnius indicatio, cum alterius indicatione pugnat; miscenda est, adhibendáque curatio, quæ neutri affectui officiat, sed vtríque quodammodo prosit, *eodem authore*. Sic ventriculum frigidiorẽ & iecur calidius temperata iuuant, quæque ex calidis frigidísque constant; & modò horum, modò illorum vsus alternatus.

Vrgentior tamen indicatio vbique præferenda. Affectus enim vnde primùm maximéque imminet homini periculum, hic primus curari debebit, vt præcipit *Gal. l. 3. meth. med.*

D. Quid est coindicatio.

C. Quæ vnà cum principe indicante, id quod agendum est insinuat. Quid coindicatio.

D. Vnde sumuntur coindicationes?

C. Ab ægrotantis temperie, ætate, consuetudine, anni tempore, cæli statu, affecta parte, & aliis id genus. Sic ægrotantis tẽperies cum ipso morbo contrarietatis mensuram indicat. Vnde sumuntur coindicationes.

D. Quid est contraindicatio?

C. Quæ impedit ne id fiat quod primò indicatur. Sic plethora euacuationem indicat, sed imbecilliores vires eam prohibent. Quid cõtraindicatio.

DE REMEDIIS.

D. *Ab indicationibus, ad remedia transeamus.*

Quid est remedium?

quid remedium. C. Quod corporis affectum præter naturam depellit.

D. *Quæ sunt in remediorum administratione consideranda?*

quæ in remediorum vsu animaduertenda. C. Qualitas, quantitas, vtendi modus & tempus.

D. *Quale remedium esse debet?*

Quale remedium esse debet. C. Morbo contrarium. Remedium si quidem est, quod morbum depellit: quicquid autem morbum depellit, id illi vim infert: quod vim infert, contrarium est. Quocirca remedium morbo contrarium esse necesse est.

Obiectio. D. *At morbi nonnulli similibus depelluntur remediis; vt febris calido cathartico, & dysenteria medicamento aluum soluente. Ergo non omnis morbus contrariis profligatur remediis.*

Solutio. C. Respondeo, eiusmodi omnia morbo licet similia sint, eius tamen causæ primùm ac per se aduersari, morbo autem ex accidenti. Sic rhabarbarum, quamuis calidum, febrem curat; dum ipsius materiam expur-

gat, & dyſenteriam purgatio leuat, noxiâ materiâ eius efficiente cauſa detractâ.

D. *Quomodo remedij quantitas definienda eſt?*

C. Cuiuſq; remedij quantitas ex laborantis natura, ac morbi magnitudine ſimul metienda eſt, teſte *Galeno c. 15. l. 9. meth. med.* ſed limitatiùs definitur affectæ partis indicationibus.

Vt remedii quantitas definienda ex ægrotantis natura, & morbi magnitudine.

D. Ad remedij quantitatem rectè deſignandam, nemini dubium, quin morbi magnitudo ſit perpendenda; vt conſtet quàm validum remedium, quo gradu receſſus, quo pondere, quoties & quoúſque ſit decernendum, ſed cur ægrotantis naturam adiungis?

C. Quia morbi magnitudinem non modò ſymptomatum vis atque impetus, verumetiam à priſtino habitu receſſus indicat. Hic autem ex laborantis natura deprehenditur. Naturæ nomine temperiem intelligo, & ætatem, & inſitam corporis conſtitutionem, & conſuetudinem. Id propoſitis à Fernelio exẽplis clariùs percipietur. Cognitus ſit Dion ante morbum calido ſiccóque temperamento, Theon

verò frigido atque humido, ambos peræquè adoriatur febris ephemera: Theoni, qui à pristino habitu longiùs recessit, frigidiora remedia, quàm Dioni decernenda sunt. Grauiùs quippe & periculosiùs, ex Hippocratis sententia, laborat; quòd ipsius naturæ, ætati atque consuetudini, minus consentaneus sit morbus. Eadem ratione senex, qui iuxta ac iuuenis tactus iudicio febricitet, frigidiora tamen quàm iuuenis exposcet auxilia, licet ad ea sensim veniendum esse hortetur virium imbecillitas. Similiter cùm pituitosum atque biliosum par causus inuadit, biliosus cognato morbo minùs periclitatur, huicque leuiora medicamenta, tum bilem purgantia, tum refrigerantia, quàm pituitoso congruunt. Quia ψυχροπότῃ febricitanti largior frigidæ potio, quàm vini meracioris vsui assueto, porrigenda. Si quidem aduersus omnem affectum præter naturam, adhibendum eò vsque contrarium est remedium; dum in naturalem, aut certè pristinum habitum, factus sit regressus.

D. Cur remedij quantitatẽ affectæ partis indicationibus limitatiùs definiri asseris?

C. Quia remedij quantitas, quam morbi magnitudo præscripserit, etiã pro partis affectæ cõditione augenda, minuendáve est. Non enim omni æquè parti eadem congruere potest. Vt limitatiùs definiatur remedii quãtitas, partium indicationibus.

D. *Vnde partis conditio æstimatur?*

C. Ex ipsius conformatione, situ, pręstantia, atque sensu.

D. *Quid in singulis animaduertendum?*

C. In conformatione considerandum quàm rara sit aut densa.

In situ sítne in summo ea corpore cõstituta, an in alto demersa, quàm lõgè absit, vel ab ore, vel ab eo loco, cui remedium imponitur.

In pręstantia spectandum, pársne sit ex earum numero quæ principes appellantur, & corpus vniuersum gubernant, cuiusmodi sunt cerebrũ, cor & iecur; ánne munus publicum habeat & toti corpori commune, vt pulmo, vt ventriculus, intestina, renes & vesica, & quæ his subseruiunt, nerui, arterię, & venæ: aut an priuata sit, sibi dumtaxat, non aliis vtilis.

In sensu videndum, hebésne is

sit, an acutus.

D. *Quomodo horum animaduersione, remedij quantitas est immutanda?*

Pars densa & cōpacta, remedia exposcit validiora & attenuātia magis, quorū vis intrò subire possit, cuiusmodi sūt renes & iecur; quę verò substātia est rariore, vt liē, pulmo & musculorū caro, mitiora postulat. Affectus in corporis summo positus, pari quodammodo remedio abigi potest: qui verò in alto corpore demersus latet, valentiùs & attenuantiùs flagitat. Validiora quippe inflammato iecori, quàm inflammato abdomini, extrinsecus imponuntur. Et ex assumptis, vehementiora renibus, quàm ventriculo debentur, quandoquidem in ventriculum illabuntur ea viribus integris: ad renes verò hebetiora & imbecilliora reddita, neque qualia assumpta sunt, perueniunt. Longior quippè via est per viscera partésque multas directa, in quibus remedia aliis permiscentur humoribus, nec leuem mutationem subeunt. Prętantia idcirco mitiora exposcit remedia, ne vehementiorum appulsu & conta-

Vt remedii quantitas immutanda, ratione Conformationis, Situs.

Præstantiæ.

gione facultas aut offendatur aut dissipetur ad vitę conuersationem necessaria. Priuata verò pars & ignobilis vehementiora perfert, & quanta exposcit morbi magnitudo. Principi parti laboranti nullum adferendum est remedium, quod immodicè vel relaxet, vel refrigeret, sed id semper quadã corroborãdi facultate polleat.

Ob sentiendi præstantiam neque oculus, neque os ventriculi vehementia acriáque medicamenta: hebetioris verò sensus partes & valida & acria medicamenta nullo incommodo ferre possunt. Sensus.

D. *Profligando morbo contrarium conuenire remedium patet: sed vtrum perpetuò id morbo par esse debeat, nondum constat.*

C. Profectò si tribus numeris corpus incaluit, quicquid tribus quoque numeris frigidum, paribus viribus ei conuenienter adiungetur. Id si quidem euidenter immutabit, paritérque tãtumdem ab eo vicissim immutabitur, dum mutua amborum pugna mediocritas quædam emergat. At si infirmius fuerit, morbi curationem Cur morbus pari contrario profligandus.

imperfectam relinquet: sin autem validius, contrarium morbi genus inducet.

Et quomodo.

D. *Hac de remedij qualitate & quantitate: utendi modum & tempus persequamur. Num id semel & vniuersim, ac paulatim sit adhibendum, explices velim?*

Qui semel ac vniuersim pari contrario morbus eximendus.

C. Leuior affectus pari contrario semel vniuersimque summoueri potest: quandoquidem nullam id corpori viribusque insignem vim infert.

Extremo quoque morbo extremum diligentissimè remedium, authore Hippocrate, est adhibendum. Vbi etiam materia turget, ne principem aliquam partem obruat, statim initio valentissimum medicamētum adferendum est.

Qui lentè ac paulatim.

Mediocris autem affectus, quoniā nec præceps est, nec periculosus, lentè paulatímque tutiùs eximitur; quia (vt monet *Hippocrates 2. aphorismorum.*) vniuersim & repentè vacuare, vel replere; vel calfacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere, periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum; paulatim verò quod fit, tutum. Cùm

enim lentè paulatímque curatio instituitur; vtrique tum morbo, tum naturæ consulitur. Morbus quippè abigitur, naturâ quàm minimùm fieri potest, offensa.

D. *Quomodo lentè paulatímque fit curatio?*

D. Bifariam, vel contrariis paribus exigua quantitate adhibitis, vel contrariis blandis, & quæ inferiore sint recessus ordine, identidem sæpiúsque repetitis.

Quibus modis lentè curatio fiat.

D. Opportunum remedij tempus est, quod morbi temporibus accommodatur; quæ in curatione tanti sunt momenti, vt si Fernelio credamus, sine clauo & remis nauiget, naufragium tandem facturus, qui nulla temporum obseruatione medicinam facit. Sed quo morbi tempore artis præsidium videtur opportunius?

C. In principio morbi opportuniorem esse remediorum vsum summus dictator promulgauit his verbis: ἀρχομένων τῶν νόσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν κίνει ἀκμαζουσῶν δ', ἡσυχίην, ἔχειν βέλτιόν, ἐστι· Cùm morbi inchoant, siquid mouédum videtur, moue: cùm verò consistunt, meliùs est quietem habere.

Quo morbi tempore remedia ex vsu sint.

D. *Cur in principio potiùs, quàm in vigore morbi, exhibenda remedia sunt?*

C. Causa statuitur, prima ab ipso Hippocrate expressa est; quòd circa initia & fines omnia imbecilliora; circa statum verò, fortiora sint symptomata. Altera verò, à Galeno, quòd in vigore natura humori morbifico concoquendo, & morbo profligando prorsus intenta, nullis remediis ab instituto auocanda sit.

DE VICTVS RATIONE.

D. *Quod summatim comprehensum est, nunc particulatim discutiendum, & in vnoquóque remedij genere accuratiùs versandũ. Quot sunt remediorum genera?*

C. Tria: diæta, chirurgia, & pharmacia.

D. *Quid diætæ nomine intelligitur?*

Quot remediorũ genera.

C. Victus ratio corpori alendo idonea.

D. *Qualis instituenda ægrotanti diæta?*

Quid diæta.

C. Diætæ qualitas ex morbi specie & laborantis natura indicatur. Diæta morbo contraria, calido frigida, frigido calida, sicco humida, humido sicca; atque corpori naturâ ca-

lidiori, vel frigidiori, ficciori, vel humidiori, siue id ratione ætatis, siue consuetudine fiat, familiaris instituēda. Vnde & ægrotanti, quàm fieri potest, gratissima esse debet; quia ex Hippocrate, parum deterior potus & cibus, suauior autem; melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus, *Aphor.* 38. *l.* 2. & à consueta quàm minimè remota, quia *eodem authore*, Quæ longo tempore consueta sunt, etiamsi deteriora sunt, minùs ijs, quæ insueta sunt, molestare consueuerunt. *Aphor.* 50. *l.* 2. Qualis victus ratio instituēda.

D. *Quæ victus quantitas decernenda?*

C. Victus quantitas ex morbi temporibus & corporis natura præscribitur. Victus tenuis in principio morbi acuti est exhibendus, in incremento tenuior, in statu tenuissimus, præcepto Hippocratis. Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum. *Aphor.* 8. *l.* 1. Cùm enim sæuissima symptomata vigent, & natura in morbi coctionem tota incumbit, aliò auertenda non est, neque plenioris cibi concoctione distrahenda. Et quò breuior Quæ victus quātitas præscribēda.

futur⁹ est morbus, hoc victus tenuior, pro cuiúsque temporis conditione, imperandus, *lege Hippoc.* Vbi morbus peracutus est, extremè tenuissimo victu vtendum est. *Aph.* 7. Et quibus statim morbus consistit, ijs statim tenuis victus adhibendus est.

Quò verò longior, eò minùs tenuis, quòd ὁκόσοισιν ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἔμπροσθεν πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς αἰ ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων, quibus posteriùs debet consistere, priùs vberior diæta requiratur, vt æger sufficiat. *Aph.* 10. Pro corporis etiam natura magis vel minùs calida, siue id ratione ætatis, siue ex anni tempore contingat, plenior vel tenuior victus ratio instituenda. Pueris quippè plenior, senibus verò tenuior, medias ætates degentibus moderatus victus congruit, quia ex Hipp. Qui crescunt, plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur.

Senibus verò parum calidi innati inest, propterea paucis succendiculis egent, à multis enim extinguitur. *Aph.* 14. *l.* 1.

Hinc, senes facillimè ieiunium fe-

tunt, ſecundo loco qui ætatem ſubſiſtentem habent, minùs adoleſcentes, omnium minimè pueri. *Aph.* 13. *l.* 1.

Plenior item victus hyeme & vere conuenit; quia, eodem authore, ventres hyeme & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi. Quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt. *Aph.* 15. *l.* 1.

Cùm verò naturales corporis vires vitioſorum humorum copia grauantur, tenuior victus eſſe debet; quia impura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes. *Aph.* 10. *l.* 2.

D. Quis viuendi modus ſeruandus?

C. Cùm ex anni tempore, tum ex corporis habitu innoteſcit. Parciùs ſiquidem, ſed frequentiùs æſtate & autumno; largiùs autem, ſed rariùs, hyeme & vere cibandum eſt, ex *Gal.* propterea quòd æſtate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, ſecundum locum ver habet. *Aph.* 18. *l.* 1. Qui viuẽdi modus.

Adhæc: Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lentè reficere

oportet; quæ verò breui, breuiter. *Aph.* 7. *l.* 2.

D. Quando victus ægrotanti tempestiuus?

Quando victus tempestiuus. C. Cùm morbus remittit vel intermittit. In accessionibus (*inquit Hippocr.*) abstinere oportet: Nam cibum dare noxium, tum quòd excandescenti morbo natura obsistens noua cibi coctione auocanda non sit, tum quòd in ipsa febris excandescentia, tetro vapore corpus vniuersum perfundatur, eóque recens sumptus cibus labefactetur, & maxima ex parte corrumpatur.

DE VENÆ SECTIONE.

D. Quid chirurgiæ nomine intelligitur?

Cur chirurgiæ nomine phlebotomia intelligatur. C. Etsi chirurgiæ nomine quælibet manus operatio significatur, vna tamen venæ sectio κατ' ἐξοχήν, plerúmque intelligitur; quia venę sectio commune auxilium est eorum, qui ex plenitudine fiunt, morborum, authore *Galeno in Aphor.* 47. *lib.* 6. Nam euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem, eodem teste *in Aph.* 17. *lib.* 2.

D. Putásne phlebotomiam in morbis duntaxat plethoricis ad vacuandum habere locum?

C. Phlebotomia non morbis tãtùm plethoricis ad vacuandum, ſed φλεγμοναῖς, cæteriſque morbis à fluxione excitatis, ad reuellendum & deriuandum adminiſtranda. Siquidem vtilis eſt, cùm vehementiorem humorum impetum, ad contrarium reuellere, vel ad propinqua deriuare volumus. *Ex Gal. lib. 9. meth. med.* Itaque humorum, qui aut peccant in venis, aut ex his affatim defluunt, proprium accommodatúmque remedium eſt venæ ſectio. Illos quippè euacuat, hos verò reuellit vel deriuat. Vnde morbos, quos, vel sãguinis vbertas, vel eruptio progenuit, præſentes quidem ſanat, impendentes arcet. Nec modò per ſe morbis curandis phlebotomia confert, vacuando, aut reuellendo, vel deriuando: ſed etiam ex accidenti, tum refrigerando, cùm calidiorem ſanguinem educit: tum obſtructiones expediendo, dum ſanguinis plenitudinem venas obſtruentem tollit.

Phlebotomiæ vſus quotuplex.

D. Quo diſcrimine reuulſionem & de-

rinationem à vacuatione seiungis?

Qui differant vacuatio, reuulsio, deriuatio.

C. Vacuatio propriè dicitur humorum citra motum vllum aut exagitationem in venis peccantium. Reuulsio humorum, qui ex quauis sede in partem aliquam impetu feruntur & influunt: Deriuatio verò eorum qui partem obsident, ipsi quodammodo iam impacti. Vnde reuulsio definitur illabentis humoris in contrarium tractus; deriuatio verò humoris illapsi tractus in vicinum latus.

D. Quæ ad sanguinis plenitudinem vacuandam secanda vena?

Quæ secanda vena ad plenitudinis vacuationem.

C. Plenitudo pura vt & biliosa ex interiore cubiti dextri vena commodissimè detrahitur: melancholica ex interiore sinistri cubiti vena. Quæ verò ex crudorum colluuie suborta fuerit, ex vtrocúmque cubito peræquè demi potest.

D. *Quæ ad reuulsionem?*

Ad reuulsionē.

C. Sanguis, vel quiuis humor cum sanguine per venas confertim in quáuis corporis partem supra claues positam irruens, reuelli debet, secta è regione cephalica cubiti vena. Influens autem è venis maioribus in aliquam

earum partium, quæ inter claues & renes sitę sunt, reuellitur sectâ è regione basilicâ cubiti venâ. Qui autem in eas partes decumbit, quæ inter renes & femora interiacent, sistitur, si quidem plethoricum corpus est; primùm sectione interioris venæ, deinde saphenæ, idque è directo sedis affectæ. At si minimè plethoricum corpus est, vna saphena aperta, satis reuellit.

D. Quæ ad deriuationem?

C. Deriuatio fit aperta ea vena quæ in affectam partem inseritur, per quā hæc modò alimentum capessit, modò noxium humorem influentem excipit. Quocircà cū iniecto scalpello illa vena præciditur, pars multitudine defessa illac onus suum deponit. Ad deriuationē.

D. Quæ sanguinis quantitas detrahenda?

C. Tantum sanguinis detrahendū, quantum morbi magnitudo postulat, ac vires sustinere possunt. Hinc constantibus viribus sanguinem ἄχει λειποθυμίας ἄγειν, vsque ad animi deliquiū ducere præcipit post Hippocratem Galenus, & in ardentissimis febribus, & in maximis inflammationibus, & Quæ sanguinis quantitas demenda.

in vehementissimis doloribus, vt affectus magnitudini vsquequáque respõdeat vacuationis quantitas. Æqua siquidé & perfecta vacuationis quãtitas est, quæ citra insignem virium offensionem totam morbi materiam adimit. Hoc autem morbi viriúmque inter se exquisita collatio commonstrat.

D. *Vnde morbi magnitudo æstimanda?*

Vnde morbi magnitudo æstimanda.

C. Morbus magnus dicitur aut ex se, nempe è sua essentia & sede, aut ex sua continente causa, aut ex symptomatum sæuitia. Si praua quædã morbi species, velut inflammatio, principem aliquam partem obsideat, sítque morbificus humor putridus & venenatus, adeò vt grauia inde excitentur symptomata, magnus profectò morbus est, cui magna congruit sanguinis euacuatio. At si simplex intemperies partem aliquam ignobilem occupet, nec sit malignus humor morbificus, leuiáque symptomata inuehat, minor habendus est morbus, & qui parcioris indiget euacuationis.

D. *Vnde vires æstimandæ?*

Vnde vires æstimandæ.

C. Valentes & imbecillæ vires ex

functionibus internoſcendę ſunt. Vis naturalis ex vrinarum & excrementorum alui cruditate: vitalis, ex pulſu paruo, obſcuro & languido, & ex reſpiratione parua, difficili atq; crebra: animalis, ex ſenſuum motúſque læſione, debilis animaduertitur: vt ex functionum naturaliũ, vitalium & animalium integritate, triplex facultas robuſta deprehenditur.

D. *Maximi refert languidas vires ab oppreſsis internoſcere. Hæ ſiquidem largã, illæ nullam vacuationem ferunt. Unde earum diſtinctio petenda?*

C. Ex cauſis euidentibus. Si enim externæ cauſæ prægreſſæ ſunt, quæ virium ſubſtantiam vel mutant, vel diſſipant, eas verè languidas eſſe conſtat; ſin nullæ eiuſmodi deprehenſæ ſunt, & aliæ interiores & abſtruſæ cauſę vrgent ſuo pondere, cuius generis ſunt obſtructio, & immoderata humorum copia, oppreſſas duntaxat eſſe conijcimus. Qui languidas vires ab oppreſſis dignoſcere liceat.

D. *Eſtne ad vacuandi ſanguinis quãtitatem definiendam, morbi viriúmque magnitudo duntaxat animaduertenda?*

C. Mittendi ſanguinis quantitatem Animaduerſiones in ſanguine mittẽdo.

ex morbi magnitudine atque virium robore perceptam exquisitiùs atque perfectiùs euidentium causarum obseruatio prescribit, ex quibus tres numerantur interiores, temperamentum, habitus & ætas, ac totidem externæ, ambientis constitutio, spontanea vacuatio, & consuetudo victus.

D. *Cur in sanguine mittendo obseruandum temperamentum?*

Cur in sanguine mittendo obseruetur temperamentum.

C. Quia calidum humidúmq; temperamentum in propria solidarum partiũ substantia situm, vi insiti caloris assiduo plurimùm dissipatur, nec ideò peræquè copiosam fert vacuationem, atque frigidum & siccum. Quodcúmque verò corpus inde humidum dicitur, quòd multo humore abundet in venis recondito, id facillimè vacuationem tolerat.

D. *Cur corporis habitus spectandus?*

Habitus.

C. Quia corporis habitus extenuatus, mollis & rarus, tum imbecillus, tum multæ dissolutioni obnoxius; contrà verò, carnosus, firmus atque densus, pauca sinit è corpore dissipari. Qui autem prepinguis & obesus exi-

ſtit, quamquam minimum diſpergitur, difficilè tamen venę ſectionem idcirco ſuſtinet, quòd exilibus ſit venis, quas exinanitas pinguedo facile ſtringit deprimítque; vt inde metus ſit, ne natiuus calor extinguatur. Quibus etiam amplæ & turgidę venę ſpectantur, tolerabilior eſt euacuatio, quàm quibus anguſtæ. Et quod ad humorum naturam attinet, tenues & calidi celerrimè diſſipãtur ac diffluũt; craſſi verò ac frigidi, diutiùs hærent.

D. *Cur ætas conſideranda?*

C. Quia nec in ætate decrepita, quę effœtis eſt viribus, tutò vena pertundi- tur; nec in ætate puerili, quæ corpus calidum & humidum obtinet, molle, tenerum ac patens, quod ſponte ſua aſſiduò digeritur ac defluit, ſed in ętatibus intermediis, quæ firmis viribus & corpore bene conſtituto tenentur, audacter mittitur ſanguis. *Ætas.*

D. *Cur ambientis conſtitutio animaduertenda?*

C. Ambientis conſtitutio ex regione, anni tempore, & cœli ſtatu proficiſcitur. At regio feruens & arida multum innati calidi, viriúmque, *Regio.*

necnon & multum peccantis humoris è corpore haurit. In ea proinde parcior sanguinis missio esse debet. Regio frigidior ac humidior innatum calidum, humorésque, intus coërcet, horúmque minimum dissoluit, quocirca sanguis abundantiùs profundi potest.

Anni tẽpus. In anni temporibus ver temperatum, succi viriúmque abundans, sanguinem largiùs fundi permittit. Post ver autumnus, deinde hyems, omniũ minimũ æstas. Cæli status. Cęli status qui calidior vel frigidior obtigerit, vt Austrina vel Aquilonia tempestate, parciùs: largiùs autem quicumque clemẽtior nulli ingenti tempestatũ vi iactabitur, sanguinem mittendum esse suadet.

D. Quid de vacuatione, quæ fortè tum erumpit, cùm venam secare proponimus, statuis?

Spontanea vacuatio. C. Spontanea vacuatio materiæ morbi nihil detrahens, artificiosam non excludit. Quod igitur morbus exposcit, protinus vacuandum. In vehementi tamen pleuritide, quo tempore fortè fortuna erumpet sudor, aut vomitio, aut aluus, sanguis mitti

non debet: at sedata eruptione, paulúmque recreatis viribus, incidenda vena est. Symptomatica enim cùm sit illa vacuatio, neque morbi substãtiam detrahit, neque vicaria esse potest phlebotomiæ. Spontanea autem vacuatio, quæ morbi substantiam demit, si iam ægrotum leuet, posśitque, quantum requiritur, vacuare, prorsus est naturæ committenda. Sin minùs id possit, tantùm detrahemus, quantum expedit ad perficiendum quod postulamus. Itaque in pleuritide, omníque febre continua, si sanguis abundantiùs ex vtero, ex hæmorrhoïde, vel è naribus dimanet, iustáque sit vacuationis quantitas ex qua æger satis leuetur, vena nequaquam secanda: sin verò parciùs aut languidiùs ex his locis profluit, morbúsque interim vehementer vrget; quod deficit, venę sectione supplendum.

D. *Quamobrem consuetudo inter quantitatis obseruationes habenda?*

C. Consuetudo viuendi accuratè perpendẽda; quia si prospicim' ægrotum tenuiter diu victurum, vel quia potionis & cibi languet appetentia, Consuetudo.

vel quia morbus deuorare non finit, vt in angina fauces præcludente, parciùs euacuandum monemur, quàm si pleniùs is viuat. Tum enim sanguinis nonnihil retinendum asseruandúmque est, vt post vacuationem vires alia deinceps adhibenda remedia ferre, & morbi longitudini atque indicationi sustinendæ satis esse queant. Siquidem non præsentium dumtaxat, verumetiam futurarum virium habenda ratio. Nec vacuationis consuetudo negligenda. Qui enim venæ sectionē iam est expertus, modò vires crebra vacuatione nondum sint læsæ, alacriùs eam perfert, quàm inexpertus.

D. Quis effundendi sanguinis modus?

Quomodo mittendus sanguis.

C. Cùm semel & vniuersè facta vacuatio citra periculū adhiberi nō potest, quod vitiosè se habet, paulatim vacuare expedit, & minutatim salubre quidpiam pro eo reponere: at primū, quātum vires ferant, detrahere; deinde quod defuit iteratione supplere: idque vel bis, vel ter, vel nonnunquam sæpiùs. Ea curatio Græcis est ἐπικρασις.

D. Quando mittendus sanguis?

C. Cùm opportuna temporis occasio aderit, ac idonea corporis præparatio adhibita fuerit. Et quando.

D. Quod corpori per venæ sectionem vacuando, tempus videtur aptius?

C. Duplex tempus animaduertendum: anni vnum, morbi alterum: illud ad præcautionem, hoc ad curationem. In muliere insuper prægnationis tempus ad vtrúmque finem peculiariter obseruandum.

D. Quo anni tempore ad morbi præcautionem pertundenda vena?

C. Verno potissimum, lege *Hippocratis*, quibus venæ sectio prodest, his vere secanda vena. *Aph.* 47. *l.* 6. quia tum nec æstus viget, qui corporis dissolutionem faciat, nec frigus humorum concretionem afferens, nec inæqualitas vires perturbans, sed potiùs bona temperies, *inquit Philotheus.* Quo anni tẽpore, administranda phlebotomia.

D. Quo morbi tempore mittendus sanguis?

C. In morbis à plenitudine vel fluxione ortis, mittendus in principio sanguis, vt illa maturè dematur, hæc Quo morbi tempore.

auertatur, dum vires firmæ sunt atque constantes.

Est & administranda ipso protinus initio phlebotomia in febribus ardentibus, antequàm vehementior putredo inualescat, ac sæuiora euadant symptomata, & interioribus inflammationibus: vt qui in partem confluxerat humor, nondum obhærens profluentis sanguinis cursum sequatur.

D. Quo die aperienda vena?

Quò die. C. In morbis qui circuitibus affligunt, intermissionis vel remissionis die, administranda erit phlebotomia, ne vllum naturæ negotium facessat. In aliis morbis qui nimiū præcipites sunt, vt apoplexia & angina, nullus dierum delectus est habendus.

D. Quâ horâ detrahendus sanguis?

Qua hora. C. In quibus morbis vel præcautionis vel curationis gratia potestas datur sanguini mittendo horam deligere, conuenientior erit matutina, quàm pomeridiana. Nam à Solis exortu sanguis suscitatur, viget atque dominatur, ipsóque diei lumine tenuis fit, serenus & ad fluẽdum aptior, maximè secundâ tertiáue horâ.

D. Quo prægnationis tempore mulieri grauidæ tutiùs administratur phlebotomia?

C. Si Hippocrati credamus, phlebotomia mulieri non conuenit, quando gerit vtero; quia γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, mulier in vtero gestans sectâ venâ abortit: Sed quotidiana experientia id perpetuum non esse ostendit. Profectò si ipse mulieri grauidæ, morbo ex cacochymia tentatę, purgationem decernit à quarto mense ad septimũ; nos multò tutiùs prægnanti tunc sanguinem mittemus ad aliquem plenitudinis morbum præsentem curandum, vel impendentem arcendum. Quòd si media gestationi liceat, longè totius initio factu fas est; quòd sanguis magis redundet, & fœtus minore egeat alimento. Hoc tempore si sæpè natura illius superuacui effusionem vtiliter aggreditur per nares, per hæmorrhoïdas, aut per vterum; cur non similiter nobis liceat, premente necessitate naturam arte imitari? cùm multas videamus, quibus non est reserata circiter quartum mensem vena, abortum facere, quia

Quo prægnationis tempore mulieri grauidæ secanda vena.

fœtus sanguinis copia obruitur. Quin & citra plethoram, cùm pleuritis, aliáue inflammatio vehemẽtiùs vrget, prægnanti vena in cubito videtur cædenda. Inferiores enim prægnantium venas incidere minimè tutum, quòd impetu deorsum conuerso mẽses procedant, fœtúsque præcipitetur. Octauo nono mense, rarò citra abortum sanguis emittitur, nisi quid vrgeat.

D. *Quæ ad venæ sectionem, corporis præparatio adhibenda?*

Quæ ante venæ sectionem præparatio adhibenda.

C. Prima corporis regio si impura fuerit, priùs expurganda. Si astrictior aluus sit, excrementa clystere balano prolicienda, ne exhaustæ venæ sordidam eorum colluuiem exugent. Si vitiosus humor in vicinis partibus exputet, ne eius corruptela in locum vacuandi sanguinis raptim traijciatur, differenda venæ sectio, dum sit blando subductus cathartico, cuius vis vniuersam corporis molem neutiquam exagitet. Si quæ sit ciborum cruditas, tantum moræ in vena pertundenda interponi debet, quantum satis est ad crudorum concoctionem.

D. Estne

D. *Estne perpetuò venæ sectioni præmittenda præparatio?*

C. Adeò immanis & importunus nonnunquam morbus est, vt nulla præparatione, nulláque cunctatione festinare cogat. Sic in vehemẽtissima pleuritide, & in ardentissima febre: imminẽtis periculi euentus magis reformidandus est, quàm noxa ex non præparato corpore. An perpetuò venæ sectioni præmittenda præparatio.

DE MEDICAMENTO.

D. *De vltimo remediorum genere nobis agendum restat, quod Græcis φάρμακον, Latinis medicamentum dicitur. Quid pharmaci nomine intelligis?*

C. Quidquid præter diætam & chirurgiam, ad corporis affectum præter naturam summouendum, adhibetur. Quid medicamentum.

Vnde medicamentum veneno prorsus aduersum, quod naturalem corporis cõstitutionem omninò destruit; & alimento quod corporis substantiæ quodammodo simile, in eam tandem facessit atque conuertitur.

D. *Quotuplicia sunt medicamenta?*

C. Duplicia. Alia enim κενωτικά, euacuantia; alia duntaxat ἀλλοιωτικά, alterantia. Illa causæ morbificæ Quotuplicia medicamenta.

detrahendæ, hæc morbo propellendo dicata.

D. Quænam euacuantia sunt?

Quæ euacuantia.

C. Purgantia, quæ totius substantię similitudine vitiosum humorem sibi peculiarem è toto corpore trahunt, attractúmque deiectione vel vomitione excludunt: Illa propriè καθαρτικὰ, hæc ἐμετικὰ, dicuntur. Diuretica & diaphoretica, quæ vrinas & sudores mouent, quæque menses cient; quoniam non attrahendo, sed vel detergendo vel extenuando atque penetrando excrementa educũt; quodammodo euacuantia, non tamen purgantia ritè dici possunt. At alexiteria, quæ venenum proliciunt, amoliuntúrque similitudine, iure inter euacuantia connumerantur, nec ideò cathartica nuncupari debent.

D. Qualia causæ morbificæ cathartica sunt adhibenda?

Qualia cacochymiæ cathartica conueniant.

C. Cholagoga biliosæ, melanogoga melancholicæ, ac phlegmagoga pituitosæ cacochymiæ purgãdæ conueniunt; quia cacochymia curatur purgatione, quæ cuique humori redundãti sit accommoda, authore *Gal.*

c. 6. l. 16. Meth. med.

D. Quænam alterantia sunt?

C. Quæ qualitatis contrarietate morbum depellunt.

D. Qualia alterãtia morbo adhibenda?

C. Frigida calido, calida frigido, sicca humido, humida sicco decernenda morbo. Siquidem calida intemperies refrigeranda est, frigida verò calfacienda: similiter humida siccanda, & sicca humectanda, *eodem authore, c. 10. l. 7. Med. med.* Quæ alterantia. Qualia morbo sint adhibenda.

Nec modò quæ primis, sed & quæ secundis facultatibus agunt alterantia affectui contraria congruunt. Sic obstructioni aperiẽtia, dilatationi astringentia, duritiei emollientia, laxitati corroborantia, ritè adhibentur.

D. *Quàm valida censes exhibenda esse medicamenta?*

C. Lege Hippocratis, leuibus quidem morbis medicamenta natura leuia, vehementioribus verò valentiora sunt exhibenda, *Aph. de loc.* Quàm valida esse medicamenta debeant.

Præter morbi magnitudinem, noxii humoris situs quàm valida cathartica sint eligenda indicat. Mitiora è prima corporis regione, mediocria è vasis

maioribus, valentiora è corporis habitu euocant. Expedita quippe facilísque purgatio est è ventriculo & ex intestinis, difficilior è venis mesenterii, deinde è iecore & ex liene, multò difficilior è venis maioribus, atque etiam è minoribus; omnium verò difficillima ex ipsa partium substantia, quę ad summam cutem atque articulos accedunt. Quò enim pars quæque distátior & minus venis conspersa, eò difficiliùs purganti medicamento cedit.

D. Quàm validum deligi oporteat catharticum ostendisti, sed qua id quantitate offerri debeat, nondum expressisti.

Vt medicamenti quantitas definienda sit.

C. Sua est & definita cuiúsque cathartici quantitas, qua id conuenientem purgationis modum pręstare solet, sed ea pro purgandi facilitate, difficultatéve augenda, vel minuenda videtur.

D. Quibus notis deprehenditur purgandi facilitas ac difficultas?

Corporis conditio.

C. Quando facilis vel difficilis sit futura purgatio, corporis, humoris, atque cæli status ostendit.

D. Quid corporis statu intelligitur?

C. Temperamentum, habitus, con-

ſtitutio, ætas & conſuetudo.

D. Quare corporis conditio ad pharmaci quantitatem decernendam animaduertenda?

C. Quia è ſicco exſuccóque corpore atque maciléto pauca detrahi poſſunt: multa ex humido, & ex habitu euſarco. Ac firmum densúmque corpus, cuius viſcera & venæ naturâ anguſtæ obſtruuntur facile, ſuperuacua retinet, nec facilè elabi ſinit: molle verò, rarum ac laxum, quale mulierum eſt, patentius eſt, per quod concitati tractíque humores facilè decurrant. Robuſti etiam & laboribus aſſueti leuiuſcula aſpernantur medicamenta, quemadmodum & quibus ſenſus eſt hebetior: contrà incitantur facilè qui exquiſitiore ſunt ſenſu, & qui vel naturâ vel morbo, vel viuendi ratione, delicatiores euaſerunt. Pueri quoque & ſenes benigniora, non vt ætates mediæ valentiora ferunt medicamenta. Crebris item vacuationibus aſſueti, pharmaco minùs laceſſuntur, inſueti magis.

D. Quid humoris ſtatu intelligitur? Humoris natura.

C. Eius qualitas & copia.

D. Cur humoris obseruatio ad medicamenti quantitatem præscribendam necessaria?

C. Quia aquosus humor, bilísque tenuis, facilè: pituita & melancholia pigrè defluit. Qui crassus est, & quasi ardore resiccatus, velut fixus subsistit in via: lentus & glutinosus ductibus obhærescit, copiosus verò & quasi restagnans, vt in obæsulis & in his qui se crapula ingurgitarunt, aut quauis ex causa humorum illuuiem congesserunt, leui medicamento magna plerúmque ventris perturbatione immoderatiùs profunditur.

D. Quid cœli statu intelligitur?

Cœli status. C. Regio, anni tempus, & tempestas.

D. Cur cœli status ad medicamenti quantitatem definiendam spectandus?

C. Quia sub canicula & ante caniculam, atque in regione æstuosa, acer & paucus inest humor in corpore, qui & foras euocatur, vt proinde haud facilis eius possit esse purgatio. Hyems verò media, regio gelida & tempestas Aquilonia corpus densant & astringunt, atque humorem coarctant, qui

ægrè dimittitur, sicque aluum exſiccant: contrà verò, Auſtrina ſoluit, laxat & humectat aluum; adeò vt Auſtrina duntaxat conſtitutione, & temporum regionúmque moderatione, felices ſuccedant purgationes.

D. *Præſcripſiſti quantum, expone nunc quomodo vacuandum ſit, vniuersè, an partitè; per ſuperiora, an per inferiora?*

C. Purgandi modum noxii humoris copia & laborantis vires commõſtrant. Cacochymia conſtantibus viribus pauca vniuersè detrahi poteſt, ſed imbecillis viribus multa partitè eximenda. Quicquid enim peccantis ineſt humoris, id prorſus expurgandum, vt corpus à morbo vindicetur; at non ſemel, ſed per epicraſim id præſtandum. Aſſentiendum quippè Hippocrati benè monenti, Omnes extremas euacuationes periculoſas eſſe. Vnde in multa cacochymia tutiùs eſt, paulò citra modum ſubſiſtere, quàm vltrà procedere. Conferentia verò loca, per quæ noxius humor ſit euacuandus, profligandúſque naturę motus indicat. Nam ſi humor ſurſum vergat, per vomitum; ſin autem deor-

Quomodo molienda purgatio.

Per quæ loca.

ſum impetum faciat, per aluum erit molienda purgatio, pręcepto Hippocratis: Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere. Idcircò naturæ inclinatio diligenter obſeruanda Medico.

D. Si fortè purgationis vias morbus intercipit, quid agendum?

C. Alioſum motus erit auertendus. Numquam enim humor noxius in affectam ſedem eſt deriuandus. Quocircà neque imbecillo ventriculo cienda vomitio, neque inteſtinorum vlcere aut inflammatione, bilis eò deducenda, ſed aliorſum reuellenda. Iubet enim Hippocrates reuellere; ſi, quò non oportet, vergat. Quin & humor noxius, qui inſueto naturali curſu fertur, inhibendus, & in rectum tramitem reuocandus; vt qui ſuo impetu, & impeditâ naturâ ſymptomaticè fiat: quemadmodum qui per conuenientes regiones atque vias defertur, ſinendus eſt; atque ſi ſegniùs progreditur, incitandus: fit enim, natura duce, quæ nihil niſi vtiliter gerit.

D. *Quando decernenda purgatio?*

C. Simul ac opportuna temporis occasio extiterit, & idonea præparatio adhibita fuerit. Quando purgandum sit.

D. Quod corpori purgando tempus videtur opportunum?

C. Ad præcautionem, anni tempus spectandum, ad curationem morbi tempus, ad vtrámque gestationis tempus in muliere.

D. Quod anni tempus purgationi aptius?

C. Purgationi, quæ nullius præsentis morbi necessitate, ad præcautionem solam suscipitur, aptissimum est ver, deinde Autumnus, aut quæ illis non absimilis: sed quodammodo temperata sit constitutio, non æstuosa, qualis diebus Canicularibus; nec Aquilonia tempestas: sed Austrina humidáve, quæ & corpora laxat & humores liquefacit. Id quod est ab Hippocr. expressum *Aph.* 47. *li.* 6. Quibus purgatio prodest, his vere purgatio imperanda; quia tum nec ingens viget calor, nec frigus, nec inæqualitas, sed bona temperies, ait Philotheus. Et *Aphoris.* 5. *lib.* 4. ὑπὸ κυνὰ, καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι. Sub cane Quod anni tempus purgationi aptius.

& ante canem difficiles sunt medicationes.

D. *Quod morbi tempus purgationi accommodatius?*

Quod morbi tẽpus purgationi accõmodatius.

C. In morbo valdè acuto tempus purgationi accommodatissimum, est principium, si materia turget, antequàm vltrò citróque concitata in partem quampiam principem irruat; at nullo vrgente orgasmo, status finis, quo perfecta existit concoctio, ac vacuatio spontè procedit, symptomatúmque sæuitia mitescit. Tũ enim materia fluida, & à reliqua puriore secreta iam est, simul natura præparatam illam expellere contendit: sed quia nimioperè grauata haud sola potest, arte subleuanda est. Cùm enim nullus, vel certè languidus est naturæ motus, artis præsidium eius vices tempestiuè supplere debet. Vtráque purgandi occasio, ab Hippocrate expressa est, prima quæ ab orgasmo arripitur, *Aphoris.* 10. *lib.* 4. Medicari in valdè acutis, si materia turget, eadem die. Tardare enim in talibus malum est; altera quæ à pepasmo captatur, *Aphoris.* 22. *lib.* 1. Concocta medi-

cari atque mouere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant.

D. Estne perfecta concoctio ad purgandum perpetuò expectanda?

C. Nequaquam. Etenim morbi incremento cùm nondum perfectè, sed manifestè solum, & in fine principij, cùm obscurè concocta est materia, hanc etiam quodammodo vacuare licet. Quod enim iussit Hippocrates concocta medicari, non solùm perfectè, sed & quouis modo cocta complectitur, mox ea duntaxat à medicatione excipiens quæ vt in morborum principiis absolutè cruda sunt. Ita quæcumque vllo modo concocta fuerint, medicari sinit, obscurè quidem cocta parcè, manifestè moderatiùs, perfectè verò cocta validiùs. Vt igitur in phlegmone non vniuersa materia retinetur, dum perfectam concoctionem sit assecuta, sed quicquid suppurat quotidie elicitur, ita sanè & in acutis statuendum morbis. Sic enim quicquid à purgatione reliquum erit, faciliùs natura domabit. Quin & vitiosus humor quisquis in prima corporis regione consistit, si

Cur perfecta cōcoctio ad purgandum non semper expectanda.

impetu quodam sponte mouetur, neque locis illis tenaciùs adhærescit, primo quoque tempore expurgandus est, nec eius concoctio expectanda, quamuis haud rectè possit ante coctionem exquisitè purgari, cùm in maioribus vasis conclusus, aut in aliquo viscere coërcitus putrescit. Est & alia ratione ante concoctionem purgandi necessitas, si præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in visceribus, aut in habitu est corporis, & cuius expectatur concoctio, alia quædam vitiosa in ventriculo, in intestinis, aut circum præcordia obhęret, dolore, æstu, nausea, amarore, aliisve signis manifesta. Hæc enim omni tempore, etiam nondum vlla morbi apparente coctione, vtiliter potest, adhibita præparatione medicamento, trahi.

D. Quo die, quáque hora purgatio exhibenda?

Quo die, quáque hora purgandum.

C. Tranquillo die purgatio tutior, expeditior verò perturbato. Quocirca impari die agitata materia expeditiùs, pari verò tutiùs detrahitur; dũ in quiete, nõ in motu est. At cũ morbi ac-

cessio fatigat, nulla vacuatione conuellendæ sunt vires. Sed pervtilis & accõmodata est vacuationi hora, quæ exacerbationem aliquantum præcedit. Tum enim cumulata materia exacui mouerísque incipiens, promptiùs euellitur.

Quodcúnque verò catharticum assumitur, expleta concoctione, exinanitóque ventriculo, iuuat; nec antequam exciderit, cibus est offerendus; nisi cùm fortè maligna qualitate præditum est. Hebetatur enim eius vis, & obruitur, permistione cibi.

D. *Quo prægnationis tempore mulieribus purgatio decernitur?*

C. Grauidę, inquit Hippocrates, sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & vsque ad septimum. A iunioribus autem & senioribus cauendum. *Aphorism.* 1. *lib.* 4. Quo prægnationis tempore purgatio grauidæ mulieri decernenda.

D. *Cur nec primo, nec vltimo, sed intermedio duntaxat prægnationis tempore purgatio mulieri præscribenda?*

C. Quia (*inquit Galenus*) fœtus eandem cum vtero cohærentiæ rationem habent, quam cum arboribus fructus. At hi prima generatione in-

firmis pediculis continentur: atque ideò facilè decidunt, si quando ventus vehementior concusserit; posteà verò aucti ipsi difficulter à plantis dissoluuntur & diuelluntur, quemadmodum rursus vbi ad perfectam maturitatem peruenerint, sponte sua & sine vlla vi externa decidunt. Eodem sanè modo conceptus quoque primo à feminis submissione tempore, si animo aut corpore vehementiùs moueri mulierem contigerit, facilè ab vtero abrumpuntur: quemadmodum & cùm perfecti iam fuerint, & adulti. Tempore verò intermedio firmiorem coalitum habent, & auulsioni minùs obnoxium. Quare mulier tum in vtero ferens potest vehemẽtiores motus sustinere, sine fœtus offensione, ac proinde tutiùs purgari, turgente materia.

D. *Quando purgationi supersedendum?*

Quando purgationi supersedendum.

C. Cùm natura euacuationem aggreditur, sinenda est, dum opus compleuerit. Si morbum integrè iudicauit, nullo pharmaco proritanda; nec aliud quicquam mouendum, vt præ-

cipit Hippocrates *Aph.* 20. *l.* 1. Sin quippiam ex imperfecta crisi derelictum fuerit, id cathartico detrahendum; quoniam quæ relinquuntur in morbis à crisi, recidiuos morbos facere consueuerunt. *Aph.* 12. *l.* 2.

D. Quæ purgationi præparatio præmittenda?

C. Duplex ad purgationem præparatio adhibenda, vna corporis, humoris altera. Corpus ante purgationem, præcepto Hippocratis, εὔροον fluxum fiat, adeò vt viæ omnes, per quas medicamentum decurret, & per quas noxius humor deriuandus expurgandúsque est, liberæ sint & expeditæ. Primum igitur ventriculus humorum copia minimè sit nauseabundus, ne haustum pharmacum nimioperè auersetur, aut mox reuomat. Nec intestina obstructa noxiorum humorum cursum impediant. Itaque nausea omnis ante purgationem summouenda aut vomitione, aut inedia. Detracta enim de cósueto cibo portione natiuus calor crudos humores concoquit. Suppressa iamdiu aluus, enemate mollienda. Noxius

Quæ purgationi præparatio præmittẽda.

prætereà humor præparandus. Crassus lentúsque, qualis est pituitosus & melancholicus, extenuandus & detergendus est oxymelite, apozematis, iusculis, & aliis id genus medicamentis & alimentis accommodatis. Tenuis verò, vt biliosus, si feruentior & acrior, eius ante purgationem obtundenda est & frænanda acrimonia alterantium vsu.

D. *Est-ne perpetuò purgationi præmittenda præparatio?*

An perpetuò purgationi præmittenda præparatio.

C. Quisquis in corpore peccat humor tenuis ac fluidus, si vt in acutis morbis turget, statim initio nulla præparatione è quauis regione detrahendus est. Cùm enim quasi oberrans fluctuet; & fluat refluátque in venis atque visceribus, non admodùm ægrè videtur medicamento cessurus. Sin autem parti cuipiam is firmius inhærescit, vix nisi detersus aut concoctus, & naturæ vi secretus, trahenti medicamento obtemperat.

D. *Hactenus exposuisti quando purgantia medicamenta sint exhibenda, nunc quando alterantia ex vsu sint, à te expecto.*

C. Fluxionis initio astringẽtia quæ hanc repellant sola ex vsu sunt. In statu cùm fluxio planè consistit, resoluentia: incremento verò vtráque permista. Aut si fortè congesta materia digeri minimè posse videatur, eius dein suppuratio procuranda. Medicamentorum autem extrinsecus admouendorũ nulla stata hora, nisi cùm ventriculum aut præcordia attingunt. Hæc enim cibo præmitti debent.

Quando alterantia ex vsu sint.

COROLLARIVM PHARmaceuticum.

D. Antequàm disputationi de Pharmacis finem imponam, quibus modis in nos agant, & qua methodo sint ad vsum præparanda, luculenter explices velim?

C. Alliotica manifestis qualitatibus, tùm primis, è temperamento; tùm secundis, è materia primis qualitatibus instructa profectis, suám exerunt energiam.

Quibus modis in nos agãt medicamenta Alliotica

At Cathartica occultâ proprietate è forma prodeunte, peccantem in corpore humorem sibi peculiarem, ob substantiæ familiaritatem ac similitudinem attrahunt, quem natura subin-

Cathartica.

de per aluum expellit.

Veterum Medicinæ Procerũ de purgãdi modo sentẽtia.

D. Licet veteres Medicinæ proceres & Græci & Arabes vno consensu omnes, Cathartica per os assumpta, à calore natiuo in actum reducta, familiares vndique humores attrahere prodiderint, qui in prima corporis regione sensim collecti, postea à natura facultatis expultricis operâ per aluum expurgantur: nouissimè tamen Merindolus, Medicus solertissimus (cum quo Parisijs olim apud D. Vayrium Procancellarium degente magna mihi familiaritas fuit) exercitatione 7. *purgationem non attrahẽdo, sed iritando fieri contendit. Inter medicamẽta purgãtia & humores qui purgãtur, negat vllam esse substãtiæ similitudinem, quâ illa possint hos attrahere. Nec qualitate tamen manifesta, nec occulta, vllam Cathartica attrahendi vim habere asserit. Verùm artificialem purgationem naturâ fieri à Pharmacis iritatâ, ex eo demonstrare nititur, quòd purgantibus omnibus acris quædam facultas insit, quæ facultatis expultricis stimulus existit.*

Noua Merindoli opinio à veterum Archiatrôn dogmate dissentanea.

Merindoli opinio refutatur à Candidato.

C. Noua Merindoli de medicamentis purgantibus doctrina, Medendi artem ab antiquis Archiatris jamdudum constitutam funditùs

euertere videtur, & quotidianis experimentis aduersari. Prima siquidem methodi therapeuticæ lex, ad curandos morbos ab humoribus in corpore peccantibus ortos, cacochymiam imprimis demendam esse jubet proprijs Catharticis, biliosam Cholagogis, pituitosam Phlegmagogis, melancholicam Melanogogis. At si Cathartica humores noxios electione non attrahant, sed quælibet quoscúnq; humores citra delectũ iritatâ naturâ deturbēt, frustrà præscribũtur à Medicis ad detrahēdam cacochymiã biliosam Cholagoga, ad pituitosã Phlegmagoga, & ad melãcholicã Melanogoga. 1. Argumentum.

Quinetiam si Cathartica noxios humores expellunt, iritando naturam ad eorum excretionem, procul dubio naturæ vim inferunt. Quæ autem vim inferunt, contraria sunt. At si contrarietatis vi fieret expulsio, oporteret humores noxios, non per aluum excerni, sed vel in habitum corporis impingi, vel per cutem expelli. Quoniam enim expellentia non ad se, sed à se pulsa fugant, medicamentorum per os assum- 2.

ptorum vis purgatrix à ventriculo in intestina, ab ijs in mesaraïcas lacteas, indéque in maiores venas, à majoribus in minores delata, humores intus stabulantes à se fugando, nunquàm in aluum propulsabit. Quocirca rationi consentaneum est, non contrarietate, sed familiaritate, purgandorũ humorum attractionem à purgantibus medicamentis fieri.
3. Quid? Nonne rhabarbarum & aloë flaua & amara, bilẽ flauã & amarã trahũt: turpeti cortex, agaricus, cnicus & elleborus albus pituitam albam: myrobalanus Inda, & elleborus niger, humorem melancholicum nigrum? Ergo & qualitatum, quę in amborum substantia sunt, analogia quædam, & recondita totius substantiæ similitudo, ex simili elementorum quatuor mistione manans, saltem in quibusdam colore & sapore, nedum experientia percipitur.
4. Falsum insuper omnia Cathartica acritudine insigni prædita esse, qua naturam ad expulsionem iritent. Nónne plurima sunt dulcia, saltem minimè acria pharmaca, quæ lubricando & leniendo purgant, vt cassia,

violarum flores & ſemen, polypodiũ, hermodactylus & ſimilia? Incaſſum reſpondebit his ineſſe acritudinem, quæ maiori dulcis ſubſtantiæ moli tàm altè immerſa eſt, vt diſcerni nequeat. Maior quippè dulcis ſubſtantiæ quantitas, acrimoniam demulcens, purgatoriam illius vim exolueret.

Præclarè demonſtraſti propter ſubſtantiæ ſimilitudinem catharſin attrahendo fieri, contra Merindolum. Sed cur Catharticum, humorem trahit, non ab humore trahitur?

C. Quia ob calorem ſuum eſt potentius in attrahendo. Sunt omnia purgantia poteſtate calida. Eadem ſi non purgant, cocta in humorem trãſeunt, qualem attrahunt: niſi quòd horum quædam in nobis corrupta in venenum abeunt, vt poſt Galenum Syluius aſſerit, *lib.* 2. *meth. medicamenta componendi.* Cur Catharticũ humorem attrahit, nõ ab humore attrahitur.]

D. Sed alia non pauca pharmaca ſunt, & vehementiùs calida, ad purgandum inepta? Obiectio.

C. Concedo, propterea quòd nulla intercedit inter pharmacum, & hu- Reſponſio.

morem noxium familiaritas, nulláq; substantialis formæ similitudo, sed diuersa idiosyncrasia.

Quòd accuratè sint præparanda medicamenta.

D. Vt alimenta sic medicamenta priúsquàm administrentur, accuratè præparanda sunt, ne vllam naturæ noxam inferant. Quotuplex est pharmacôn præparandorum methodus?

Quotuplex pharmacôn præparandorum methodus.

C. Duplex. Methodica siquidem medicamentorum præparatio, est Synthetica, vel Analytica. Synthetica, quæ ad corrigenda basis vitia, vtilium adjectione perficitur. Analytica, quæ inutilium basis impuritatum detractione fit. Illa jamdudum à Pharmacopœis: hæc seculo nostro à Chymicis est vsitata.

D. *Chymicæ arti operam aliquando nauasti?*

Quòd Pharmaceutica method⁹ tam Analytica, quàm Synthetica, Medico sit scitu necessaria.

C. Ego singulari studio medicamentum in sua elementa retexendi rationem à Chymiæ peritis didici. Nec enim minùs mihi videtur Medico, scitu necessaria, pharmaci resoluendi, quàm componendi methodus.

D. Verùm ex te quæro, vtrùm medicamenta vulgari modo à Pharmacopœis per synthesin concinnata, an exquisitiùs

per analysin elaborata, Chymico ritu, tibi videantur præstantiora?

C. Vtraque medicamenta methodicè parata, sunt vtilia. Sed plebeijs atque rusticis hominibus admodum robustis, vulgaria sunt conuenientiora: nobilibus verò pueris, virginibus, mulieribus, viris delicatioribus, senioribus, ardenter in literarum studia, & in Rempublicam incumbentibus, Chymica magis idonea; quòd mitiora, tutiora, ac suauiora existant, & exigua mole plurimùm polleant: proinde citra fastidium, necnon & citra noxam, exhiberi queant.

Quòd vulgo Vulgaria, Proceribus verò Chymica remedia sint aptiora.

D. *Aduersarij tamen non pauci, hæc inutilia, periculosa, & perquàm incommoda esse prædicant, vt omnes ab eorum vsu deterreant.*

C. Haud grauabor quàm turpiter allucinentur ostendere, eorúmque argutias inanes & friuolas refellere.

Cur hæc accusetur ab Aduersariis.

D. *Non opus est (aiunt) simplicia medicamenta in sua principia resoluere, cùm integra curandis morbis à se satis idonea sint?*

1. Argumentum Aduersariorum.

C. Respondeo: Simplicia medicamenta sæpiùs ob substantię crassitudi-

Quòd remedia

nem, aut impuritatem, vires suas proferre non posse. Ea igitur artis beneficio tenuiora atque puriora reddere expedit. Vt enim farinæ flos à furfure secretus, alendo corpori magis idoneus, quàm frumentum integrum; sic pura rhabarbari, cinnamomi, aloës, chalcanthi, & aliorum medicamentorum essentia, curandis morbis aptior, quàm ipsamet integra pharmaca admodum impura. Adde quod medicamenta, à natura procreata, alias plerúmque noxias, & Medicæ intentioni cõtrarias qualitates sortita sint, quæ artis adminiculo demenda sunt.

D. Illicò replicant Aduersarii, admisceri posse, quæ noxiis & aduersis qualitatibus resistunt.

Cur Analytica medicamentorũ præparatio, syntheticæ sit anteponenda.

C. At hoc modo, medicamenti moles ægrotanti molesta, sine vlla necessitate augebitur. Cùm artis beneficio liceat, à materiæ crassamento, nobiliorem remedij portionem vindicare, ac qualitates noxias, vel intentioni nostræ aduersas, detrahere, vt reliquæ liberiorem habeãt agẽdi potestatem; cur retentis inutilibus, alia miscebuntur, quæ vel nihil ad rem facient, vel vtilibus

vtilibus quoque facultatibus incommodabunt?

D. Pergunt asseuerare remedia Chymicè præparata, sui ipsius respectu etiamnum inutilia esse; quod adeò subtilia reddantur, vt vires suas amittant. Id probabiliter ex eo videntur adstruere, quod chymica dissolutione medicamenti, forma destruatur, à qua vires prodeunt. Qua ratione teli huius aciem retundes?

C. Non pereunt facultates, siue naturam remedij spectes, à qua promanant, siue artificis industriam consideres, qui profert illas: quin potius vegetiores euadũt. Natura quippe remedij ex diuersarum partium syndrome, facultates sortita est, quarum aliæ formam totius sequuntur, aliæ partium singularum temperiem. Ingenuè quidem fateor, abolita totius forma pessum ire priores, at posteriores pernego: imò à formæ iugo exemptas, liberiùs suis muniis defungi contendo. Si remedia vulgari modo parata per infusiones & decoctiones, sua purgandi, vel discutiendi, aliúdve simile præstandi facultate non spoliantur, quo iure Chymica iisdem elabo-

Quòd remedia Chymicè præparata vires suas non amittant.

Quòd partes à toto auulsæ suas retineant vires.

Quòd si infusa & decocta suas retinent virtutes, multò magis Chymica.

rata vel nonnihil diuersis operandi modis, spoliata dicentur? Extractiones enim & destillationes non vtilem facultatem demunt; sed quòd inutilé illius actionem impedire aut retardare possit, seiungunt. Quin & multò efficaciores sunt, quàm infusiones & decoctiones, ad traducendam de subiecto in subiectum partis formam & temperiem, à corrupto toto secretam. Vnde Chymici medicamenti vis vegetior & alacrior emergit. Nónne Medicus artis Chimicæ famulatu naturam imitatur, quæ cibos à ventriculo acceptos, sepositis crassioribus excrementis, ad hepar prouehit; & inde puriorem salubriorémque alimenti portionem, caloris innati mirifica potestate extractam, venarum ministerio, ad singulas corporis partes alendas transfert? Neque enim cibi in ventriculo leuiter cocti statim nutriunt, plures adhuc mutationes sustinere coguntur, antequàm in familiare alimentum cuiúsque partis euadant. Ita nec fœliciter medicaméta curant, quæ duntaxat leuiter elixa, vel aliter alterata, afflictis interaneis

obiiciuntur. Exquisitiùs præparari necesse est, vt, absque mora, ad extimas corporis partes, in modum nutrimenti ducantur.

D. *Demonstrasti Chymicorum remediorum facultates illibatas manere. Saltem non tàm efficaces,* dicent Aduersarij, *quòd tenello subiecto adhærentes, pristini vigoris haud exiguum amiserint. Quemadmodum igneus calor, qui flammæ tenuioris minùs est efficax, quàm prunæ, candentísve ferri, aut alterius solidi corporis. Quid ad hoc obiectum respondes?*

C. Non quidem abnuo collectas vires intensiores, & in angustum redactum calorem ardentiorem deprehendi. Sed ego idipsum dico, chymica præparatione effectum dari. Dum enim simplex remedium est integrum, quæ illius portio caliditatis eximiæ vires præpollentes obtinebat, non ijs sola potitur; sed reliquis, quibus cum cohæret, impertit; vt ita in diuersa ex suo fonte distractus calor imminuatur. At quàm primùm ea pars reliquarum, quibus adhæsit, consortio est liberata, suas sibi possidet diuitias. Ergo tantùm abest, vt minores sint illius fa- Quod nō subiecti respectu Chymica remedia inefficacia fiat.

cultates, vt triplò quadruplóve sint potentiores. An non hoc est, quod dicit *Galenus*, quæ partium sunt magis subtilium, promptiùs agere; tardiùs quæ crassarum, licet eadem amborum vigeat facultas. Itáque nihil subiecti tenuitas obsistit. Cibus quantúmvis tenuis non amittit vires suas. Testatur experientia Chymico artificio ad eam tenuitatem cibum redigi, vt sublatis partibus inutilibus, quod reliquum est, in omnes corporis regiones distractum, minori cum labore, ab afflicto licet calore, in substantiam nostram commutetur. Quòd si nutriendi facultati non obfuerit tenuitas partium; an illa purgandi virtuti incommodabit?

Quòd peritus artifex Chymicus non sit causa deprauati remedij.

Nec artificis culpâ prosternentur remediorum facultates, si rectè calleat artem separandi à se inuicem partes heterogeneas, nouerítque gradus ignis qui requiritur, & alia quæ ad rem pertinent. Nec enim quæ vis purgandi inest rhabarbaro, vstione secernet, nec distillatione, nisi eam priùs affusi vehiculi ope è terrea compage eduxerit. Stibij vis effera vomi-

tum ciendi, interanea subuertit. Eam autem nemo domabit, nisi ignis jugi tormento halitus suos penitus absumpserit, & ex cathartico diaphoreticum effecerit. Itaque non inficias eo, si quibus non decet modis tractetur remedium, eius facultates euanescere. Sin obseruetur separandorum conditio, vt quæ penitùs terreæ substantiæ affixa hærent, ardentiori ignis gradu expugnentur; quæ aërea magis & fluida, moderatiore: tantùm abest, vt spolientur remediorum portiones suis congruentibus agendi qualitatibus, vt ipsæmet validiores suum munus absoluant, minùsque afflictam naturam fatigent. Validiores autem tum esse facultates, nemo est qui in dubium vocare ausit. Patet hoc ex Hippocratis, Galeni, aliorúmque consensu, qui remedia diuersis partibus donata, soluenda existimant, vt eò liberiùs vires suas exerceant. Sed an non authoritatem exsuperat ratio? Nam luce meridiana clarius est, diuersarum partium diuersas vires, inuicem iunctas, mutuis operis intercipi & impediri. Sic quando vna sola qua-

Quòd facultates remediorum Chymicorum validiores sint, quàm integrorũ.

litas requiritur, opportunius futurum est, si ea recluso toto producatur, sepositis omnibus, quæ actionem eius vel impedire, vel deprauare possent.

D. Aduersarij insuper inutilia putant esse Chymica remedia, quòd cùm exigua sint molis, innata corporis vi, ad nihilum ita redigantur, vt vel in transitu disperеant, vel in morboso conflictu promptè succumbant.

C. Quantúmvis amictu partium inutilium liberata, quoad molem substantiæ, sunt nudiora: non tamen quàm priùs infirmiora; cùm quod quantitati decessit, qualitatis augmentum planè liberalo compenset: vt videre est in anisi, cinnamomi, atque chalcanthi essentia; cuius duæ vel tres guttæ plus habent virtutis, quàm magna quantitas integræ substantiæ. Hinc patet inutilia non esse Chymica remedia.

2. argumentum Aduersariorum. *D. Hactenus primam Aduersariorum rationem refutasti: pergamus ad secundam. Non videntur periculo vacare Chymica remedia. Gradum caliditatis eximium, eo præparationis momento acquisiuêre. Valentiùs agunt, quàm sustineat hu-*

manæ temperiei mediocritas. Prosternunt vires, & caloris externi flammis totum corpus replent. Non enim potest negari externum ignem, quo solo vtuntur Chymici, suæ caliditatis notas, rei quam lambit, imprimere. Quod præter euentum quotidianorum experimentorum, ratio quoque persuadet. Omnis enim actionis finis is est vt patiens reddatur simile agenti. Hoc vel sola docet alimentorum confectio, cuius vltimus gradus est assimilatio. At iam non est qualitas, quæ promptiùs caliditate se insinuet patienti rei. Tenuis est, subit quantumvis arctissimos meatus, remouet obstacula: quod parum resistit, in se conuertit: quod obstinatiùs fatigat, quoad potest, sique non superat totum, aliquid saltem illius sibi assimile reddit: reddit calidum, & pro patientis qualitatis conditione, vel siccum, vel humidum. Accedit auctarium caloris maius, ardens vinum, cuius ope extractiones suas moliuntur Chymici. His perpensis, ea remedia, qualitatis primæ calida & secunda cuiusuis alterius excessu, periculosa sunt: vt iis relictis tutior sit antiquorum vsus futurus.

C. Ego cum Galeno & Aristotele fateor, combustorum omnium nul- Quòd Chymica remedia non sint periculosa.

lum planè esse frigidum, quandóquidem inhæret illis. ἐμπύρευμα. Id tamen haud difficulter aqua abluitur. Ac licet medicamenta, quæ acria non sunt, vstione calidiora reddantur; quæ tamen acria sunt, frigidiora fiunt, vel ipso Galeni testimonio. Ita quæ vritur chalcitis, minùs fit acris, nimirum partibus eius tunc quidem ad maiorem tenuitatem redactis, ceu aliorum vstorum omnium; quæ si lauentur, moderatiora euadunt, minúsque mordacia. Est ergo Galeni hæc sententia, quæ aëreo sunt amittere plurimùm caloris, vtpote tenuiora. At calor in angustum actus, sumit vires, & ardens pruna instantiùs vrit, quàm flamma. Quæ verò non sunt acria, ignis contagio fiunt calidiora, quàm priùs fuerant. Sed qua caliditate? Quam vocat Galenus ἐμπύρευμα. Quod cùm facilè corrigatur, nil est inde metuendum remedio, ne fiat calidius. Corrigitur enim, vel ablutione, vel digestione. Nónne arsenicum cum nitro calcinatum, acrimoniam suam, mordacémque calorem amittit, dum sæpiùs lauatur aqua calida? Ardens

præterea ſpiritus vini, vehiculum eſt educendæ ſpirituoſæ virtutis. Is ab extracta virtute facilè ſeparatur, vt nil caloris remaneat, vel perpuſillum. Sin remaneat, iam Medici rationalis conſilio, non niſi eo loco, & tempore, quod ſcopus curationis permittit, adhibetur. Vt nihil ſit, quod caliditatis metu ſuſpecta ea reddere oporteat. Ergo ſi tandem quæ vtuntur, vel affuſo vini ſpiritu extrahuntur, libera ſunt à caliditatis nimiæ calumnia; quantò veriùs ea, quæ vel diſtillantur, vel alio potius, quàm ignis calore præparentur? An ergo timeatur caliditas? quæ vel non nocet, ſi adſit: vel omnino non adeſt? Quid enim iuſtius alieno exaſperatum calore cenſeri queat, diuerſis ſalium generibus? At plures illorum frigidos eſſe, ſuæque qualitatis notas de ſe dare, eruditi Chymici docent, experientiæ quotidianis caſibus adiuti. Sed agè, largiamur calida eſſe quæcúmque externam acrimoniæ ſuæ tenuitate cutim exulcerant. An ideò introrſum quoque adhibita, eiuſdem violentiæ cenſenda? Ranunculus & allium eſui

Quòd calida, quātúmvis acria, intrò quoque accipi poſſint.

morem noxium familiaritas, nulláq; substantialis formæ similitudo, sed diuersa idiosyncrasia.

Quòd accuratè sint præparanda medicamenta.

D. Ut alimenta sic medicamenta priúsquàm administrentur, accuratè præparanda sunt, ne vllam naturæ noxam inferant. Quotuplex est pharmacôn præparandorum methodus?

Quotuplex pharmacôn præparandorum methodus.

C. Duplex. Methodica siquidem medicamentorum præparatio, est Synthetica, vel Analytica. Synthetica, quæ ad corrigenda basis vitia, vtilium adjectione perficitur. Analytica, quæ inutilium basis impuritatum detractione fit. Illa jamdudum à Pharmacopœis: hæc seculo nostro à Chymicis est vsitata.

D. *Chymicæ arti operam aliquando nauasti?*

Quòd Pharmaceutica method' tam Analytica, quàm Synthetica, Medico sit scitu necessaria.

C. Ego singulari studio medicamentum in sua elementa retexendi rationem à Chymiæ peritis didici. Nec enim minùs mihi videtur Medico, scitu necessaria, pharmaci resoluendi, quàm componendi methodus.

D. Verùm ex te quæro, vtrùm medicamenta vulgari modo à Pharmacopœis per synthesin concinnata, an exquisitiùs

per analysin elaborata, Chymico ritu, tibi videantur præstantiora?

C. Vtraque medicamenta methodicè parata, sunt vtilia. Sed plebeijs atque rusticis hominibus admodum robustis, vulgaria sunt conuenientiora: nobilibus verò pueris, virginibus, mulieribus, viris delicatioribus, senioribus, ardenter in literarum studia, & in Rempublicam incumbentibus, Chymica magis idonea; quòd mitiora, tutiora, ac suauiora existant, & exigua mole plurimùm polleant: proinde citra fastidium, necnon & citra noxam, exhiberi queant.

Quòd vulgo Vulgaria, Proceribus verò Chymica remedia sint aptiora.

D. Aduersarij tamen non pauci, hæc inutilia, periculosa, & perquàm incommoda esse prædicant, vt omnes ab eorum vsu deterreant.

C. Haud grauabor quàm turpiter allucinentur ostendere, eorúmque argutias inanes & friuolas refellere.

Cur hæc accusetur ab Aduersariis.

D. Non opus est (aiunt) *simplicia medicamenta in sua principia resoluere, cùm integra curandis morbis à se satis idonea sint?*

1. Argumentum Aduersariorum.

C. Respondeo: Simplicia medicamenta sæpiùs ob substantię crassitudi-

Quòd remedia

nem, aut impuritatem, vires suas proferre non posse. Ea igitur artis beneficio tenuiora atque puriora reddere expedit. Vt enim farinæ flos à furfure secretus, alendo corpori magis idoneus, quàm frumentum integrum; sic pura rhabarbari, cinnamomi, aloës, chalcanthi, & aliorum medicamentorum essentia, curandis morbis aptior, quàm ipsamet integra pharmaca admodum impura. Adde quod medicamenta, à natura procreata, alias plerúmque noxias, & Medicæ intentioni cõtrarias qualitates sortita sint, quæ artis adminiculo demenda sunt.

D. Illicò replicant Aduersarii, admisceri posse, quæ noxiis & aduersis qualitatibus resistunt.

Cur Analytica medicamentorũ præparatio, syntheticæ sit anteponenda.

C. At hoc modo, medicamenti moles ægrotanti molesta, sine vlla necessitate augebitur. Cùm artis beneficio liceat, à materiæ crassamento, nobiliorem remedij portionem vindicare, ac qualitates noxias, vel intentioni nostræ aduersas, detrahere, vt reliquæ liberiorem habeãt agẽdi potestatem; cur retentis inutilibus, alia miscebuntur, quæ vel nihil ad rem facient, vel vtilibus

vtilibus quoque facultatibus incommodabunt?

D. Pergunt asseuerare remedia Chymicè præparata, sui ipsius respectu etiamnum inutilia esse; quod adeò subtilia reddantur, vt vires suas amittant. Id probabiliter ex eo videntur adstruere, quod chymica dissolutione medicamenti, forma destruatur, à qua vires prodeunt. Qua ratione teli huius aciem retundes?

C. Non pereunt facultates, siue naturam remedij spectes, à qua promanant, siue artificis industriam consideres, qui profert illas: quin potius vegetiores euadũt. Natura quippe remedij ex diuersarum partium syndrome, facultates sortita est, quarum aliæ formam totius sequuntur, aliæ partium singularum temperiem. Ingenuè quidem fateor, abolita totius forma pessum ire priores, at posteriores pernego: imò à formæ iugo exemptas, liberiùs suis muniis defungi contendo. Si remedia vulgari modo parata per infusiones & decoctiones, sua purgandi, vel discutiendi, aliúdve simile præstandi facultate non spoliantur, quo iure Chymica iisdem elabo-

Quòd remedia Chymicè præparata vires suas non amittant.

Quòd partes à toto auulsæ suas retineant vires.

Quòd si infusa & decocta suas retinent virtutes, multò magis Chymica.

rata vel nonnihil diuersis operandi modis, spoliata dicentur? Extractiones enim & destillationes non vtilem facultatem demunt; sed quòd inutilé illius actionem impedire aut retardare possit, seiungunt. Quin & multò efficaciores sunt, quàm infusiones & decoctiones, ad traducendam de subiecto in subiectum partis formam & temperiem, à corrupto toto secretam. Vnde Chymici medicamenti vis vegetior & alacrior emergit. Nónne medicus artis Chimicæ famulatu naturam imitatur, quæ cibos à ventriculo acceptos, sepositis crassioribus excrementis, ad hepar prouehit; & inde puriorem salubriorémque alimenti portionem, caloris innati mirifica potestate extractam, venarum ministerio, ad singulas corporis partes alendas transfert? Neque enim cibi in ventriculo leuiter cocti statim nutriunt, plures adhuc mutationes sustinere coguntur, antequàm in familiare alimentum cuiúsque partis euadant. Ita nec fœliciter medicaméta curant, quæ duntaxat leuiter elixa, vel aliter alterata, afflictis interaneis

obiiciuntur. Exquisitiùs præparari necesse est, vt, absque mora, ad extimas corporis partes, in modum nutrimenti ducantur.

D. Demonstrasti Chymicorum remediorum facultates illibatas manere. Saltem non tàm efficaces, dicent Aduersarij, *quòd tenello subiecto adhærentes, pristini vigoris haud exiguum amiserint. Quemadmodum igneus calor, qui flamma tenuioris minùs est efficax, quàm pruna, candentísve ferri, aut alterius solidi corporis. Quid ad hoc obiectum respondes?*

C. Non quidem abnuo collectas vires intensiores, & in angustum redactum calorem ardentiorem deprehendi. Sed ego idipsum dico, chymica præparatione effectum dari. Dum enim simplex remedium est integrum, quæ illius portio caliditatis eximiæ vires præpollentes obtinebat, non ijs sola potitur: sed reliquis, quibus cum cohæret, impertit; vt ita in diuersa ex suo fonte distractus calor imminuatur. At quàm primùm ea pars reliquarum, quibus adhæsit, consortio est liberata, suas sibi possidet diuitias. Ergo tantùm abest, vt minores sint illius fa- Quod nõ subiecti respectu Chymica remedia inefficacia fiat.

cultates, vt triplò quadruplóve sint potentiores. An non hoc est, quod dicit *Galenus*, quæ partium sunt magis subtilium, promptiùs agere; tardiùs quæ crassarum, licet eadem amborum vigeat facultas. Itáque nihil subiecti tenuitas obsistit. Cibus quantúmvis tenuis non amittit vires suas. Testatur experientia Chymico artificio ad eam tenuitatem cibum redigi, vt sublatis partibus inutilibus, quod reliquum est, in omnes corporis regiones distractum, minori cum labore, ab afflicto licet calore, in substantiam nostram commutetur. Quòd si nutriendi facultati non obfuerit tenuitas partium, an illa purgandi virtuti incommodabit?

Quòd peritus artifex Chymicus non sit causa deprauati remedij.

Nec artificis culpâ prosternentur remediorum facultates, si rectè calleat artem separandi à se inuicem partes heterogeneas, noueritque gradus ignis qui requiritur, & alia quæ ad rem pertinent. Nec enim quæ vis purgandi inest rhabarbaro, vstione secernet, nec distillatione, nisi eam priùs affusi vehiculi ope è terrea compage eduxerit. Stibij vis effeta vomi-

tum ciendi, interanea subuertit. Eam autem nemo domabit, nisi ignis iugi tormento halitus suos penitus absumpserit, & ex cathartico diaphoreticum effecerit. Itaque non inficias eo, si quibus non decet modis tractetur remedium, eius facultates euanescere. Sin obseruetur separandorum conditio, vt quæ penitùs terreæ substantiæ affixa hærent, ardentiori ignis gradu expugnentur; quæ aërea magis & fluida, moderatiore: tantùm abest, vt spolientur remediorum portiones suis congruentibus agendi qualitatibus, vt ipsæmet validiores suum munus absoluant, minùsque afflictam naturam fatigent. Validiores autem tum esse facultates, nemo est qui in dubium vocare ausit. Patet hoc ex Hippocratis, Galeni, aliorúmque consensu, qui remedia diuersis partibus donata, soluenda existimant, vt eò liberiùs vires suas exerceant. Sed an non authoritatem exsuperat ratio? Nam luce meridiana clarius est, diuersarum partium diuersas vires, inuicem iunctas, mutuis operis intercipi & impediri. Sic quando vna sola qua-

Quòd facultates remediorum Chymicorum validiores sint, quàm integrorũ.

litas requiritur, opportunius futurum est, si ea recluso toto producatur, sepositis omnibus, quæ actionem eius vel impedire, vel deprauare possent.

D. Aduersarij insuper inutilia putant esse Chymica remedia, quòd cùm exigua sint molis, innata corporis vi, ad nihilum ita redigantur, vt vel in transitu dispereant, vel in morboso conflictu promptè succumbant.

C. Quantúmuis amictu partium inutilium liberata, quoad molem substantiæ, sunt nudiora: non tamen quàm priùs infirmiora; cùm quod quantitati decessit, qualitatis augmentum planè liberalo compenset: vt videre est in anisi, cinnamomi, atque chalcanthi essentia; cuius duæ vel tres guttæ plus habent virtutis, quàm magna quantitas integræ substantiæ. Hinc patet inutilia non esse Chymica remedia.

2. argumentum Aduersariorum.

D. Hactenus primam Aduersariorum rationem refutasti: pergamus ad secundam. Non videntur periculo vacare Chymica remedia. Gradum caliditatis eximium, eo præparationis momento acquisiuêre. Valentiùs agunt, quàm sustineat hu-

manæ temperiei mediocritas. Prosternunt vires, & caloris externi flammis totum corpus replent. Non enim potest negari externum ignem, quo solo vtuntur Chymici, suæ caliditatis notas, rei quam lambit, imprimere. Quod præter euentum quotidianorum experimentorum, ratio quoque persuadet. Omnis enim actionis finis is est vt patiens reddatur simile agenti. Hoc vel sola docet alimentorum confectio, cuius vltimus gradus est assimilatio. At iam non est qualitas, quæ promptiùs caliditate se insinuet patienti rei. Tenuis est, subit quantumvis arctissimos meatus, remouet obstacula: quod parum resistit, in se conuertit: quod obstinatiùs fatigat, quoad potest, sique non superat totum, aliquid saltem illius sibi assimile reddit: reddit calidum, & pro patientis qualitatis conditione, vel siccum, vel humidum. Accedit auctarium caloris maius, ardens vinum, cuius ope extractiones suas moliuntur Chymici. His perpensis, ea remedia, qualitatis primæ calidæ & secundæ cuiusuis alterius excessu, periculosa sunt: vt ijs relictis tutior sit antiquorum vsus futurus.

Quòd Chymica remedia non sint periculosa.

C. Ego cum Galeno & Aristotele fateor, combustorum omnium nul-

lum planè esse frigidum, quandóquidem inhæret illis. ἐμπύρευμα. Id tamen haud difficulter aqua abluitur. Ac licet medicamenta, quæ acria non sunt, vstione calidiora reddantur; quæ tamen acria sunt, frigidiora fiunt, vel ipso Galeni testimonio. Ita quæ vritur chalcitis, minùs fit acris, nimirum partibus eius tunc quidem ad maiorem tenuitatem redactis, ceu aliorum vstorum omnium; quæ si lauentur, moderatiora euadunt, minúsque mordacia. Est ergo Galeni hæc sententia, quæ aëreo sunt amittere plurimùm caloris, vtpote tenuiora. At calor in angustum actus, sumit vires, & ardens pruna instantiùs vrit, quàm flamma. Quæ verò non sunt acria, ignis contagio fiunt calidiora, quàm priùs fuerant. Sed qua caliditate? Quam vocat Galenus ἐμπύρευμα. Quod cùm facilè corrigatur, nil est inde metuendum remedio, ne fiat calidius. Corrigitur enim, vel ablutione, vel digestione. Nónne arsenicum cum nitro calcinatum, acrimoniam suam, mordacémque calorem amittit, dum sæpiùs lauatur aqua calida? Ardens

præterea ſpiritus vini, vehiculum eſt educendæ ſpirituoſæ virtutis. Is ab extracta virtute facilè ſeparatur, vt nil caloris remaneat, vel perpuſillum. Sin remaneat, iam Medici rationalis conſilio, non niſi eo loco, & tempore, quod ſcopus curationis permittit, adhibetur. Vt nihil ſit, quod caliditatis metu ſuſpecta ea reddere oporteat. Ergo ſi tandem quæ vruntur, vel affuſo vini ſpiritu extrahuntur, libera ſunt à caliditatis nimiæ calumnia; quantò veriùs ea, quæ vel diſtillantur, vel alio potius, quàm ignis calore præparantur? An ergo timeatur caliditas? quæ vel non nocet, ſi adſit: vel omnino non adeſt? Quid enim iuſtius alieno exaſperatum calore cenſeri queat, diuerſis ſalium generibus? At plures illorum frigidos eſſe, ſuæque qualitatis notas de ſe dare, eruditi Chymici docent, experientiæ quotidianis caſibus adiuti. Sed agè, largiamur calida eſſe quæcúmque externam acrimoniæ ſuæ tenuitate cutim exulcerant. An ideò introrſum quoque adhibita, eiuſdem violentiæ cenſenda? Ranunculus & allium eſui

Quòd calida, quãtúmvis acria, introrſum quoque accipi poſſunt.

ſunt apta, quæ tamen extimam corporis ſuperficiem in veſicam tollent. Et quis neſcit cantharidum vſum introrſum quoque antiquitùs familiarem extitiſſe, nullo timore illius ſtigmatis, quod foris inurit? Eſt ergo diuerſitas patientis ſubiecti animaduertenda. Quæ ſunt validiora, maiorem ſentiunt interaneorum repugnantiam, ob innati caloris robur. Hoc cùm exteriùs minùs ſe proferat, magis graſſatur remedium. Vt ita haud maior metus validioris medicamenti, ab eiuſdem prouido vſu nos auocare oporteat. Facultates quidem augentur, non tamen omnes, ſed eæ tantùm quas augeri expedit, quandóquidem exceſſus malignarum artificis præparatione imminuitur. Et licet auctiores euaſerint vtiles illæ facultates, non tamen maiori periculo vſurpantur, quàm cætera ſolent vulgari modo parata remedia, quia minori quantitate exhibentur. Nam pro ſcrupulo vno Chymicorum medicamentorũ, dragmæ duæ, & quandóque plures, vulgò dantur aliorum. Iam ſi dragmæ duæ, vel plures, vacant periculo, longè

Quòd facultates vtiles licet increſcant, periculoſum remedium nequaquã reddant.

veriùs ſcrupulus vnus, ſeu paulò plura grana.

D. Aduerſarij fortaſſe quæſtionem hîc tibi proponent, Candidate. Cùm integumenta, quibus inuoluit natura remediorum actuoſas vires, ars euoluat, vt optato liberiùs graſſentur; alia dein adiungat quæ retundunt, tardántve exceſſum eorum; an non præſtitiſſet naturalem miſturam retinuiſſe? Huiuſce rei ſolutionem apertè profer?

C. Nequaquàm præſtitiſſet, Præceptor. Alio enim fine miſcentur à natura diuerſæ remediorum partes, alio ab arte. Natura vitam ſpectat vegetantis: ars Medicum vſum. Quæ ergo miſcet natura, longè arctiùs deuincit, vt inuicem qualitates communicent: quæ verò ars, liberiùs, in eum duntaxat finem, vt alterius actioni, ceu frenum aliquod, alterum adhibeatur. Exemplo ſit aniſi oleum. Hoc integro aniſo infirmum eſt, & magna ſeminis integri quantitas vix ac ne vix quidem id efficit, quod olei artificio Chymico extracti guttæ perpaucæ, quæ ſaccharo permiſtæ ad ſedandam tuſſim mirificè proſunt. Ergo quæ ars Quòd alio fine miſceantur ab arte remedia, alio à natura.

admiſcet, reprimunt facultatum exceſſum, quæ naturâ, non plus reprimunt, quàm impediunt.

[Argumentum Aduerſariorum.]

D. Tertia Aduerſariorum ratio examinanda ſupereſt. Incommoda ſecum vehunt Chymicorum operoſæ præparationes, inquiunt. Pharmacopœo nocent, cùm breuiùs aſſeruentur, in præcipitio corruptionis conſtituta. Nocent ægroto, dum cariora ſunt, quàm vel tenuiores ipſius patiantur facultates. Pereunt facilè, cùm ſint tenuis eſſentiæ, quæ dicto citiùs euaneſcit. Carè proſtant, quòd magno & labore & pretio artificibus conſtet illorum confectio. Quod ipſis reſponſum dabis?

[Quòd Chymica remedia non ſint corruptioni obnoxia.]

C. Ego quicquid obijciunt pernego. Vult Hippocrates remedia debere eſſe εἰς παλαίωσιν μεμελημένα, quò vetuſtatem ferant, accuratè elaborata. Talia ſunt Chymicorum. Quæ enim corrumpuntur, aquoſæ humiditatis vitio eam aduerſitatem incurrunt. Extraneus calor latentem humorem, quo cohærebant partes totius contiguæ, edùcit. Hæ vinculo ablato, iam dilabuntur, & peſſum eunt. Hoc eſt quod dicit Galenus: φαίνεται δὲ ὕλης ἐφ' ὑγρᾶς πᾶσι γίνεσθαι σηπεδὼν, αἰτίας δὲ

διαστατικῆς, ἀλλοτρίῳ τε καὶ παρὰ φύσιν θερμῷ, συνεπαύξεσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἀκινησίας. Videtur putredo omnis ex materia gigni humida, à causa verò efficiente, extraneo & præter naturam calore, augeri porrò immobilitate. *Com.* 3. *in* 3. *Epid. aph.* 1. Ergo remedia Chymica quæ parum in se retinuêre aqueæ humiditatis, ægrè corruptibilia sunt. Phlegma abscessit, corruptionis primus author: Aëreæ & terreæ portiones remansêre, extra corruptionis aleam constitutæ. Quocircà succi aquei diu conseruandi coquuntur, vel Soli exponuntur; ad aqueam humiditatem absumendam. Quod autem coctione, vel insolatione effectum dat Medicina, id destillatione Chymia, qua commodè in vaporem eleuatam medicamenti portionem humidam abstrahit. Quæ reliqua sunt, spiritus & oleum, terreáque portio, sua spontè perdurant: modò studiosè inclusa, externi aëris tyrannidi non permittantur. Vnde concludo neutiquam corruptioni momentaneæ obnoxia esse Chymica remedia.

Quòd Chymica remedia, non sint quàm oporteat cariora.

Ad propositam de caritate queri-

moniam respondeo, tàm pretiosa remedia liberaliter à Proceribus, ad quorum sanitatem tuendam atque restituendam elaborari solent, esse remuneranda. Sed nonnulla etiam parari posse vulgaribus minimè cariora, pro fortunæ tenuioris hominibus. Puræ rhabarbari essentiæ artificio Chymico extractæ scrupulus vnus magis purgabit, quàm integræ radicis dragmæ duæ. At pretii non multò maioris erit extracti rhabarbari scrupulus vnus, quàm infusio dragmarum duarum eiusdem. Plus tamen temporis atque laboris in remediis Chymicis apparandis impendi fateor. Sed æquus Chymicus dignum à diuitibus præmium exiget, vt minori pretio possit ea, vel etiam gratis, præstare pauperibus. Sic non Arithmetica, sed Geometrica proportione, remediorũ suorum mercedem accipiet, maiorem vel minorem, pro singulorum facultatibus, ac prorsus nullam ab inopibus. Nam Christiana lege adstricti sumus, ad id præstandum proximo, quod nobis ab illo præstari velimus. Sed amplà in regno cælorum remu-

neratio promittitur iis qui pauperibus in hoc terrarum orbe benè fecerint. Quin & Medicorum Princeps Hippocrates hortatur ne nimia seueritate vtamur, sed ad ægri facultates respiciamus, vetátque ne inhumani simus erga egenos & peregrinos. Si enim (inquit) affueri erga extraneos homines amor, aderit & erga nostram artem amor. *in Præcept. n. 45.*

D. Strenuè profectò, Candidate, Chymicorum remediorum vtilitatem, securitatem, & innocentiam defendisti, eáque acriter ab Aduersariorum calumniis vindicasti, qui falsò supernacanea, periculosa & incommoda esse promulgabant, argutiis inanibus fulti, quas solerter elusisti, ac penitùs euertisti. Sed cùm medicamenta Chymico more parata tanti sint ad morborum curationem citò, tutò & iucundè moliendam momenti, dic ingenuè an Syntheticus Pharmacopœorum apparatus, tibi videatur necessarius?

C. Maximè. Componendorum quippè medicamentorum magna fuit tàm ad simplices, quàm ad compositos morbos necessitas, vt præclarè Fernelius docet. Compositionis medicamentorũ necessitas.

D. Quid? Simplicem morbum simplex plerúmque medicamentum, quòd paribus sit viribus, tollit. Cúmque simplex aliquod existit, quod citra vllam corporis & virium offensionem morbum prorsus depellat, quia omnium præstantissimum: nulla compositio permistione quærenda, neque quod simplici effeceris, composito tentandum. Etenim composito prius est simplex, & certius & exploratius.

C. Non abnuo: Sed quoniam non semper cuique morbo peculiare remedium licet opponere, ad simplices etiam affectus, multis de causis necessaria fuit medicamentorum permistio.

D. Cedo quas?

Prima cōponendorũ medicamentorum causa.

C. Prima, cùm simplex medicamentum deest curando morbo prorsus oppositum. Eius enim penuria compositum vsurpatur, cuius vires sint morbo pares. Vt cùm calida intemperies affligit numeris duobus à mediocritate distans, si nullum in promptu medicamentum sit frigidum ordine secundo, duorum quæ primi & tertij sint ordinis pares portiones temperatæ, compositum efficient ordinis se-

cundi, & depellendo morbo accommodatum. Eadem in detergentibus, attenuantibus, atque cæteris permiſcendis eſt ratio.

2. Altera componendi cauſa, ex ſimplicis medicamenti vitio depromitur, quod aut imbecillum eſt, aut malignum. Imbecillum ſeu ignauum ac pigrum, acrioris permiſtione excitatur, vt rhabarbarum ſpica vel cinnamomo, ſenna cremore tartari, agaricus & turpetum gingibere, aut ſale gemmeo. Quod malignum fuerit (ſi qua eius vtendi neceſſitas eſt) benignioris permiſtione obtunditur, vt ſcammonij, atque aloës acrimonia, cotoneo malo, roſis, maſtiche, tragacantho: Venenata qualitas, dictamno, ſcordio. Ellebori nigri peruerſitas, aniſo, dauco, cumino: opij vis narcotica, ne quid officiat, caſtorio & croco emendatur.

3. Tertia componendi cauſa ex affectæ partis ſubſtantia, ſitu, præſentia, atque ſenſu exiſtit. Cùm enim pars denſa, longéque à remedijs diſſita fuerit, vt ren & vterus, plerúmque attenuantia baſi permiſcentur, quæ eò penetrent:

plerúmque alia, quæ substantiæ familiaritate basin eò dirigant, vt medicamentis cephalicis betonica, pulmonicis hyssopus, cardiacis buglossum, hepaticis agrimonia, splenicis scolopendrium, hystericis artemisia. Pars quòque nobilis aut exquisiti sensus (si basis vehementior fuerit) aliud quiddam sibi tota substantia familiare misceri postulat, & quod se suúmque robur conseruet. Ea propter, quæ visceribus accommodantur medicamenta, corroborantibus fulciuntur.

4. At omnium maximè necessaria componendi causa, est affectuum varietas, permiscenda siquidem tot erunt simplicia, quot facultates expetuntur. Si simplex quidem est morbus, sed quem vel sua interior causa, vt humoris lentor, vel symptomatis grauitas, vt doloris sęuitia comitatur, necessaria est medicamenti compositio, quæ in singulos affectus referatur atque pertineat. At multò magis, si multi, iíque dissimiles morbi, vt intemperies & obstructio in eandem partem concurrant, aut etiam si partibus ij di-

uersis insideant, vt iecoris calida intemperies, renum calculus, & vteri obstructio menses supprimens. In his igitur necesse est, medicamentum ex iis componatur, quæ sigillatim vnumquémque affectum depellant. In saporis suauitatem amaris medicamentis mel vel saccharum, additur: nimiũ dulcibus, limonum succus, vel acetum. Ad odoris verò gratiam, cinnamomum, anisum, caryophyllus, nux moschata, necnon & moscus aut ambarum.

D. Qua methodo componenda sunt medicamenta?

C. Vt methodo fiat apta medicamentorum compositio, basis in primis constituenda est, id est medicamentum simplex in compositione præcipuum, & velut columen cui cætera innitantur, profligando affectui accommodatissimum, eiúsque tum qualitas, tum quantitas designanda. Qualitas quidem ex affectus, qui præter naturam in corpore fuerit, specie: magnitudo, ex illius magnitudine; & ex laborantis partis natura, atque conditione præscribatur. Vt cum ca- Qua methodo fiat compenenda medicamenta.

lidus erit affectus, medicamentum pro basi frigidum eligetur; atque si ordine secundo calidus est, id à mediocritate in contrarium pari ordine recedet. Si pars quoque affecta profunda fuerit, aut longè dissita, densa, obtusi sensus, atque ignobilis; hinc basis facultas augenda erit, vt vires omninò pares in ipsam affectus substantiam exerceat. Partis quoque dignitate æstimata, medicamentum quærendum quod ei consentaneum sit, eámque singulari quadam familiaritate juuet. Horum obseruatione basis designabitur affectui contraria, eíque par viribus, & affectæ parti consentanea. Atque in primis si simplex & solitarius morbus, sine causa interiore, sine symptomate proponetur curandus; simplex depromatur medicamentum, quod depellendo illi par sit viribus, & partem juuet. Si simplex nullum par morbo suppetat, ex multis vnum tale comparetur, quæ aut similium aut etiam contrariarum sint virium. Si basis quæ sit arte constituta, omniúmque optima, fuerit nihilominus vel ignaua nimis,

vel maligna; aliorum permiſtione iuuetur, & reliqua attexantur, quæ illius effectum promoueant. Cæterorum autem quæ baſis effectum fœlicitant, tum quantitas, tum vis minor ſit. Eorum verò quæ melioris vſus, vt ſaporis, odoríſque gratia induntur, multò quidem minùs vis elucere debet, aut baſi obſiſtere. Iam verò ſi morbus ſimplex quidem eſt, ſed quem interior quædam cauſa fouet, aut aliquod graue ſymptoma comitatur, vniuſcuiúſque profligandi conſtituenda quoque baſis eſt, cuius etiam quantitas, ex affectus magnitudine deſignetur; vt quò vehementior is fuerit, validiorem quoque baſim ſortiatur. Si prætereà morbi complures in vnam eandémque partem concurrant, cùm omnibus vnum æquè poſſit remedium opitulari, multò magis compoſitum id eſſe oportet, ex varijs baſibus, atque ex ijs quę illas vndíque perficiant conſtitutum. Si in varias longéque diſſitas partes varij morbi inciderunt, non æquè neceſſaria eſt compoſitio, cùm ſua cuique remedia ſeorſum pura aptari poſſint. Hæc

componendorum medicamentorum methodus est, ex ipsa quoque methodo medendi deprompta, quæ morbo depulso, corpus in naturalem habitum restituit.



EXAMEN PRACTICVM.

DISPVTATIO I.

DE RECTA CVRANDARVM Febrium ratione.

DECANVS.



ERDOCTE Candidate, Galenus cap. 6. lib. 9. Methodi Medēdi, *praeclarè scriptum reliquit,* Neminem *vllius artis scientiam nanciſci poſſe, niſi & methodum quandam habuerit per vniuerſalia theoremata, & in particularibus exemplis ſe exercuerit. Licet igitur hactenùs ex ſolertibus tuis reſponſionibus, vniuerſalem medendi methodum, Hippocratis & Galeni legibus conſentaneam, te conſequutum animaduerterim; adhuc tamen intelligere cupio,*

an æquè in singulorum morborum curatione versatus, eadem industria possis generalia medendi præcepta in specialibus exemplis exercere, adeóque theoriam in praxim traducere. Eo fine singulas febris species tibi curandas propono. Quæ ad propriam cuiusque febris idæam obseruanda, vnde indicationes sumendæ, quæ adhibenda remedia expromas velim, & qua ratione grauioribus succurrendū symptomatibus, quæ curationem ad se conuertunt, posthabita febre à qua prodeunt.

CANDIDATVS.

Quod à me postulas (obseruande Præceptor) ita arduum, vt id pro dignitate nequeat, nisi à Medico in artis operibus iamdiu exercitato præstari, omnes tamen ætatis & industriæ meæ neruos in eo contendam, vt mandatis tuis satisfaciam.

D. In primis ex te quæro quid sit Febris?

Quid Febris. C. Febris est calor præter naturam è corde in vniuersum corpus effusus, caloris natiui substātiam labefactans, omnésque functiones interpellans.

Febris definitio oppugnatur. *D. Contra hanc definitionem sic disputo: Quædam sunt febres frigidæ, ex Auicenna* Fen. 1. l. 4. de Febribus.

Ergo

Ergo febris omnis non est calor præter naturam.

C. Nego antecedens.

D. *Probo antecedens:*

Effectus est index suæ causæ:

Sed plurimæ febres corpus ita refrigerant, vt rigorem inducant, quales sunt tertianæ febres omnes:

Ergo febres quædam frigidæ.

C. Respondeo in inuasione tertianarum febrium corpus quidem rigore corripi, præ vehementiori cordis aliarúmque partium internarum calore, sanguinem & spiritus à partibus externis ad se cucurbitulæ instar trahente; sed calorem febrilem per vniuersum corpus subinde diffundi. Defenditur.

D. *At vehementior est vigente, quàm inuadente febre, calori discussus tamen tunc temporis in corpore rigor est.*

Quomodo hinc te extricabis?

C. Dico in ipsa febris apprehensione, dum materia morbifica turgens adhuc angustiori spatio conclusa, impetum facit, vt sese latiùs explicet, atque in ampliorem locum erumpere contendens acriter incandescit, in parte qua continetur, multò inten-

siorem esse feruorem, & ideò velut in subsidium spiritus & sanguinem aduocare; vnde refrigerato corporis habitu, rigor contingit: vbi verò in vniuersum corpus quoquouersum effusa est, atque hinc orta putredo vndique dispersa; feruorem in foco lõgè remissiorem esse: licet in cæteris partibus rigore liberatis vehementior febrilis calor sentiatur.

Obiectio. *D. Ergo febris nequaquam est calor in vniuersum corpus æquabiliter fusus?*

Responsio. C. Respondeo: Febrem ab ijs quibus continetur partibus, nisi prohibeatur, ad alias protinùs se exporrecturam, ac vniuersum corpus occupaturam.

Altera obiectio. D. *In febre Lipyria* (inquit Galenus) *simul extrema frigent, interna vruntur. Ergo Lipyria febris est externis partibus frigida, vt internis calida. In febre item Epiala quæuis pars corporis, eodem tempore, febrem & rigorem sentit. Ergo Epiala febris, quotidianæ continuæ species, à pituita vitrea, acidáve, ortus sui causam ducens, meritò frigida nuncupabitur.*

Responsio. C. Licet manus, pedes, totiúsque

corporis extima cutis, algeant in Lipyria ; nullibi tamen frigida febris dici poteſt, cùm acutiſſima febris exiſtat, cuius cauſa ſit ad magnitudinem phlegmones viſcera obſidentis referenda, *authore Galeno*. Ardoris námque vehementia ſanguinem, & qui in eo continentur ſpiritum atque calorem, ad ſe ex toto corpore attrahit; ideò ſummæ corporis partes exangues redduntur, atque frigidæ. Quamuis etiam frigoris caloríſque ſenſus in Epiala febre eodem tempore, eadémque parte contingat; impropriè nihilominus frigida febris appellabitur, quòd à portione vitreę pituitæ incenſa & putrente oriatur, frigus verò à reliqua eius parte non putrente, ne incenſa, ſed frigida manente. Si quidem non putris pituitę pars per vniuerſum corpus diſperſa rigorem concitat: quæ verò putruit, febrem accendit. Epiala æquiùs febris quotidana cenſebitur, quæ rigorem habet perpetuò comitem.

D. Quomodo vrgentioris huiuſce argumenti vim propelles?

Vnumquódque retinet naturam princi- Noua obiectio.

piorum ex quibus constituitur: vt corpora ignea, calida & sicca sunt; quia ex igne calido & sicco constant: aquea verò frigida & humida; quia ex aqua frigida & humida gignuntur:

Sed febres plurimæ à frigidis humoribus, vt pituita & melancholia gignuntur, quales sunt febres quotidianæ & quartanæ:

Ergo febres plurimæ sunt frigidæ.

C. Respondeo: Febrem, nec à pituita, nec à melancholia fieri, nisi putrescente; ac vtrúmque humorem per se licet frigidum, putrendo tamen calorem acquirere.

Solutio. Adeò vt nulla rectè possit frigida febris appellari, sed omnis in caloris genere subsistat, cùm tota febris essentia, calor sit præter naturam. Vnde rigor, horrórve intermittentium febrium, tametsi accessionis est initium, febris tamen haudquaquam censeri potest, quòd nondum calor sit incensus: neque per febrem exitialem partium extremarum frigus, è febris est essentia.

D. *Quódnam est febris subiectum?*

Subiectum febris quod. C. Febris subiectum est totum corpus, ac præsertim cor. Febris siqui-

dem est intemperies calida primùm cordis, ac per consensum totius corporis; cùm vitales imprimis, dein naturales, animalésque actiones lædat. Vt enim calor natiuus omnes functiones perfectas edit, sic febris omnes functiones interpellat, quòd vniuersalis morbus sit.

D. *Contra sic argumentor:*

Intemperies morbus est similaris, non organicus:

Sed febris ex te, est intemperies, eáque calida:

Ergo febris morbus est similarium partium proprius, non toti corpori communis? Obiectio.

C. Febris similaribus quidem partibus per se insidet, sed organicis, quę ex similaribus constant, communicatur; adeò vt morbus sit vniuersalis, cùm à febre omnes corporis partes incalescant. Solutio.

D. *Explanata febris definitione, ad eius differentias veniendum. Quot sunt febrium differentiæ?*

C. Multiplices sunt febrium differentiæ. Aliæ enim essentiales, aliæ accidentales: sed prima & maximè

propria desumitur è subiecto circa quod versatur febris.

Galenica febrium diuisio, ex subiecto desumpta.

E' triplici quippè subiecto, in quo consistit calor præter naturam, triplex febris à Galeno statuitur, Ephemera in spiritibus, putrida in humoribus, hectica in solidis partibus.

D. Contra sic disputo:

Obiectio.

Febris cùm morbus sit actiones per se lædens, in solidis tantùm partibus quæ actiones edunt consistere potest. Adde quòd morbus sit affectus corporis viuentis: in corpore autem nostro, neque spiritus, neque humores viuunt, sed partes solidæ duntaxat vita fruuntur:

Ergo febris nec in spiritibus, nec in humoribus collocanda est.

Responsio.

C. Respondeo: Partes solidas in omni quidem febre necessariò calefactas esse, sed in hectica primùm & per se, in Ephemera per contagionem spirituum, in putrida per consensum humorum. Adeò vt febris nomen acceperit ab eo quod primùm incensum est; vt accensis primùm spiritibus, Ephemera dicitur; accensis primùm humoribus putrida; & accensis

principiò solidis partibus Hectica. [Siquidem in Ephemera, cordis spiritus iam incaluerunt, humores verò ac solidæ partes dumtaxat calent: In putrida humores incaluerunt, & permanentem fixúmque obtinent calorem.] Triplicem istam substantiam Auicennas incalescenti comparat solidam lebeti, humidam aquæ lebete contentę, spirituosam vapori ex aqua elato.

D. Etsi Galenica febrium diuisio, ab earum subiecto sumpta, multis iam seculis increbuit, & à celeberrimis authoribus valde celebrata est; Ferneliana nihilominùs ex caloris præter naturam differentiis deprompta, multò videtur illustrior & perfectior, vt quæ omnes febrium species ambitu suo complectatur. Hanc igitur recense & persequere? Ferneliana febriũ diuisio, ex caloris præter naturam differentiis deprompta.

C. Tria febris, vt caloris præter naturam, prima summáque genera à Fernelio statuuntur, simplex, putrida, & pestilens. Simplex febris dicitur cuius calor elementarius solo incremento naturæ limites excessit: Putrida, cuius calor ex illuuie putrida emersit: & pestilens, quam venenata

pernicioſáque expiratio intulit. Simplicis verò febris tres ſpecies, ſolo caloris ſubiecto diſtantes, Ephemera, Synochus & Hectica. Putrida autem febris, ex putreſcentis humoris ſpecie atque ex ſitu, duplex conſtituitur, continua & intermittens. Continua iterum duplex, vna primaria, (concluſa nuncupatur,) quam accendit putreſcens humor in vaſis maioribus: altera ſymptomatica, quæ partis cuiuſpiam putredinem quaſi comes inſequitur, ſiue ex viſceris cuiuſvis eryſipelate fiat, quæ typhodes appellatur; ſiue ex phlegmone, quæ phlegmonodes: ſiue citra inflammationem à coërcito in viſceribus humore putreſcente oriatur, quæ nonnunquam acuta, ſæpiùs lenta eſt. Continua primaria duplex: vna ſine remiſſione, Synochus putris dicta, ὁμότονος, ἐπακμαστικὴ, ἢ παρακμαστικὴ, à ſanguine ex quatuor humorum æquabili permiſtione conſtituto, benéque temperato, in maioribus vaſis in putreſcente genita: altera ſtatis periodis remittens, quæ ex vincentis humoris natura, triplex perhibetur:

Tertiana continua, ſub qua cauſus continetur, ex ſanguine bilioſo: Quotidiana continua, ex ſanguine pituitoſo: & Quartana cõtinua, ex ſanguine melancholico, in maioribus vaſis putreſcente.

Intermittens febris alia ſimplex, alia compoſita, alia confuſa. Simplicis tres differentiæ: Tertiana ex bile flaua extra venas maiores putreſcente; Quotidiana ex pituita putri; Quartana ex atra bile pura ac ſeorſum putreſcente. Compoſita febris, vt Tertiana duplex, Quartana triplex, & Hemitritæos, quæ ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, conſtat. Confuſa febris non ex humore ſyncero, verùm ex pluribus vno extra maiores venas loco confuſis, paritérque putreſcentibus emergit, cuiuſmodi eſt Tertiana notha, ex bile atque pituita pariter corruptis.

Peſtilens febris non vno calore, ſed maligna pernicie aliàs ſpiritus, aliàs humores, aliàs partium ſubſtantiam contaminat. Hinc differentiæ exurgunt.

D. Erudite Candidate, cùm ad ægrum pristinæ sanitati restituendum vocaberis, quibus notis dignoscas an febricitet; & si febricitat, quo febris genere laboret?

Quibus notis dignoscatur febris.

C. Si pulsus celer ac frequens percipiatur, calor intus ac foris molestus, sitis ingens adsit, virium languor & imbecillitas, cum spontanea corporis grauitate aut dissolutione, ægrotantem febricitare prædicabo.

Ephemera.

Ac si repentè quidem prehendit febris sola euidentium causarum vi, sine rigore, horrore atque frigore, æqualísque est & ordinatus pulsus, calor tactu mitis & halituosus, vrina minimùm à naturali distat, nulláque sæua symptomata comitantur, laborantem Ephemera febre tentatum iudicabo.

Putrida.

Sed si pulsus inæqualis est & inordinatus, respiratio difficilis, calor acer & mordax, & qui tangentis sensum acriter feriat, vrina penitùs cruda, ac neutra corporis constitutio præcessit, Putrida febre correptum esse affirmabo.

Hectica.

Sin autem calor primùm ac per se in propriam partium solidarum sub-

ſtantiam infigitur, à vehementibus cauſis euidentibus, vt ab iracundia, mœrore, ingenti æſtu, improbo labore, diuturniori inedia, aut immodica venere ortus; exactóque triduo aut quatriduo, cùm Ephemera ampliùs dici nequeat, febris perſeuerat æqualis, citra inſignem vel minutionem, vel additionem, niſi horâ vnâ, duabúſve ab ingeſto cibo, Hectica tum perhibebitur; quæ ſimul ac humidum primigenium depopulatur, clariùs innoteſcit ex manifeſta corporis colliquatione, immodica oculorum cauitate, extrema temporum macie, plumbeo faciei colore, cutis ariditate ac duritie, ventris depreſſione, pulſu duro, debili, paruo ac frequenti, vriníſque pinguibus.

DE EPHEMERARVM
Febrium curatione.

D. *Quotuplex eſt Ephemera febris?*

C. Duplex: vera, & ſpuria. Quotuplex Ephemera febris.

D. *Quænam vera tibi videtur Ephemera?*

C. Quæ à cauſis procatarcticis corpus per ſe excalfacientibus & exiccantibus infertur, vt à ſolis æſtu, Quæ vera Ephemera.

vehementi corporis aut animi motu; inedia, vel immodica venere. Hæc enim pura & legitima Diaria est, nec vnquam diem naturalem prætergreditur.

D. *Quam Ephemeræ veræ curationem adhibebis?*

Cur veræ Ephemeræ curandæ indicatio simplex.

C. Cùm pura Ephemera sit simplex febris, simplicem mihi proponam curationis indicationem, à morbi essentia petitam, alterationem nimirum, quę completur refrigerantibus & humectantibus.

Quomodo causa externa contrario propellenda.

Contrarium nihilominus causæ externæ, à qua fuerit orta, remedium adhibebo. Vt si à solis ardore profecta sit, iulepum præscribam violatum, aut rosatum, Alexandrinúmve, cui succus limonum sit affusus, ad sitim compescendam.

Quinetiam oxyrrhodinum fronti & temporibus imponam, ad placandum capitis dolorem.

Si ab ira, præsidiis refrigerantibus & humectantibus, bilis feruorem contemperabo.

Si ab immodica exercitatione, quietem imperabo.

Si à lassitudine, mollibus frictionibus artuum dolorem mulcebo.

Si à vigiliis immodicis, somnum hypnoticis conciliabo.

Si ab inedia, aut immodica venere, cibum decernam euchymum & eupeptum, vt hordei cremorem, iusculum carnis boni succi, refrigerantibus herbis alteratum, cum vitellis ouorum. Pro potu ptisanam, vel pomaceum, vel vinum album, tenue, benè dilutum, vt parum calfaciat, ac vrinas & sudores promoueat.

D. *Quaenam spuria censetur Ephemera?*

C. Quae à cruditate ex nimia alimēti repletione, vel ab excernendorum retentione contrahitur, & ad plures dies nonnunquam extenditur, adeò vt grauis metus sit, ne in Synochum degeneret. Quae spuria Ephemera.

D. *Quam Ephemerae spuriae curationem instititues?*

C. Quoniam Ephemera notha gignitur à vitiosa materia, vel aliunde suggesta, vel ab excernendis in corpore retentis profecta, duplex mihi ante oculos obuersabitur curandi in- Cur nothae Ephemerae curandae indicatio duplex.

dicatio, materiæ morbificæ euacuatio, & febris alteratio.

Itaque si Ephemera intra 24. horas sudore, madoréve non soluatur, imò auctior; ac calor pro miti acer euadat: ne in Putridam transeat, venæ sectione & purgatione causam eius antecedétem rescindam, calidámque & siccam intemperiem refrigerantibus & humectantibus alterabo.

Si à crapula & ebrietate procreata sit Ephemera, refrigerantem ac longè tenuissimam diætam instituam, atque vomitionem, aut alui deiectionem procurabo, tandem ventriculum sumptis & admotis roborabo.

Si ex retenta fuligine ob adstrictam cutem, balneo aquæ dulcis cutem reddam laxiorem, liberéque transspirabilem.

Si à suppressis hæmorrhoïdibus, aut mensibus, illis ciendis prorsus incumbam.

DE HECTICARUM *Febrium curatione.*

Transitus ab Ephemera ad Hecticā. *D. Ab Ephemera protinùs ad Hecticam progrediamur, quia inter vtrámque magna intercedit necessitudo.*

Dic mihi ingenuè, an Febris Hectica tibi videatur curabilis?

C. Distinguo. Hectica incipiens, curabilis est: confirmata verò, quę μαρασμώδης dicitur, prorsus est incurabilis. Quæ in vtriúsque medio collocata est, difficillimè curatur. Cùm enim febris Hectica primum gradum non excessit, haud difficulter curatur; quia alimentarius humor roris instar effusus, quem calor febrilis in solidis partibus accensus depopulatur, idoneo alimento resarciri potest. Hectica quæ curabilis.

Cùm verò secundum magnitudinis gradum iam attigit, adeò vt calor increscens carnem absumat, quæ inania refercit spatia inter similarium partium fibras, non ita facilem curationem admittit nequaquam tamen incurabilis, quia carnosa substantia instaurari potest. Quæ curatu difficilior.

Sed cùm tertium magnitudinis gradum adepta, & iam ad marasmum perducta, humidum radicale depascitur, penitùs immedicabilis. Per hanc enim spiritus insitus, atque calor natiuus qui in eo humore radicali residet, omnísque hinc prodiens facultas Quæ prorsus incurabilis.

magnam fecit virium iacturam. Hinc & corporis vires omnes marcescunt & languent, omnésque functiones intercidunt. Prætereà cum febris Hectica non est simplex, sed composita, vt quæ putridam febrem longè acutissimam excipit, quia putredinem habet coniunctam, exigua salutis spes affulget. Nam cùm sit ex putrida febre profecta, putredinis etiámnum particeps est. Itaque vix vllus curationi relinquitur locus, quia indicationes inter se pugnant. putrida enim febris cui complicatur, euacuantia requirit, quæ in Hectica noxia sunt. Item si Hectica febris sit symptomatica, vt ea quæ prauam partis cuiuspiam affectionem consequitur, velut vlcus pulmonum, empyema thoracis, phlegmonem iecoris, lienis, ventriculi, renum, vel intestinorum, præsente morbo, cuius symptoma est, curari non potest. At quantò pars, à qua oritur Hectica, ignobilior est; tantò tardiùs Hectica mortem infert; quantò verò nobilior, tantò citiùs iugulat.

D. Quænam obseruationes sunt in cura febrium Hecticarum animaduertendæ?

C. In cura Hecticæ imprimis obseruandum, num primaria sit, vel symptomatica, id est à praua viscerum affectione, vt symptoma, dependens. Si primaria, num simplex sit, aut complicata cum febre putrida. Si symptomatica sit, dirigenda sunt remedia ad particularem morbum, à quo oritur. Obseruationes in cura Hecticæ febris animaduertendæ.

Si sit complicata cum putrida febre, aperiendæ sunt obstructiones, putredo emendanda, & putridus humor purgatione & venæ sectione vacuandus, non neglecta tamen febre Hectica, cui simul est occurrendum suis propriis remediis.

D. Quomodo simplicem Hecticam curabis?

C. Si Hectica simplex & solitaria sit, nullique alteri affectui copulata, vnicus erit curationis scopus, nempe alteratio. Partes enim solidæ præter modum exsiccatæ & extenuatæ, nec venæ sectione, nec purgatione amplius desiccari postulant, sed idonea victus ratione refici debent. Itaque ad Hecticam simplicem curandam, febris qualitatem alterabo refrige- Quamethodo Hectica febris curanda.

rantibus & humectantibus tum intrò sumptis, tum admotis, & extenuatum corpus alimentis euchymis instaurabo.

D. Quam igitur victus rationem Hecticafebre laborantibus instituendam censeas, particulatim exprime?

Victus ratio Hecticis instituēda.

C. Aër cubiculi sit modicè frigidus. Si fuerit calidus, arte refrigeretur, ne ex calida inspiratione cor magis accendatur. Somnus sit nec longior, quia viscerum calorem auget, dum externarum partium calor foris intrò repit; nec breuior, quia corpus magis exsiccat. Minùs tamen incommodi ex paulò longiore, quàm ex plus iusto breuiore oritur; quòd in hac febre summa sit viscerum & partium solidarum ariditas, quam humectat somnus. Vitetur omnis vehemens motus tum animi, tum corporis, vt qui calorem febrilem & siccitatem augeat. Exhilaretur æger quantum fieri poterit. Nutriatur alimentis refrigerantibus & humectantibus, & citò alentibus, vt iusculis comparatis ex decocto pulli, caponis, vituli, veruecis, &c. in quibus hordeum sine

cortice, lactuca, & portulaca coxerint, ex vitellis ouorum, carne vituli, porcelli, phasiani, cuniculorum, lepusculorum, & similium. Præferantur elixa assis. Assa enim faciliùs inflammantur, & in bilem vertuntur, elixa magis humectant. Si tamen æger assis delectetur ea minus coquenda sunt, vt minus exsiccent, & temperanda succo limonum, citrii, arantiorum. Commendantur etiam pisces, quia refrigerant & humectant, sed saxatiles, tenera carne prædit, qui in mari aut aquis puris viuunt. Aues item montanæ. Vitentur verò palustres, omnia deníque calida sicca, vt allium, cæpe, item salsa & piperata, & quæ glutinosum excrementitiúmque sanguinem generant. Inter fructus poma conceduntur, quia frigidum sanguinem gignunt, dulcia gratiora sunt, acida magis refrigerant. Conueniunt pyra cocta, & passulæ. Nocent ficus, quia prauum sanguinem gignunt, vt & amygdalæ, nuces, & quæ facilè inflammantur, vt butyrum & mel.

Controuersia proponitur.

D. Sunt qui contendant infirmam esse

Hecticis attracticem & coctricem facultatem, ratione siccitatis, quæ non modò partes inualidas reddit ad attrahendum & coquendum, sed & alimenti distributionem impedit: ob id Hecticis liquidiora alimenta præscribunt, quòd facilius concoquantur & distribuantur. Nonnulli contra censent Hecticis ob infixum in solidis partibus calorem, attrahendi facultatem validam esse. Satis (inquiunt) *calfacta corpora attrahunt, sed quod attraxerant, statim absumunt. Ob id præscribunt Hecticis alimenta solidiora & viscosa, vt extremas animalium partes, videlicet pedes vituli, veruecis, porci, carnes limacum, ranarum, cancrorum. Has enim carnes (inquiunt) cùm sint viscosæ & humidæ facilè agglutinantur partibus hectico calore obsessis, nec facilè dissipantur ab ardore febrili. Præterea siccitatem solidarum partium diutiùs remorantur. Alij verò hæc alimenta reijciunt, quia ægrè concoquuntur, ac ventriculo negotium facessunt. Quomodo hanc litem dirimes?*

Soluitur. C. Hanc controuersiam ita soluo. In incipiente Hectica, dum adhuc robusta & facultas coctrix, conueniunt hæc solidiora alimenta viscida & hu-

mida: At in confirmata, quia partes naturales sunt imbecilliores, non sunt exhibenda, cùm difficulter concoquantur. Sed quoniã vires sunt prorsus deiectæ, æger nutriri debet gelatina, expressis carnium euchymarum, destillatis restauratiuis, sic dictis, quia vires fractas restaurant; necnon & clysteribus nutrientibus.

D. Destillati restauratiui formulam exhibe?

C. ℞. decocti capi cum herbis refrigerantibus alterati ℔. j. micam panis vnius albi in lacte infusi ℔. ß. destillentur alembico vitreo in balneo marino. Destillati liquoris] libræ vni adde sacchari albi ℥. iiij. cinnam. ℥. ß. Colentur per manicam hypocraticam. — **Destillati restauratiui formula.**

D. Clysteris nutrientis formulam præscribe?

C. ℞. decocti pulli, vel carnis vitulinæ, vel capitis veruecis quart. iij. in quibus dissolue sacchari albi ℥. iiij. vitellos ouorum n. ij. fiat clyster iniiciendus horâ pastui dicatâ. Nec mannam, nec cassiam addidi, ne vim expultricem exstimularet. Parua — **Clysteris nutrientis formula.**

item enematis quantitas à me præscripta; quia maior cõpressis intestinis vim expultricem prius stimularet, quàm ad iecur facta sit attractio.

D. *Quódnam Hecticis alimentum tibi videtur longè conuenientissimum?*

Cur lac Hecticis alimentũ sit conuenientissimum.

C. Cùm Hecticis alimentum concoctu facile, euchymum & multùm nutriens conueniat, ídque liquidum & tenue, vt meatus corporis ob siccitatem contractos facilè subeat, & ob febrem nonnihil refrigeratis: lac autem his omnibus dotibus præditum sit, Hecticis certè inter omnia alimenta conuenientissimum est. Lac enim facilè coquitur, laudabilis alimenti multum præbet, humectat & reficit, suóque sero nonnihil refrigerat.

Quódnam lactis genus eligendum?

Quod lactis genus eligendum.

C. Cùm multa sint lactis genera, eligendum præ cæteris muliebre, quia naturæ nostræ magis cognatum est, & familiare, magísque nutrit, ac vtilius erit si ex ipso vbere sugatur; & ita calens è mammillis in ventriculum descendat. At quia multi ab eo lacte abhorrent, in eius locum vacci-

no vtendum, vel asinino, aut caprillo. Vaccinum, quia crassissimum est, pleniùs nutrit; ideò si à butyro expurgetur, non erit inutile. Nam id à quo butyrum extractum non est, facilè ratione butyri inflammatur. Præfertur tamen asininum, id enim cùm sit tenuissimum & liquidissimum, vtpotè casei & butyri minùs particeps, non ita facilè coagulatur in ventriculo; & ratione suæ tenuitatis, facilè quoquouersum distribuitur, seróque suo calorem febrilem temperat. Minùs tamen nutrit quàm muliebre & vaccinum: Vt autem asininum lac pleniùs nutriat, asina in stabulo retinetur, alitúrque hordeo excorticato & secali. Sic enim redditur crassius & minùs serosum, minúsque aluum turbans: Caprillum tamen magis temperatum, ideò minùs flatum gignit, minúsque aluum soluit. Capra enim adstringentibus magna ex parte vescitur, vt arborum extremitatibus. Lac autem cuiuscúmque animalis sit, debet esse optimum & laudabile.

D. Quibus notis optimum & laudabile lac internoscitur?

Notæ lactis optimi & laudabilis.

C. Optimi & laudabilis lactis hæ notæ sunt: Crassities moderata, ita vt instillatum in vnguem nec tardiùs nec citiùs effluat, color albus, odor grat⁹, sapor nec amarus, nec acidus, nec salsus, sed dulcis. Si animal à quo mulgetur floreat ætate. Iunioris enim animalis lac liquidius est, senioris siccius. Si sanum item sit animal, non morbosum.

D. Quomodo morbosum cognoscitur?

C. Morbosum dignoscitur ex pili raritate, ex tuberculis per cutem erumpentibus ex impetigine, scabie & cibi penuria.

Sunt qui lac nigri animalis præferant lacti albi.

D. Quæ in lactis vsu cautiones adhibẽdæ?

C. Lac non debet exhiberi Hecticis, qui valdè febricitant.

Cautiones in lactis vsu adhibendæ.

Lac enim ab igneo febris calore facilè assatur & corrumpitur, adeóque febrem auget. His etiam Hecticis non debet præscribi, quibus hypochondria murmurant, & qui capite dolent. Vaporosum enim cùm sit, caput facilè replet; & his qui diarrhæa laborant. Quibus autem prodest, danda

est

est opera, vt inducta in cubiculum asina, illud quàm recentissimè mulctum, & calens adhuc, è mammillis hauriatur. Nam cùm tenui substantia sit præditum, si in aëre, vel minimùm, moretur, facilè corrumpitur.

D. Quomodo corrumpitur?

C. Lac dupliciter corrumpitur, aliàs assatum, aliàs acescens.

Assatur ab adurente ventriculi calore. Acescit verò & cogitur ab imbecillo eiusdem calore.

D. Quomodo assari in ventriculo percipies?

C. Ex ructu nidoroso, simili ei qui ex ouis frixis malè in ventriculo coctis erumpit; & ex pulsus mutatione, qui languidior, tardior, & rarior euadit.

D. *Quomodo acescere & cogi cognosces?*

C. Ex acido ructu, ex inflatione & distensione ventriculi, & torminibus intestinorum.

D. Quomodo vtrique vitio occurritur?

C. Si vritur in ventriculo, incoquenda aquæ portio cum lacte: sin cogatur & acescat, saccharum lacti admiscendum; non autem, mel aut

ſal; licet vtrúmque lactis concretionem impediat, ac celeriorem lactis in inteſtina deſcenſum efficiat, quia mel & ſal Hecticis noxium eſt.

D. Satis ſupérque de lactis qualitate diſſeruiſti: nunc de eius quantitate, bibendíque modo & tempore, aliquid dicendum?

Quãtitas lactis, eiuſque bibendi modus ac tempus.

C. Primis diebus periculum fiat menſuræ lactis conuenientis, datis primùm eius vncijs quatuor, quas ſi probè concoquat, ſenſim augeatur ea quantitas ad ℥. viij. & ſic deinceps. Vſque ad ℔. j. Offerri autem debet mane, & vacuo ventriculo, quem purum requirit, non ſolum ab omni excremento, ſed etiam ab omni cibo. Nam cibis miſtum, facilè corrumpitur.

D. Sumpto lacte, quid agendum?

An lacte hauſto dormiendum, vel deambulandum.

C. Nonnulli ſuper dormiendum eſſe cenſent, quia ſic magis humectat & nutrit. Alij ſomnum obeſſe putant, quòd eo ſuperueniente lac in nidorem facilè vertatur, & tardiùs digeratur, capútque magis repleat. Itaque lacte hauſto leuiter deambulandum eſſe contendunt, vt citiùs in inteſtina deſcendat.

Quam lactis bibendi rationem Hecticis vtiliorem sentias, breuiter complectere?

C. Lac quod dabitur Hecticis mulceatur in cyathum, qui in alio vase aqua calida pleno cótineatur, ne lac tepidum suum calorem deponat, & in cyathi fundo, sacchari albi aut rosati conueniens portio ponatur; deinde lac linteo mundo transmittatur, & adhuc tepidum quàm ocyssimè hauriatur, tanta quantitate, quantam coquere ventriculus potest; ídque manè, ieiuno stomacho, aluóque exonerata. Æger post eius haustum decumbat in lecto ad duas aut tres horas, neque tamen dormiat. Posteà se exerceat leui deambulatione per cubiculum, nec prandeat, donec lac probè coctum à ventriculo secesserit. Recta lactis bibendi ratio summatim exprimitur.

D. Hactenus interna recensuisti remedia quæ sunt Hecticis exhibenda, nunc quæ sunt extrinsecus adhibenda persequere.

C. Inter externa auxilia celebrantur balnea aquæ dulcis tepidæ, in qua remollientia & refrigerantia fuerint decocta. Tandiu in singulis manebit æger, quandiu vires ferent. Balnea hecticis cóueniētia.

A balneo exiens superiniecto toti

corpori linteo in lecto collocandus. Dein molliter linteis calidiusculis detergendus est. Posteà inungendus oleo violarum, amygdalarum dulcium, cum butyro insulso. Mox illi iusculum propinandum, aut vitellus oui porrigendus; quo sumpto, si possit, somno indulgeat.

Quid à balneo moliendum.

Admouentur etiam hepati & lumbis epithemata refrigerantia & humectantia.

D. Si febrem Hecticam alui fluor, aliáve grauia symptomata comitentur, quid moliendum erit?

Epithemata quæ & vbi adhibenda. Quomodo alui fluor hecticæ superueniens, sit compescendus.

C. Si febris Hectica alui fluorem habeat comitem, ille adstringendus erit vsu syrupi cydoniorum, & rosarum siccarum, carnis cydoniorum sacchar o conditæ, oryzæ in lacte coctæ, & lactis præbulliti, in quo ferrum candens fuerit extinctum. Si alia molesta occurrant symptomata, accommodatis remedijs erunt profliganda.

DE SYNOCHON CVRATIONE.

D. Hactenus de febribus, quæ spiritibus ac solidis partibus insident: ad eas nunc transeundum, quæ in humoribus accen-

duntur, inter quas prima occurrit Synochus. Quotuplex est Synochus?

C. Duplex: vna simplex, altera putrida. Quotuplex Synochus.

D. Quid Synochi simplicis nomine intelligitur?

C. Febris, quæ fit à sanguine duntaxat efferuescente, & in maioribus venis ebulliente, nullam adhuc putredinem adepto. Vnde imputris nuncupata est. Quid Synochus simplex.

D. *Quid Synochus putrida?*

C. Febris à sanguine in maioribus vasis non modò incalescente, verumetiam putrescente, contracta. Quid putrida.

D. Quibus signis dignoscitur ab imputri?

C. Morbi magnitudine & symptomatum vehementia, vrinis crassis, rubris ac turbidis, atque caloris acrimoniâ. Synochus quippe putris causam habet eandem, quam imputris, sed validiorem; quæ non solùm sanguinem excalfacit, sed præterea corrumpit. Quibus signis Synochus putris ab imputri dignoscatur.

D. Vnde vtráque gignitur?

C. Ab obstructione meatuum, præ sanguinis plenitudine, cuius causis & A qua causa vtráque excitetur.

notis manifestè se prodit.

D. Quínam Synocho maximè obnoxij?

Qui Synocho obnoxii. C. Qui bene temperati naturâ sunt, sed intemperanter viuunt, genióque indulgent.

D. Quotuplex in Synochi curatione proponitur scopus?

Quotuplex curationis scopus. C. Duplex: primus in plethora, febris causa demenda consistit: alter in calore febrili alterando.

D. Quænam ad vtrúmque pertingendum adhibenda sunt remedia?

Maxima Synochi remedia. Cur in Synocho mittēdus sanguis. C. Duo præstantissima traduntur à Galeno: sanguinis missio, & aquæ liberalior potio. Necessaria quippè venæ sectio ad febris causam tollendam, internum incendium extinguendum, sanguinem ebullientem à putredine vindicandum, & inuadentem putredinem arcendam.

D. Quantum sanguinis mittendum esse censes?

Qua quãtitate. C. Galenus ad animi deliquium vsque, sanguinem euacuari iubet: si vires ferant, & ætas permittat.

Quomodo. D. *Nos tamen ad animi deliquium vsque, sanguinem nequaquam mittimus as-*

ſtatim, ſed quantum ſatis viſum fuerit, tantum principio detrahimus: quod defuit, interiectis ſex, aut octo, aut duodecim horis, iteratione ſupplemus; quia ex Hippocrate, Aph. 51. lib. 2. τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, σφαλερόν· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές: *plurimùm atque repentè euacuare, periculoſum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt.*

Adde quòd euacuatio ratione ſuperflui tantùm fiat, (vt ait Auerrhoïs;) *adeò vt ſuperfluus duntaxat ſanguis euacuari debeat. At in euacuatione ad animi deliquium vſque, naturalis ſanguis detrahitur. Satius autem eſt, vt caloris præter naturam aliqua portio relinquatur, quàm caloris natiui iacturam facere. Quando mittendus ſanguis eſt?*

C. Statim, quacúmque hora fuerit accerſitus Medicus, etiam noctu; quia metus eſt ne ſanguinis copia ægrum ſuffocet, aut in partem aliquam principem irruens, phlegmonem in ea excitet, aut putredinem accerſat. Sed, cùm optio datur, matutinum tempus opportunius eſt. Et quando.

D. Pergamus ad alterum remedium à Galeno præſcriptum.

Cur liberalem frigidæ potionem tantoperè commendat?

Cur aqua in Synocho liberaliter exhibenda.

C. Quia largo frigidæ potu calor igneus extinguitur, ac solidæ partes adeò roborantur, vt inutiles humores, per aluum, vel per vrinas, aut per sudores protinùs excernant.

Obiectio.

D. *At Hippocrates 3. de victus ratione, frigidam tardè meare perhibet; ideóque nec aluum, nec sudorem mouere, sed potiùs adstringere.*

Responsio.

C. Respondeo: Eam nonnisi per accidens vacuare, solidis scilicet partibus roboratis. Partes enim solidæ humectatę & refrigeratę vaporem emittunt, è quo fit sudor. Sic quotidie videmus post liberalem aquæ haustum, sudorem è toto corpore erumpere, & aluum fluere.

D. Quando frigida potio in Synocho exhibenda?

Quando frigidæ potus in Synocho ex vsu sit.

C. Exhibenda frigida est, si Galeno credimus, cùm declinat Synochus, manifestis signis in vrinis & pulsu apparentibus, quod non ante quartum morbi diem contingit. Eius quippè vsum priùs non concedit; ne humorem, qui febrem facit, refrigeret, in-

craſſet, & coctu difficiliorem reddat.

D. At nos experientia edocti, coctionis ſigna non expectamus; quia interea æger periclitatur, & ſerius futurum ſit auxilium: ſed primis diebus largum eius vſum ijs concedimus, quibus nec tumor, nec obſtructio inſignis, aliáve praua diathesis in viſceribus ſubeſt. Quænam in eius exhibitione cautiones obſeruandæ?

C. Nō dãda iis qui craſſis humorib⁹ abũdãt, & viſcera iãdiu habẽt obſtructa, aut phlegmone obſeſſa: Nec ijs quibus princeps aliqua pars præ peculiari quodam vitio infirma eſt: nec ijs qui exiguum ſanguinem carnémque obtinent: nec ijs qui ab eius potu lædi conſueuerunt. Protinus autẽ æger, vbi hauſit aquam, operiatur multis ſtragulis, vt ſudorem recipiendum cogatur; aut ſtatim ab eius hauſtu, digito in fauces altè immiſſo, ad vomitum ſe prouocet. Cohibita enim tanta frigidæ quantitas ſummo periculo natiuum calorem cum febrili pariter extingueret, aut ſaltem hepatis functionem impediret, ſpirandi & deglutiendi difficultatem, tumorem, conuulſionem, Cautiones in frigidę potu adhibendæ.

&alia id genus symptomata inferret, quin & meatus obstruens, & morbi materiam impingens, morbum diuturniorem faceret.

D. Soláne φλεβοτομία, καὶ ψυχροποσία, Synochus tibi curanda videtur?

Alia Synochi remedia.

C. Alijs etiam remediis feruorem sanguinis temperantibus oppugnari debet, vt iulepis & apozematis refrigerantibus & humectantibus; epithematis ex rosarum, plantaginis, cichorij, & solani aquis, aceto rosato, ac puluere elect. trion-santalon, & camphoræ paratis, hepatis regioni adhibitis, atque frontalibus fronti & temporibus admotis, quæ tamen diebus criticis, vt 4. 7. 11. & 14. tollenda, ne hæmorrhagiam è naribus, quæ febrem soluere consueuit, impediant. Emulsio etiam Synocho apprimè vtilis.

D. *Emulsionis paradigma exhibe?*

Emulsionis formula.

C. ℞. 4. seminum frig. maior. recentium & mundatorum an. ʒ. ij. sem. lactucæ & papau. albi an. ʒ. j. amygdalar. dulç. expurgat. in aqua rosarum maceratarum ℥. ij. tundantur omnia pistillo ligneo in mortario

marmoreo, affusa sensim ℔. j. aquæ decocti hordei, fiat emulsio quæ dulcorabitur syrupi violati ℥. iiij. Idonea insuper viuendi lex accuratè obseruanda.

D. *Quænam Synocho laboranti victus ratio instituenda?*

C. Victus refrigerans, humectans, atque tenuis conuenit; quia magna sanguinis copia febrem excitat. Interdicendus ergo vsus vini, carnis, ouorum, & cæterorum alimentorum calidorum. Vtatur æger iusculis ex herbis refrigerantibus, omphacio & butyro paratis, prunis acidis coctis, pomis coctis, hordeo mundato. Gelatina nihilominùs exhibeatur, si adsit virium imbecillitas. Potus sit aqua simplex cocta, vel cruda, in quam panis mica fuerit immersa, eadémque crebrâ transfusione ab vno vase, in aliud vas attenuata, vel ptisana, vel pomaceũ. In siti iulepus rosatus Alexãdr. erit ex vsu, vel oxysaccharum, ex aquæ præbullitæ ℔. iiii. sacchari ℔. j. aceti ℥. iiij. Minus tamen aceti ponatur, si ęger sit gracilis & attenuatus; & quò maior est calor, eò Victus ratio Synocho laboranti conueniens.

minus sacchari adiiciendum est, ne in bilem vertatur. Si astrictior sit aluus, iniiciatur enema emolliens, refrigerans, & humectans : vel detur bolus è cassia, vel infusio rhabarbari & foliorum Oriental. in decocto radicum cichorij, oxalidis, oxylapathi, foliorum lactucæ, portulac. capil. Ven. seminum frig. maior. prunorum, tamarindorum & hordei.

D. *Quomodo Synochus indicatur?*

Quomodo termi-netur Synochus imputris. C. Synochus simplex magna ex parte solo sanguinis fluxu per nares, interdum per venas hæmorrhoïdales facto, tutò terminatur; idque intra 3. 4. 5. 6. & 7. diem, nisi mutetur in Synochum putrem. Tuta enim & commoda crisis ea est, quæ morbi materiam detrahit. Materialis autem Synochi causa est sanguis. Ergo solum sanguinis profluuium hanc Putris. febrem perfectè iudicat. At Synochus putris non modò sanguinis fluxu, sed & copiosa sudorũ profusione, & bilioso alui profluuio, vt aliæ febres putridę, iudicatur. Itaque diebus contemplatoriis & decretoriis naturæ conatus accuratè obseruandus.

D. *Quid à crisi moliendum?*

C. Si sanguis copiosè profluat è naribus, aut vberrimus sudor erumpat, aut alui profluuium succedat, ægérque postea benè se habeat, signum est crisim fuisse perfectam, túncque nihil moliri debemus, *lege Hippocratis 20. lib. 2. Aphoris.* Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, nec mouere, nec aliud quidquàm nouare, siue pharmacis, siue alijs erethismis, sed sinere, oportet. Tantùm victu euchymo, & quiete vires collapsæ reparandæ. Quòd si crisis fuerit imperfecta, & aliqua sit recidiuæ suspicio, præscribenda erit purgatio humori peccanti accommodata; quia quæ relinquuntur in morbis post crisim imperfectam, recidiuas facere consueuerunt, vt habetur *Aph. 12. l. 1.* Quid post crisim moliendum.

D. *Nónne Synochus quandóque tibi visa maculis purpureis aut alio colore præditis stipata?*

C. Persæpè. Verùm illa nequaquàm simplex, sed venenati aëris & malignitatis particeps est. Synochus purpureis maculis comitata.

D. *Quibus auxilijs huic venenatæ lui obsisteres?*

Quibus præsidiis oppugnãda.

C. Cardiacis remedijs tùm intrò sumptis, tum extrà admotis.

D. Cardiacorum formulas exhibe?

Cardiacorum formulæ.

C. ℞. aquarum cardui benedicti, scabiosæ, vlmariæ, pimpinellæ, ana ℥. iij. aquæ theriacalis ℥. iiij. succi citriorum q. s. fiat iulepus quo sæpiùs æger vtatur.

Aqua item theriacalis per se, vel cum syrupo violato, vel de limonibus exhibeatur.

Aquam verò theriacalem sic componerem:

℞. oxalid. M. ij. buglоss. borrag. pimpinell. ana. M. j. rasuræ cornu cerui ℥. j. fiat decoctio cum carne capi ad ℔. j. deinde pone in alembico vitreo, addendo theriac. ℥. iij. mithridat. ℥. j. ß. conseru. buglos. borrag. vetonic. ana ℥. iij. aquar. scabiosæ, morsus cardui benedict. an. ℥. iiij. fiat destillatio lento igne.

Extrinsecùs verò, cordis & hepatis regioni, carpísque manuum ac fronti, opiata ex conseruis rosar. violar. ocellorum, theriaca, mitridatio, & similibus, concinnata, super linteum extensa admoueatur.

D. Quid maculæ purpureæ portendunt?

C. Cùm die critico, coctionis signis concurrentibus, apparent rubicundæ maculæ, nec intrò remeantes citò disparent, sed persistunt, res ægri benè se habet, si cardiacis natura corroboretur, sudórque posteà erumpat. Maculæ boni ominis.

At si ante coctionis signa, die non critico maculæ se produnt, liuidæ, aut violaceæ, aut subitò disparent, intróque recurrunt, perniciem minantur. Maculæ mali ominis.

DE CONTINVARVM Febrium curatione.

D. Quomodo continua febris, συνεχὴς Græcis dicta, à continente, quam σύνοχον vocant, discernitur?

C. Licèt vtráque à sanguine in maioribus vasis accenso ducat originem, continua tamen plurimùm à synocho discrepat; quòd in hac nulla statis periodis manifesta percipiatur excandescentia, nulláque feruoris remissio, donec omninò soluatur: illa verò periodicam habeat exacerbationem atque remissionem, vel singulis diebus, vel tertio, quartòve die, aut inordinatè moueatur. Hinc continua quotidiana, vel tertiana, vel quarta-

Quo differat continua febris à synocho.

D. Quinam sunt febri continuæ obnoxij?

C. Vt Synochus non nisi in natura temperata, quæ multo sanguine eóque mediocri abundat, & quæ carnoso est habitu, gigni solet; ita & putrida continua, iis duntaxat obtingit, qui ab hac mediocritate desciscunt; nimirum biliosis, vel melancholicis, aut pituitosis. Qui febri continuæ obnoxii.

D. Sub qua febris specie, Ardens, Græcis καῦσος dicta, comprehenditur?

C. Etsi Causus perinde ac Synochus sine remissione assiduò fatiget, sub continua tamen biliosa continetur: quod nunquam temperatis naturis; sed biliosis, iuuenibus, æstate, tertianæ instar, accidat. Verum deürente calore, siti inexplebili, aliísque sæuioribus, quàm tertiana, symptomatis, est comitata; quia magnis vasis cordi vicinioribus insidet: adeò vt putris humor accensus, aut vapor ex eo suscitatus, ipsum indesinenter attingat. Sub qua febris specie Causus continetur.

D. Quotuplex in putridarum continuarum curatione proponitur scopus?

C. Triplex: primus, vt putrescens in maioribus vasis humor continuæ fe- Quot curationis scopi.

bris author vacuetur: secundus, vt calor febrilis alteretur: tertius, vt grauiora febris symptomata mitigentur.

D. Quanam remedia sunt ad hos curationis scopos assequendos adhibenda?

Quibus remediis ad curationis scopos perueniatur.

C. Phlebotomia tùm ad humoris putrescentis vacuationem, tum ad febrilis ardoris refrigerationem, tùm ad symptomatum mitigationem administranda; Purgatio ad cacochymiam educendam porrigenda. Victus ratio refrigerans & humectans, ad calidam & siccam intemperiem corrigendam instituenda. Zulepia & apozemata calorem febrilem contemperantia, corpúsque alterantia, præscribenda.

Epithemata refrigerando & roborando hepati admouenda.

Sæuiora insuper symptomata peculiaribus auxiliis demulcenda.

D. Quando phlebotomia tibi videtur administranda?

Quo morbi tempore secanda vena.

C. Animaduerto hodie plerósque Medicos in omnibus morbi temporibus licenter phlebotomiam celebrare; an κατ' λόγον, faciant, tuum sit iudicium, Præceptor obseruande, quià

40. annis Medicinam cùm Proceribus nostri sæculi magna cum laude fecisti.

D. Hippocrates morbi quidem principiò venam secare iubet : in vigore verò prohibet, hac aphoristica lige:

Ἀρχομένων τῶν νόσων, ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν, βέλτιόν ἐστι.

Siquidem in curandis febribus putridis administranda initiò phlebotomia, ad plethoram remouendam, quæ obstructionis, ac proinde putredinis, causa est. Cùm enim id quod indicatur adest, tum datur occasio adhibendi id quod indicatur. At sanguinis plenitudo, quæ morbi initio adest, sanguinis vacuationem indicat. Contraria quippe in curandi ratione contrariorum sunt indicantia. Contraria autem est sanguinis vacuationi, sanguinis plenitudo. Ergo morbi principio, sanguinis detractio conuenit, dum vires adhuc constant : sed non aliis morbi temporibus, in quibus nec plethora ampliùs adest, quæ sola phlebotomiam indicabat, nec vires ampliùs ferunt. Cur in principio administranda phlebotomia.

Vbi quippè iam progressa febris est, & incrementum cœpit, maximè si ad statum peruenit, detractione sanguinis ab initio facta, tùm victu tenui, tùm vi caloris fe- Non in vigore febris continuæ.

brilis, non parum est imminuta, imò sublata omninò, illa sanguinis copia. Præterea plurimùm fractæ sunt vires, morbi magnitudine, symptomatúmque sæuitia: quia calor febrilis natiuum calorem dissipat, spiritus exoluit, facultates corpus nostrum gubernantes labefactat, ideóque vires prosternit. Itaque eo tempore sanguinis missio maximè officit. Galenus insuper in vigore morbi naturam, quæ in humoris morbifici concoctionem prorsus incumbit, nullis remedijs ab instituto auocandam esse perhibet, ne crisis impediatur. Longè igitur ab orthodoxa Hippocratis atque Galeni doctrina desciscunt Neoterici Medici, qui circa statum, vel quod grauissimum est, in ipso etiam statu sanguinem detrahunt; & cùm augeri febrem animaduertunt, subinde phlebotomiam repetunt. Propterea minimè mirum, si apud eos raræ sint morborum crises, aut nullæ. Nihil enim ipsi naturæ permittunt, eiúsque vires frequenti ac intempestiua phlebotomia adeò imminuũt, vt nec coctionem moliri, nec sese aduersus nocentem materiam erigere queat. Celsus Græcorum Archiatrôn subscribens sententiæ, Si febris (inquit) *vehemens vrget, in ipso impetu*

ſanguinem mittere, iugulare eſt. At nullo tempore magis vrget febris, maiórve eſt eius impetus, quàm in ipſo ſtatu, & circa ſtatum. Vt enim in principio & fine leuiora, ſic in ſtatu & circa ſtatum grauiora ſunt omnia ſymptomata, vel ipſo Hippocratis teſtimonio.

Verum antequàm ad vigorem progrediatur febris, ſi prior ſanguinis miſſio, vaſorum plenitudini non ſatisfecerit, iterabitur è baſilica ſiniſtra; ſi priùs dextra ſecta eſt, habita criticorum dierum ratione. Sanguis enim bis, térve in plethoricis ad continuæ febris curationem tuiè mittetur? Quoties vena ſecari poterit.

Sed quo die, & qua hora euacuatio molienda ſit, aperi?

C. Tempus ſanguinis miſſioni atque purgationi opportuniùs illud eſt, in quo æger ſe meliùs habet. Itáque dies eligendus ab exacerbatione liber. Hora verò matutina conuenientior eſt, vbi à meridie febris excandeſcit. Quo die & qua hora euacuatio moliẽda.

D. Ex te ſcire cupio vtrum venæ ſectio purgationi, an purgatio venæ ſectioni ſit præmittenda? An ſanguinis miſſio purgationi, vel purgatio ſanguinis miſſioni præmittenda.

C. Venæ ſectio purgationem præcedere debet, quia ἡγεμονικὸν continuæ febris remedium eſt: niſi cacochymia

in prima corporis regione turgeat, quæ purgationem indicat venę sectioni præponendam, ne in venas maiores transferatur.

D. Quanam purgatio continua febre laboranti decernenda?

Quæ purgatio decernenda in principio:

C. Purgatio morbi initio præscribatur blanda, cuius vis primam regionem non trāscendat, qualis comparabitur è cassia, rheo, & foliis Orientalibus; nisi experientia didicerit Medicus, ægrotantis aluum adeò solutu difficilem, vt non nisi valentiori pharmaco subducatur. In declinatione autem febris, morbifico humore cōcocto, validioribus catharticis ad reliquias demendas vti licebit.

In declinatione.

D. Quare in principio continuarum febrium benigniora cathartica validioribus præferuntur.

Cur morbi initio clementiora cathartica ex vsu sint.

C. Quia non enitendum primis diebus continentem febris causam radicitùs tollere per cathartica, sed tantùm antecedentem, quæ è prima corporis regione in venas maiores effertur, & obstructiones venarum mesaraïcarum, per quas posteà concoctum humorem natura expurget, soluere.

D. *Cur morbi initio valentioribus catharticis uti non licet, ad impuritatem venarum maiorum exhauriendum?*

C. Quia vehementia cathartica morbi initio, prçterquàm quod de crudo adhuc humore sanguini misto minimùm magnis ferè torminibus detrahunt; omnes humores exagitant & confundunt, iisque maiorem putredinem inducunt, calorem febrilem augent, naturæ coquentis coctionem, adeóque crisin interturbant, viresque atterunt. At vbi coctionis signa in vrinis apparebunt, nihil tunc metuendum est. Si quidem legislator noster vt ὠμὰ prohibet; sic πέπονα iubet insigniter φαρμακεύειν.

Cur vehementiora initio nocent.

D. *Adhuc remedia quibus continua febris oppugnatur generatim proposita sunt: nunc qua methodo singula singulis morbi diebus speciatim administranda sint, distinctius exprime?*

C. Continua febris acuta est, vel peracuta. Si peracuta febris est, adeò vt intra septimum diem iudicari posse videatur, acceleranda remedia sunt. Quamobrem primo morbi die si plenitudo vasorum & symptoma-

Quomodo peracuta febris curanda sit.

tum sæuitia postulet, vena secanda, iniecto prius clystere emolliente, refrigerante, & leniter detergente, ad sordida alui excrementa educenda, ne fœda illuuies inde in locum vacuandi sanguinis raptim traijciatur. Postridie purgatio imperanda, sed blanda, quæ duntaxat è prima corporis regione vitiosos humores èliciat. Tertio, si opus sit, venæ sectio repetenda. Quarto verò, qui criticus est, ab vtráque euacuatione supersedendum; ne si crisis eo die futura esset, naturæ motus interturbetur: clysteribus tamen aluus mollienda, & iulepis apozematísve apparandus, concoquendus & refrigerandus humor, vt quinto repetitæ vacuationi locus sit. Sexto enim die, qui in morbis tyrannidem exercet, & septimo qui peracutarum febrium iudicatorius est, melius est alterationi solum & concoctioni incumbere, aluo quotidie emollita. His criticis diebus, si grauia vrgeant symptomata, nihil ea demulcere prohibet, vt ingentem æstum, epithematis cordi & iecori adhibitis, oxyrrhodino lumbis illito; nauseam

nauſeam inanem cardiacis intrò ſumptis, & topicis roborantibus ventriculo admotis; dolorem capitis, vt & vigilias, frontalibus fronti applicatis: cauendo tamen ne ſoporem aut deſtillationem prouitent; delirium pullis gallinaceis, aut felibus calentibus, aut veruecis pulmonibus recens extractis capiti raſo adhibitis; ſitim gargariſmatis acidulis & refrigerantibus, ptiſana & ſimilibus. Si criſis die ſeptimo febrem iudicauerit aut ſudore, aut hæmorrhagia, non alui profluuio, niſi reliquus humor intrò remanens artificioſa purgatione dematur, recidiua in propinquo eſt; ideóque octauo die medicamentum paulò quàm per initia validius, quia tunc humor magis concoctus eſt, tutò porrigitur; vt craſſior humoris pars, quæ in præcordiis fortè propter obſtructas vias ſubſiſtit, educatur.

Iam verò ſi acuta febris eſt, quæ ad diẽ decimum quartum, aut 17. aut 20. protrahi poſſe videatur, haud ita acceleranda remedia ſunt, ne vis naturæ inferatur. Initio quidem vtráque vacuatione opus eſt, eáque repe- Quomodo acuta febris curanda.

tita. Sed primo die satis est aluum clystere subducere. Postridie bolum dare expedit ex cassia recenter extracta, vel expressionem rhei, & foliorum Orientalium in decocto refrigerante & aperiente. Expurgatis primis viis, venæ sectioni, quæ proprium est continuarum febrium remedium, quia causa earum in venis maioribus continetur, tertio die locus est. Sanguinis autem detrahendi quãtitatem, virium robur, magnitudo morbi, & sanguinis qualitas, præfinient. Sequentibus diebus, accuratè animaduertendum num repetenda sit venæ sectio, vel purgatio; an cunctandum, dum natura se per crisim exoneret. Quod sic intelligetur: Si sanguis primò detractus valdè putris fuerit, eiúsque in venis magna copia superesse videatur, repetita venæ sectio magis conferet; sin cacochymia præpolleat, blanda purgatio tutiùs repetitur. Verum, cùm plethoræ, quæ in venis erat, per sanguinis missionem erit satisfactum; & cacochymiæ, quæ primam corporis regionem obsidebat, per purgationem, reliquo tempore ad cri-

ſim vſque, in virium cuſtodiam, interni incendii refrigerium, humoris morbifici concoctionem, & viarum apertionem incumbendum, quod victu euchymo, iulepis, & apozematis præfatis, præſtabitur. Et ſi malignitas ſubeſt, quę dignoſcetur ex nauſea, inquiete maxima, frequentibus animi deliquiis, pulſu minimo & intermittente, & ſumma virium imbecillitate, his cardiaca erunt adiungenda: & inter 7. & 14. diem, ſi coctionis ſigna in vrinis appareant, medicamentũ purgans repetendum; & niſi febris 14. die ſoluta eſt, rurſum inter 14. & 17. diem, aliud exhibendum. Hac arte minuta morbi materia, minor fiet perturbatio in die critico. Si vigeſimo die, febris diſparuit manifeſta euacuatione antegreſſa; ad tollendas reliquias, impediendámque reuerſionem, purgatio iterum molienda.

At ſi reſtincto feruore, leuatíſque ſymptomatis perſeuerat, fiátque continua, quam vocant ex decidentia; paulò validioribus catharticis humor contumax trahendus, & præparatione maiore attenuandus & con-

Quibus medicamentis continua febris ex decidentia, ſit curanda.

coquendus est, Interim si in hypochõdriis sit tẽsio, aut durities sine inflammationis suspicione, commodè illinuntur olea roborantia, attenuantia, & flatus discutientia, qualia sunt olea rosarum, absynthii, capparum, amygdalarum amararum, rutaceum, & à fotu admouebuntur sacculi comparati ex radicibus, herbis, seminibus, aperientibus, incidentibus & attenuantibus. Hic remediorum vicissim repetitorum continuatus vsus febrem continuam extirpat.

D. Victus qualitatem omnibus febricitantibus communem supra comprehensam minutiùs explica, eiúsque quãtitatem imprimis peracutè, mox acutè febricitanti conuenientem, persequere.

Qualis victus continua febre laboranti sit instituendus.

C. Victus sit refrigerans & humectans. Iuscula carnium boni succi herbis refrigerantibus alterata concoquuntur, & iura feruore consumpta, gelatina, liquidior carnis aqua vaporario elicita, expressus carnis assæ succus, sed citrij, aurantiíve succo, aut omphacio admixtus, oua item tremula. Potus sit ptisana, pomaceum, aqua feruefacta, sacchari momento con-

ſperſa. Si ſummus adſit ardor & ingens ſitis, metúſque ne æger nimis exareſcat, danda frigida, qua nihil ad extinguendum calorem validius, cuius quantitas ex tempore, regione, ætate & conſuetudine, metienda eſt.

Si febris peracutiſſima vltra quartum diem non producatur, ſtatim dum incipit vigorem attingens, exquiſita diæta Hippocratis præcepto inſtituenda eſt. Recentiores nihilominus, ne vires inedia conuellantur, quotidie acutiſſimè febricitantes alunt, ſed tenuiſſimè.

At ſi peracuta febris ſit, ad ſeptimũ diem vſque excurrens, cibo non tàm exquiſitè tenui ſuſtinendæ vires, vt facilè & venæ ſectionem & purgationem ferre poſſint. Quis victus peracutè febricitanti cõueniat.

Si verò ſit acuta, quæ in diem 14. produci poſſe videatur, initiò paulo pleniore victu vires conſeruandæ, ne ante vigorem deficiant; vt & morbum coquere, & euacuationes ſpontaneas atque artificioſas ferre queant. Sed ſenſim minuendus cibus, dum febris ſuum vigorem attingat, in quo tenuiſſimus dandus; ne natura à morbi co- Quis acutè febricitanti.

ctione, ad cibi coctionem reuocetur.

D. *Quando nutriendus æger?*

Nutriendi tempus.

C. Hora nutriendi conuenientissima est, in qua æger se meliùs habet: nempè cùm remittit febris. Vbi verò exacerbatur; à cibo abstinendum, nisi fortè aut ætas, aut virium imbecillitas prohibeat.

DE FEBRIVM Symptomaticarum curatione.

D. *Quo discrimine Symptomatica febris à primaria disclud itur?*

Quo discrepat symptomatica febris à continua primaria.

C. Etsi vtraque febris continua est, Symptomatica tamen à primaria, situ discrepat, quòd continentem causam habeat non in venis maioribus perinde conclusam, sed cuipiam parti impactam, è qua putrescens humor in cor obrepit, aut putrem de se vaporem in ipsum emittit. Symptomatica insuper febris à primaria vt plurimùm termino distat.

Hæc quippe tertiâ ad summum hebdomadâ finitur; nisi errore commisso, naturæ conatus interturbetur: quia hoc temporis spatio natura solet putredinem, quæ febrem committit, venis maioribus coërcitã mitificare,

concoquere, & humores morbificos putridos per aluum, aut vomitum, aut sudorem, aut insensibilem transspirationem excernere. At Symptomatica febris in longius sæpè tempus protrahitur; quia nunquam soluitur, nisi percurato morbo, à quo dependet.

D. Quotuplex est febris Symptomatica?

C. Duplex: vna partis cuiuspiam inflammationem, altera obstructionem, putredinémve sequitur: illa acuta, hæc verò, nisi affatim fiat, lenta, quæ diuturna esse consueuit. Quotuplex febris Symptomatica.

Prior Symptomatica non nisi ephemera est, si externa aut distans est inflammatio, quòd solus calor partium continuatione in cor subeat: sed putrida febris est, si visceris cuiúsquam est phlegmone, vel erysipelas. Sic à phrenitide, ab angina, peripneumonia, pleuritide, hepatitide, splenitide, & à nephritide febris fit phlegmonodes, ab erysipelate typhodes; eò quæque grauior, quò pars affecta nobilior, cordíque vicinior. Symptomatica acuta.

D. *Quomodo febris hæc Symptomatica à continua primaria discernitur, cùm*

vtráque acuta sit, & putredinis notas exhibeat?

Qui Symptomatica acuta à primaria internoscatur.

C. Symptomatica hęc ex eo dignoscitur, quòd nullis statis periodis exacuatur, vrinæ nullum putredinis indicium habeant, nisi ex affecta sede putredo forsan obrepat in venas, si non statim initio, mox tamen inflammatæ sedis indicia se proferant, raró vel septimo vel decimo quarto die aliísve decretoriis iudicio soluatur: In primaria verò febre continua hisce contraria appareant omnia.

D. Quomodo febris symptomatica à viscerum inflammatione curanda est?

Cur febris fomiti sit adhibenda curatio.

C. Quoniam viscerum inflammatio, continens febris consectariæ causa est, curatio iecoris, lienis, alteriúsve visceris inflammationi debetur, quâ sedatâ protinus febris consectaria discutitur.

Febris quippè Symptomatica, quæ partium internarum phlegmonem consequitur, vt non priùs integrè desinit, quàm inflammatio conquieuerit: sic consectarius ardor extinguitur, simúl ac perfecta fomiti fuit adhibita curatio.

D. Vnde Symptomatica lenta ortus sui causam ducit?

C. Symptomatica febris lenta non ex visceris cuiusquam inflammatione oritur, sed è latente obstructione & putredine, quæ visceri contumaciter adhærescit, adeò vt eius substantia plerúmque labefactetur. Putredinis portio nonnunquam in venas effusa sanguini permiscetur. Tunc notas præ se fert Symptomaticæ eius, quæ aut phlegmonodes, aut typhodes appellatur. Symptomatica lenta.

D. Quotuplex est Symptomatica lenta?

C. Duplex: vna mitior, altera grauior. Quotuplex sit.

D. *Quæ febris lenta mitior?*

C. Quæ à coërcito humore in viscere aliquo sensim putrescente oritur. quæ febris lenta mitior.

D. *Quomodo internoscitur?*

C. Haud difficulter distinguitur ab altera, quia æger nullo graui symptomate premitur; sæpè nec se ægrotare putat. Putredinis tamen notæ interdum elucent in vrinis; pulsus frequens, celer & inæqualis, non tamen magnus aut vehemens; vires imbecillæ & languidæ collabuntur; vt ne Signa febris lentæ mitioris.

progredi quidem æger possit Corporis moles, etiam si alimentum sumitur, sensim liquescit. Diuturna etiam hæc febris est, quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur, nec vigesimo, nec interdum quadragesimo, soluta.

D. *Cur febris lenta in tàm longum tempus producitur?*

Cur febris lenta sit chronica.

C. Diuturnitatis causa est contumax iecoris aut lienis, alteriúsve visceris impuritas in venas maiores sese quotidie exonerans, qua fouetur febris; quæ non priùs integrè euanescit, quàm frequenti catharsi impuritas ipsa viscerum sublata sit. Idcirco fomes accuratè inuestigandus, vt instituatur victus viscerum affectioni, quæ febrem protrahit, accommodatus.

Cur fomes è vestigio quærendus.

D. *Vbi febris lentæ sedes perquirenda?*

In qua parte cõsistat.

C. Vt plurimum in iecore, aut liene, interdum in ventriculo, vel mesenterio, nonnunquam in pulmonibus, cuiusvis humoris putredo cumulata, hanc excitat. Sedulò igitur obseruanda sunt hypochondria, & hypogastrium, num in his tumoris cuiusdam sensus insit. Sæpè etiam vel in

cachexia, vel in fœdis virginum coloribus, serosæ pituitæ in corpus effusæ leuis putredo illam protulit.

D. Quibus notis dignosces iecoris obstructionem esse morbi formitem?

C. Si præcessit tertiana intermittens, vel continua; si icterus est conspicuus, si in dextro hypochondrio tensio, aut durities tangenti occurrit, aut oris amaror fatigat, inéstque carnis inappetentia, iecur obstructum, fortè etiam calidius & siccius, morbi fomes est. Qui dignoscatur an morbi fomes sit in iecore.

D. Quibus signis dignosces lienem malè affectum febris esse fomitem?

C. Si quartana præcessit, si sinistrum hypochondrium tensum, durum, ac condolens, lienis impuritas in venas irrumpit, morbúmque fouet. An fomes sit in liene.

D. Vt autem lenta febris interdum acutæ succedit, nónne & acuta quandóque euadit?

C. Maximè. Ea siquidem quæ lenta per initia fuerat, accenso humore ferociam aliquando adipiscitur. Vt lenta febris in acutam interdum degeneret.

D. Quæ febris lenta grauior?

C. Illa profectò periculosior, quæ non solùm ex impacti humoris, ve- Quæ febris lenta grauior.

rumetiam ex visceris, cui insidet, corruptione, putredinéque emergit. Cerebri, pulmonis, iecoris, ac lienis, interdum etiam renis, distantiorúmque partium corruptela, simpléxque putredo, tametsi nullo putri humore comitatur, quoniam tamen expiratione graui cor assiduò lacessit, continuam febrem non aliter quàm putridus humor suscitat, eámque symptomaticã, ac omninò lentam. Hanc plerique rerum affinitate ducti hecticam dixerunt.

D. Quibus notis se prodit?

Quibus notis distinguatur.

C. Internoscitur ex eo quod sensim edatur, multóque tempore procedat, aliis ferè morbis succedat, nihil vel minimùm vacuatione mitescat, nullis cedat remediis, sed iis sæpè exasperetur, vires plurimùm offendat ac debilitet, leuíque occasione syncopen accersat, sensim ac plerúmque sine sensu hominem extenuet, & marcore conficiat. Hoc genus est febris quæ phthisin comitatur. Hectica quippè nõ est, sed putrida, ex putrescente pulmonum substantia.

D. Quæ febri lentæ curatio adhibenda?

C. Febris continua lenta, quæ obstructiones viscerum consequitur, ex quibus materia ad eius continuationem in dies suppeditatur, aliàs per se oritur, aliàs aliis acutis febribus succedit, cùm humor repressò ardore crudorum vsu, aut immodico frigidæ potu, ita retundit, vt nec citò concoqui, nec exardescere possit. Febris lentæ distinctio.

Quæ per se oritur à viscerum obstructione sensim aucta, vtráque vacuatione, nempè venæ sectione & purgatione primis diebus gaudet; dein, vbi venarum plethoræ, sanguinis missione, & cacochymiæ purgatione satisfactum erit, reliquum curationis consistit in idonea victus ratione, in humorum concoctione, & viarum præparatione, catharsi semel aut bis in hebdomade repetita: hac tamen cautione adhibita, ne vel calidorum remediorum vsu humoraccensus febrem exasperet, vel victu nimis refrigerãte ita incrassetur & impinguatur, vt curatio sit longior. Quomodo curanda febris lenta, quę per se oritur.

Quòd si fortè post diuturnum & methodicum remediorum descriptorum vsum, febris nihilominùs per se

ueret, ægrúmque sensim exsiccet, & tabefaciat, sola conuenienti victus ratione oppugnanda, remediorum intermissione facta. Sæpè enim morbus tandiu persistit, quandiu medicamenta exhibentur, sub quibus fatigatur natura: quæ deinde intermissis remediis vires resumens, morbi causam concoquit, & concoctam expellit.

D. Quomodo febris lenta acutæ succedit?

Quomodo febris lenta acutæ succedat.

C. Id ferè fit aut Ægri errore, aut Medici imperitia.

Errore quidem, cùm nimio frigidæ potu, vel crudorum esu, æger humorem febris causam nimis refrigerat & impingit. Medici verò inscitiâ, cùm coquendi & purgandi noxios humores occasionem non arripit; siue quòd febrem, quæ sine crisi manifesta, sola coctione finitur, post vnam aut alteram vacuationem, naturæ committit.

D. Quomodo curanda febris lenta, quæ tertianæ atque quartanæ febri succedit?

Quomodo curanda febris lẽta quæ alteri succedit.

C. Idonea victus ratione potissimùm.

D. Quis victus in febre lenta ab obstructione iecoris instituendus?

C. Si iecoris imbecillitas sit in causa,

potus minuendus, circuncidendáque magna ex parte sorbitio, potus sit vinum aquosum & tenue. Sin iecur sit calidius & siccius citra imbecillitatem, victus sit frigidus & humidus, ea tamen moderatione, quæ cruditatem & obstructionem non ingeminet. Refrigerantibus ergo & humectantibus iusculis aperientia inserantur. In locum vini detur pomaceum, aut ptisana, aut oxysaccharum. Vescatur carne vitulina, pullis gallinaceis aut columbinis elixis, non assis, gelatina, & aliis id genus.

Quis victus lentæ febri à iecoris obstructione cõueniat.

D. Quis victus in febre lenta ab obstructione lienis instituendus?

C. Si lienis obstructio certis signis conspicua est, nempe tumore sinistri hypochondrij, dolore graui ad sinistrã clauiculam protenso, anhelitus difficultate, decubitu in sinistrum latus molesto, sputatione frequenti, rugitu & murmure totius infimi ventris, palpitatione arteriarum, & colore faciei pallido ad nigrediné vergente; idem ferè victus, qui Quartanæ conuenit. Vinum quippè conceditur, sed tenue & dilutum, incoquenda perinde sor-

Quis lentæ febri à lienis obstructione.

bitionibus quæ validè aperiunt, vt radices petroselini, asparagi, graminis. Tantùm ab ijs abstinendum quæ nimio calore, nimiáque siccitate, vitiosum humorem in venis maioribus superstitem torrefaciunt, & feruorem ferè extinctum rursus accendunt. Ergo miscenda sunt cum calfacientibus & aperientibus refrigerantia; ne, dum crudos humores concoquere volumus, noui feruoris & exacerbationis febrilis occasionem suppeditemus. Prætereà ita reliquum incendium refrigerantibus restinguendum, ne magis ac magis impingatur humor, geminetur obstructio, & augeatur cruditas, vnde febris diuturnitas. Præter victum diligenter præparatio adhibenda per ea quæ aperiunt, attenuant, concoquunt, & quantum opus esse videbitur, refrigerant, quæ dabuntur forma aut apozematis, aut electuarij vel pulueris. Semel etiam aut in hebdomade repetenda, donec viscerum & vasorum impuritati ita prospectum sit, vt æger febris omnis prorsus sit expers.

D. Quæ curatio lentæ febri à squalore

& siccitate debetur?

C. Quæ in viscere aliquo focum habet, si eius causa sit squalor & siccitas, procuranda alteratio per refrigerantia & humectātia, tàm intrò sumpta, quàm extrinsecus adhibita. Itaque nutriendus ęger cremore hordei, iusculis ex carne decocta cum herbis refrigerantibus. Imperandus lactis asinini vsus. Syrupus violaceus, qui lenit, humectat & refrigerat, ex aqua hordeacea exhibendus; Dorsum & pectus oleo violaceo illinendum. Sed præcipuum remedium est balneum aquæ dulcis, ex decocto remollientium, vt radicum althææ, & liliorum, seminum lini & psyllii, foliorū maluæ, violarum, parietariæ, & similium. Ideò sæpiùs id repetendum, sed citra sudoris profusionem. Cùm adstricta fuerit aluus, purgabitur æger per clysteres, per cassiam, catholicum, & alia lenientia cathartica.

Quæ curatio lentæ febri à squalore & siccitate adhibenda.

D. *Qua ratione curari debet febris lenta, in fœdis virginum coloribus, in leucophlegmatia & cachexia frequens?*

C. Quoniam hæc febris lentæ species non à siccitate viscerum, sed à ni-

Qui lentā febris in prauo corporis habitu curanda sit.

mio humore calorem obterente proficiſcitur, curatio perficienda ſicco tenuíque victu, remediis eiuſdem facultatis, ac catharticis benignis.

D. Quibus remediis curanda febris lenta, qua Melancholici hypochondriaci plerúmque tentantur, ad eam accedens quæ virgines fœdis coloribus laborantes comitatur, ferociam tamen maiorem exhibẽs, quoties vel humor melãcholicus calidis alimentis, aut exercitiis vehementioribus irritatur, vel cruditas ex cibo aut potu contrahitur, vel aliquod animi pathema grauius vrget?

Quæ remedia cõueniunt lentæ febri, qua melãcholici hypochondriaci tẽtantur.

C. Ad huius febris lentæ curationem interdum calida & attenuantia remedia imperantur, cùm humor melancholicus frigidus eſt, craſſus & terrenus: nonnunquam refrigerantia & contemperantia, aut ſaltem temperata, cùm humor melancholicus vi caloris non naturalis torrefactus eſt.

Quæ curatio febri lentæ, è pulmonum corruptela.

D. Quænam curatio adhibenda febri lentæ, quæ ex pulmonum ſubſtantia vitioſa putríque procedit?

C. Hecticę febri haud abſimilis.



DISPVTATIO II.

DE FEBRIBVS intermittentibus.

DOCTOR II.

HActenùs de febribus continuis, tum primariis, tum symptomaticis, disseruimus; nunc ad intermittentes transeundum. Quo discrimine intermittentem à continua seiungis?

CANDIDATVS.

Medicinæ Proceres vno consensu omnes id discriminis inter vtrámque statuunt, quòd illa cum rigore, aut horrore, vel frigore, inuadat, ac intermittat statis periodis; hæc nullo præfatorum symptomatum prægresso corripiat; nec antequam omninò soluatur, desinat. Fernelius insuper contra veterum sententiam, & materiâ & materiæ situ intermittentem, à continua differre acriter contendit. Qui febris intermittens à cõtinua secernatur.

D. Veterum de hac controuersia sententiam recense.

Veterum opinio de febris intermittẽtis materia, & eius situ.

C. Vetus iam opinio increbuit, humorem, qui continens est, intermittentis febris materia, in solo corporis habitu & extra venas computrescere: hunc accessionis initiò è venis maioribus, in quibus conditus erat, sanguini permistus, in minores, ex hísque in corporis partes, quarum exquisitior est sensus, ferientis humoris occursu vel rigere, vel inhorrescere. Eum mox sensim illic incalescere, inflammari ac putrescere: tùm demùm extenuatum caloris vi vniuersum dissipari in sudores: sic accessionem finiri, dum noua similiter recurrat.

Sed Fernelius hanc opinionem fraudulentam, atque perniciosam humanæ saluti fuisse, constanter asserit.

D. Sigillatim refer quæ in eam opinionem tot annorum authorúmque numero confirmatam Fernelius contorquet.

Veterum opinio conuellitur à Fernelio.

C. Intermittentium febrium continentem causam non esse in habitu corporis, nec antecedentem in maioribus venis, Fernelius quàm plurimis rationibus longè grauissimis fultus demonstrat: prima, quòd non om-

nes morbifici humores in venis maioribus contineantur, sed plerique in prima corporis regione congerantur, ac computrescant, ex quibus febres intermittentes oriuntur, vt ex illis continuæ fiunt:

Secunda, quòd tàm repente nequeat noxius humor sanguini permistus, præsertim verò crassa lentáque pituita, aut bilis atra, à puriore sanguine prorsus secerni, & quasi momẽto in extimas corporis partes, in manuũ pedúmque digitos, & in nasum, protinus extendi:

Tertia, quòd in continuis febribus peccanti materiæ in vasis maioribus conclusæ, portio quædam in corporis molem frequenter effusa, sæpè rigorem efficeret.

Quarta, quòd in horrore atque rigore febrium intermittentium, vrinæ meiantur albæ, tenues, & crudæ, quæ bilem tum flauam, tum atram, intrò potiùs, quàm foras, compelli apertè indicant. Ac tum temporis molesta etiam sit suffocatio, tussis plerúmque sicca, oscitatio, anxietas, præcordiorum distensio, ac sæpè dolor vehemẽs:

ab his nausea, & sub rigoris finem biliosa vomitio: accessionis verò progressu, multóque magis declinatione, omnia mitescant, & vrinæ euadant crassæ, citrinæ aut rubræ, quæ argumento sunt; tum temporis bilem, vt in vrinas, ita & in corporis summa, contendere. Hisce verò contraria omnia obtingerent, si accessionis initio bilis in summa corporis irrueret.

Quinta, quòd interdum toto febris intermittentis decursu, animaduertatur vrina colore, substantia, hypostasíque laudabilis, quæ nullam in venis putredinem adesse testatur.

Sexta, quòd in exquisita tertiana leuiori, vbi non rigor, sed extremarum partium frigus solum percipitur, bilis flaua in corporis molem effusa, frigoris causa haberetur, licet calida acrísque ea sit.

Septima, quòd melancholia admodum rarò peccet in vasis maioribus, rariúsque multò putrescat, vnde quartana continua omnium febrium rarissima: quartana autem intermittens sit admodum frequens; adeò vt melancholia rarò in venis vitiosa, ex

his non possit tam copiosa sufficí, aut tam crebro in corporis habitum pelli, quæ tot gignendis intermittentibus quartanis sit satis.

Postrema, quòd si antecedens febris intermittentis materia in venis maioribus tota consisteret, vna venæ sectio, quæ hanc promptè demit, illius curatio foret. At hæc febrem intermittentem nequaquam tollit.

D. *Quæ sit intermittentium febrium materia, & quæ illi sedes in corpore, ex Fernelij mente luculenter expone?*

C. Materia intermittentium febrium à Fernelio perhibetur non venarum succus alendo corpori destinatus, sed humor superuacaneus, qui è iecoris sanguine prolectus in propria conditur receptacula, antequàm is iecur transscendat. Tertianæ materia bilis flaua affinis ei quæ in fellis cysti conditur: Quartanæ melancholia in lienem refusa: Quotidianæ pituita, mucosa & superuacanea, quæ in ventriculo intestinísque plurima colligitur. Quæ intermittentium febriũ materia statuatur à Fernelio.

Omnium propria sedes & origo in prima est corporis regione circum Quæ illius sedes.

præcordia, circum ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum, aut mesenterium. Hæ siquidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit cumulatúrque humorum colluuies.

D. Perge Fernelij sententiam de frigore, horrore & rigore, intermittentis febris præcursoribus, aperire, eorum causam reddere, quî inter se differant, & quomodo è prima corporis regione suscitentur, perspicuè docere.

Frigus, horror, & rigor, quo pacto corpus afficiant.

C. Frigus, horror atque rigor intensione & remissione distant: frigore summa corporis inalgescunt, horrore id vniuersum leuiter concutitur, hic enim ceu diminutus rigor est. Rigore vsque eò contremiscit concutitúrque, vix vt cohiberi possit.

Vnde ortus sui causam ducant.

Omnium eadem causa, caloris nempè, frigoris, rei pungentis, aut quouis pacto molestæ, vehemens incursio in sentientes corporis partes confertim facta.

Qua ratione inter se differant.

Differúntque solùm inter se, aut vbertate causæ, aut vehementia, seu acrimonia, aut motionis impetu.

Vt

Vt enim aëris aut aquæ frigidioris occursu corporis frigescit, & interdum horret, atque etiam riget. Præcordia autem & partes quæ circum hæc sunt, quia mēbranis sepiūtur neruósq; sentientes suscipiūt, è sexta cerebri cōiugatione, eximio tāgendi sensu sunt præditæ. Magna etiam societate tum principibus, tum externis corporis partibus cōnexæ sunt, iisque adeò consentiunt, vt affectæ mox principes partes, vniuersúmque corpus in consensum trahant. Sic enim vinum meraciùs liberaliúsque sumptū, tametsi è ventriculo nondum elapsum est, mox tamen vulnerati cruris, aut arthritidis dolorem exasperat. Sic & frigidæ potus liberalior corpus vniuersum frigore, horroréque concutit. Bilem vomiturus, rigescit. Cui mordax medicamentum ventriculum præcordiáque ferit, non minùs etiam rigescit, quàm si nudam cutem, aut vlcus acriùs compungat. Horrescit demùm & cui pus interiore abscessu collectum irrumpit in membranas. Ac certè bilis putrescens in febre acrem malignámque qualitatem

adipiscitur: eáque accessionis initio quasi turgens impetu fertur, affatímque irruit in præcordiorum membranas, idcircò rigorem concitat.

Citrina porrò illa & prassina cæruleáve bilis, quæ syncera sæpè vomitione prorumpit, propria intermittentis febris materia hinc esse dignoscitur; quòd dum tota liberaliter redditur, febrem omnem penitùs extirpat, atque soluit. Ea sanè nunquàm tàm syncera possit è venis amandari citra exitium, sed duntaxat è præcordiis quæ illius sedes sunt. Hoc quoque vel inde constat, quòd si accessionis initio humidi fotus aptè calentes præcordiis imponantur, maximè verò lieni in Quartana, iecori in Tertiana, aut alii cuicúmque sedi fomes inesse deprehendetur, horrorem rigorémve leniant, quia nimirum ipsum mali fontem demulceant.

Cur putris humor plerúmque frigus solum, nonnumquam horrorem aut rigorem inducat.

D. Clarius demonstres velim, cur putris humor interdum frigus dumtaxat, aliquando horrorem, quandóque rigorem excitet; & quare febris modò lenior, modò grauior sit?

C. Calidus ac putris humor extra

venas quauis in sede conditus, quandiu conquiescit, corpus rarò exagitat: at verò dum quasi efferatus illinc prę-ter naturam impetu dimouetur, id variè concutit affligítque. Si paucus est, vt in leuioribus Tertianis, aut eius parua acrimonia, vt pituitæ putrescentis, motúsque lentus ac languidus, solum frigus inuehit, calore quidem ac spiritu ab externis partibus intrò quasi in opem & subsidium aduocatis. Sin copiosior est, aut acrior, aut eius motus impulsúsque concitatior, horror inuadit. Cùm verò plurimus, ísque vehementer acer ac mordax magno impetu in præcordia excussus, rigor verus inducitur. Hæc præterea rigoris, febrísque materia circum præcordia hærens; ex se tanquam è fomite malum vaporem in omne corpus effundit; qui & altera frigoris, horroris, rigorísve causa est. Hic enim teter vapor ex eo foco excitatus, in cor primùm per cæcos ductus effertur, atque illinc quoquouersum per arterias effusus, omne corpus implet. Ac initiò cor offundens pulsum contrahit &

obscurat, cerebrúmque implens aggrauat consopítque, omnes dénique artus velut obtundit. Postea in corpus quasi aura quædam disiectus, sensim incalescit & inflammatur, ac tum febris ardorem, eiúsque symptomata mouet. Tandem supra modum extenuatus, tum impetu proprio, tum impellente natura dissoluitur, interdum manifestè in sudores, interdum obscurè sensímque per cutem.

Cur febris plerúmque leuior:

Atque hæc quidem pura, leuiórque intermittentis species existit, in qua vrinæ plerúmque toto morbi decursu, calore, substantia, sedimentóque laudabiles apparent, quia nimirum nihil bilis peccantis è præcordiis irrumpit in venas.

Quandóque grauior.

Nonnunquam verò inuasionis impetu humoris vehementius impulsi vna portio insilit in ventriculum, quę biliosam vomitionem mouet, eámque ferè sub rigoris hororrísve finé: altera portio tenuior eo ipso impetu ex eodem foco per iecur venásque maiores in omne corpus irrumpit, tûmque grauior est accessio, sub cuius finem vrinæ crassæ redduntur, atque flauæ,

iis longè dissimiles quæ paulò ante accessionem fuerāt. Atque multò etiam grauior euadit febris, cùm ex eo ipso loco portio maior penetrat in venas. Accessione siquidem soluta, nonnunquam febrilis quædam manet inæqualitas, nec pura sequitur intermissio.

D. *Vt frigoris, horroris, atque rigoris, intermittentem febrem antecedentis originem patefecisti, sic sudoris eandem consequentis scaturiginem persequere.*

C. Sudores non è solo corporis habitu, sed & interdum è præcordiis moueri, hinc sciri potest, quòd qui vel exercitatione, vel solis ardore, exæstuat, si frigidam liberaliùs bibat, mox totus sudore diffluit, non mehercle aqua in corpus disiecta atque fusa, (diu enim posteà sentitur huc & illuc fluctuare in ventre;) sed eius halitu ab æstuantibus præcordiis in omne corpus effuso, qui demum in sudorem concrescit. Id præterea obseruatione dignum, quòd is, cui iecur aut lien ætate morbóve inaruit, vel magna obstructione vel scirrho obduruit, vt in hydrope, in ictero, aut in cachexia,

Sudorum prima scaturigo.

nulla vi possit, ne per febres quidem, in sudores induci, etiamsi reliquum corpus humore multo perfundatur: is verò, cui iecur atque lien calore humoréque naturali abundant, quauis ex causa sudore diffluat. Hinc igitur conspicuum esse potest, primam sudorum scaturiginem è præcordiis deriuari.

D. Adhuc quid de intermittentium materia & eius sede, & quid de frigoris, horroris & rigoris efficiente causa, sudorísque origine Fernelius sentiat, accuratè recensuisti: superest vt Mercuriali, eius sententiam, cuius es assertor, refutare conanti, respondeas.

Sic argumentatur aduersus Fernelium:

Mercurialis obiectio 1. in Fernelium. *Si febres interpolatæ fierent à synceris humoribus in hypochondriis putrescentibus, putredo esset in ipsis visceribus, aut extra viscera.*

Si in ipsis visceribus, interpolatæ febres essent perpetuò coniunctæ cum aliqua inflammatione viscerum:

Sin extra viscera putredo contraheretur; putris materia necessariò aut vnica accessione discuteretur, aut diu duraret

ſine vlla interpolatione.

C. Reſpondeo: Nunquam Fernelio in mentem veniſſe putrem intermittentis febris materiam in viſceribus contineri, quòd ex ea febris continua oriatur ſymptomatica, phlegmonodes, aut typhodes non intermittens. Reſponſio.

Sed circum præcordia, vt circa ventriculum, iecur, lienem, aliáve viſcera, putredinis focum eſſe contendit.

D. *Ergo vnica acceſſione diſcuteretur putris materia*, ait Mercurialis.

C. Concedo. Sed ſimul ac diſcuſſa eſt, noua in foco colligitur, ex qua quotidie, vel tertio, quartóve die nouus renaſcitur paroxyſmus, ſimili typo repetens, quoúſque febris fomes prorſus fuerit extinctus.

D. *Aut diu duraret ſine vlla interpolatione*, inquit.

C. Nequaquam. Vbi enim ſuperuacaneus humor ſatis copioſus in parte affecta cumulatus eſt, ad excretionem proriratur natura.

D. *Vrget nihilominus hoc argumento Mercurialis:*

Vbi in aliqua parte putreſcit ſyncerus humor, ſæua perpetuò ſympto- 2. Obiectio.

mata sunt conspicua.

Ergo si circa viscera synceri humores putrescerent, grauia semper apparerent in interpolata febre symptomata.

Quod experientiâ non comprobatur.

Responsio. C. Id (inquam) pernego. Quid? Nónne intermittentium febrium initiò, vnà cum rigore, horroréve, suffocatio, tussis, anxietas, præcordiorum distentio, nausea, dolor vehemens, animi deliquium, & alia id genus immania symptomata frequenter ægrotantem affligunt?

Sed Mercurialis validis hisce rationibus victus, ad pacem cum Fernelio faciendam inclinat. Sic enim suos iam discipulos affatur: Vt statum totius causæ intelligatis, nec Galenus, nec nos negamus interdum fieri interpolatas febres ex putredine circa viscera, siue ibi coaceruata sit per influxum, siue per congestionem: sed quòd semper hac ratione fiant, illud est quod negamus.

At si ingenuè fatetur febrem intermittentẽ grauiorib⁹ symptomatis stipatã, à biliosis humoribus circa viscera putrescentibus fieri; cur eamdem

negat leuioribus ſymptomatis comitatam, à bilioſis vaporibus ex eodem putredinis foco manantibus, ortus ſui cauſam ducere?

D. *Sed aliam Mercurialis acutiorem ſagittam è ſua pharetra eductam acriter eiaculatur in Fernelianum de frigoris, horroris & rigoris cauſa placitum;* 3. Obiectio.

Si frigus, horror, rigórve fiat, eò quòd vel humores vel vapores putridi membranas viſcera veſtientes feriant, non tantùm initiò contingeret, ſed & in augmento & ſtatu, quo tempore multò maiores, & acriores attolluntur.

C. Ictum haud difficulter auertemus, ac telum in Aduerſarium retorquemus. Initio ſi quidem intermittentium febrium, dum frigus, aut horror vel rigor infeſtat, maiorem in prima corporis regione putris humoris vaporíſque inde manantis copiam & acrimoniam eſſe aſſerimus, quia tum temporis tota putredinis materia illic continetur. Poſteà verò vbi eius portio quædam in ventriculum excuſſa eſt, altera in venas maiores, indéque in corporis habitum irrupit, tetérque vapor per vniuerſum corpus quo- Solutio.

quoversum diffusus est, minor in foco remanet putredinis copia & acrimonia. Id autem in augmento & statu contingit. Ergo speciosa Fernelij sententia manet illæsa & incolumis.

D. Quoniam omnes Mercurialis obiectiones in Fernelium, ingeniosè diluisti, profer deinceps intermittentium febrium differentias?

Intermittentium febrium differentiæ.

C. Intermittentium febrium aliæ à pituita fiunt; aliæ à bile flaua, syncera vel mixta; aliæ à melancholia, naturali, vel aduentitia. Quę à pituita oriuntur, Quotidianæ sunt: quę à bile flaua, Tertianę, simplices aut duplices, legitimæ vel spuriæ: quæ à melancholia, Quartanæ, simplices aut duplices vel triplices, exquisitæ, vel nothæ. Quæ quidem omnes à circuitus ordine nomen sortitę, quia statis periodis, Quotidianæ quotidie, Tertianæ tertio, & Quartanæ quarto quoque die, simili typo redeunt, Typicæ meritò dicuntur; vt quæ incertò tempore recurrunt, Erraticæ.

D. Quid statum febris circuitum monet?

Quæ stati circuitus causa sit.

C. Concitati cuiusque humoris ne-

dum quantitas, ſed & propria qualitas à putredine contracta, paroxyſmum ſtato circuitu renouat.

D. *Ad patefaciendam periodi cauſam, cur putreſcens pituita quotidie, bilis tertio, melancholia quarto quóque die, impetum faciat, apertius explica?*

C. Multi putant pituitæ ſatis quotidie, bilis flauæ non niſi tertio, & melancholiæ non niſi quarto die ſatis cumulari poſſe, ad proritandam naturam, ciendúmque paroxyſmum. Sed ſolertiſſimus Fernelius non ſolam humoris copiam, ſed áliam quamdam vím maiorem neceſſariò vnumquemque humorem ſtato tempore impellere contendit. Hanc autem contractæ putredinis qualitatíſve proprietati, quam Græci apto nomine ἰδιοσυγκρασίαν appellant, acceptam refert. Vt epilepſiæ inſultus, non humoris genus, ſed qualitatis natura in humore ſita excitat: & menſtruam mulierum purgationem ſtatis periodis mouet non ſanguinis exuperantia duntaxat, (nam ſiue paucus, ſiue multus eſt in muliere, menſibus tamen ſingulis, niſi quid naturæ ordinem in-

Quid humorum motus efficiat.

terpolet, erumpit;) sed vis ortæ qualitatis: ita & vis quædam seu qualitas in humore genita efficit, vt putrescens pituita quotidie, bilis flaua tertio, atra quarto die, impetum faciat. Humor autem superuacaneus plenior cumulatus, quia vix naturæ beneficio & calore regi potest, corrumpitur, & quodam modo putrescit: ac tum qualitatem eam adipiscitur, quæ hunc illúmve motum impetúmque habet. Atque vt sua est cuiúsque humoris species, ita & sua cuiúsque putredo, vel qualitas, suus cuiúsque motus. Aliam igitur qualitatem, aliúmque motum, pituita, alium bilis flaua, alium melancholia putredine contrahit.

Qua ratione recurrat ordine paroxysmus.

Hac autem ratione accessio ordine recurrit. Cùm febris inuasura est, humor in suo quasi foco coërcitus cõcitatur, & quasi turgescens excandescit, ipsóque impetu & multũ de se tetrum vaporem quoquouersum in corpus diffundit, & interdum exiguam sui portionem eructat, excutítque in præcordia, vt in ventriculum; nonnunquam & per iecur in maiores venas:

eaque manet accessio, dum sedetur impetus, & dum quicquid è foco excussum est, calore crematum dissipetur, aut in sudores abeat. Hinc succedit intermissio, eoúsque cessans, dum alio humoris motu, & nouo quasi furore alia recurrat accessio. Recurret autem statis periodis typo simili, nisi quiddam ordinem interpolet.

D. Quid circuitum ordinem formámque mutat?

C. Multa febres ordinem tenere prohibent, efficiúntque, vt paroxysmi vel anticipent, vel cunctentur.

Anticipant præter consuetudinem, vel cùm subiecta eorũ materia augescit, vt ex impuro vitiosóque cibo, & excremẽtorum suppressione; vel cùm nimioperè extenuatur, vt aromatum, aliorúmve calidorum tenuãtiúmque vsu: vel cum motu exagitatur, vt exercitatione, balneis, æstu, animi excandescentia. Cur paroxysmi anticipent.

Cunctantur verò, dum contrariis ex causis materia vel minuitur, vel crassescit, pigrior ignauiórque redditur. Cur cunctentur.

Quoties verò tanta circuituum mutatio apparebit, vt nullo ordine procedant; humor aut in alterius naturam commigrat, aut alterius generis permistione confunditur.

Cur lõgi. Accessiones porrò longæ euadunt, cùm humor effusus, eiúsque vapor multus, crassus & viscosus est. Hic enim non nisi multo tempore inflammari, absumíque potest; & cùm meatuum est adstrictio, aut virium imbecillitas. Hæ siquidem dissolutionem prohibent.

Cur breues. Breuitatis verò causæ sunt, humor paucus ac tenuis, viarum amplitudo, viriúmque robur.

D. Quibus signis prænosces num longiores an breuiores futuræ sint febres intermittentes?

C. Pro varia viscerum, humoris dominantis, & anni temporum constitutione, victúsque ratione, longiores aut breuiores fore iudicantur.

Quæ febres longiores fore prænuntiant. Longiores quippè & contumaciores sunt, si praua adsit iecoris aut lienis affectio, si corpus abundet humoribus melancholicis aut pituitosis, si Autumnus aut Hyems dominetur, si

æger copioso alimento se sustineat, si potu multo calorem opprimat.

Contrà verò, breuiores sunt & securiores, si bonus sit totius corporis habitus, si viscera benè sint affecta, si Ver aut Æstas adsit, si æger inediam ferat, aut parcè bibat. Quæ breuiores.

Quinetiam febres intermittentes interdum continuæ euadunt, cùm humoris putredo è prima in secundam corporis regionem commigrat. Nonnunquam aliæ aliis singulis anni temporibus succedunt.

D. Quo pacto fit febrium intermittentium permutatio?

C. Febrium intermittentium commutatio contingit per temporum vicissitudines, cùm morbificus humor in alterius naturam commigrat. Nam Vere, ac magis Æstate, omnia excrementa bilescunt: Autumno verò in melancholiam degenerãt, Hyeme in pituitam. Nec enim alia ratione febris Tertiana, quæ Æstate inuaserit, accedente Autumno in Quartanam facessit, quàm quòd bilis flaua in melancholiam mutatur. Nec aliam ob causam Quartana, quæ Autumno & Qui & quando intermittentium febrium permutatio fiat.

tota Hyeme afflixerit, Vere in Tertianam transit, quàm quòd melancholia incalescens bilescat.

Pituita venas obstruens & bilis exitum prohibens diuturnitatis febris occasio est, sed raró primaria comperitur efficiens febris causa, quòd nunquàm bilescat.

Potest tamen in melancholiam degenerare, & Quartanas facere, cum illa siquidem frigiditate sua consentit.

Quocircà in continentem febrium intermittentium causam radicitùs extirpandam toto animo & studio omni incumbendum.

D. Cur tam accurata febribus intermittentibus curatio adhibenda?

Cur intermittẽtium febriũ cura sit magni momenti.

C. Febrium intermittentium cura est tanti momenti, vt eâ neglectâ, nisi naturæ beneficio criticè soluantur, in longissimum tempus protrahantur, & in varios morbos aut acutos aut diuturnos degenerent, aut colicis doloribus quàm atrocissimis finiantur, quos in quibusdam excipit Paralysis brachiorum & crurum, ea tamen imperfecta, quâ illæso sensu motus perimitur.

D. *Quotuplex est febrium intermittentium crisis?*

C. Duplex: vna singularum accessionum, altera totius morbi. Quotuplex illarum crisis.

Accessiones singulæ sudoribus optimè finiuntur, interdum sed imperfectè insensibili transspiratione, nonnunquàm & papulis labiorum imperfectè iudicantur. Quomodo singulæ accessiones soluũtur. Sæpè initijs accessionum vomitiones vrgent, quæ licet humore multo detracto naturam exonerent, non tamen criticè, sed symptomaticè fiunt, neque morbum rectè iudicant. Vt enim continuarum febrium initiis, cùm cruda sunt omnia, vacuationes omnes non naturæ vi, sed morbi potius impetu & symptomaticè contingunt: sic quæ per initia accessionum febrium intermittentium contingunt, turgentis materiæ acrimonia naturam iritante, proprióque morbi impetu, non solius naturæ victricis robore fiunt.

D. *Quomodo febres intermittentes perfectè iudicantur?*

C. Febres intermittentes perfectè iudicãtur solo alui profluuio bilioso. Quomodo febres intermittentes perfectè iudicantur. Cùm enim ipsarum focus sit vel in

cysti fellis, vel in mesenterio, vel in liene, etiamsi quæ singulis accessionibus ex eo effertur exhalatio in habitum corporis irrepens, vel sudoribus, vel insensibili transspiratu, vel papulis discutiatur, manet tamen crassamentum, quod nisi beneficio naturæ vel medicamentorum per aluum expurgetur, obstructionum contumacium, icteri, & si illinc in abdominis membranas effundatur, sæuissimorum ventris cruciatuum causa esse solet.

Adeò vt, qui à febre intermittente conualescunt, nulla excretione biliosa per aluum facta, accommodatis pharmacis egeant, ad crassiorem humoris partem in præcordiis stabulantem detrahendam, ne fiat recidiua. Sola enim spontanea aut arte facta biliosorum deiectio à febris reuersione liberat.

DE TERTIANARVM intermittentium Curatione.

D. Præmissa vniuersali febrium intermittentium doctrina, singularum aggredienda curatio est, ducto à Tertianis exor-

dio, quòd omnium frequentissimæ sint.

Quotuplex est Tertianæ intermittentis curandæ indicatio?

C. Tertianæ intermittentis curatio triplicem habet indicationem: vnam à febre sumptam, alteram à causa, postremam à symptomatis quæ febrem sequi solent. Quotuplex sit Tertianæ curandæ indicatio.

D. Quid febris indicat?

C. Febris refrigerationem, & humectationem requirit.

Vnde febricitanti victus refrigerans & humectans instituitur. Quæ à febre sumitur:

D. Quid causa indicat?

C. Causa euacuationem demonstrat, quam debet præcedere materię præparatio, & viarum per quas fluat apertio. Quæ à causa.

D. Quomodo materia præparatur?

C. Coctione & alteratione, vt refrigeratione & humectatione.

D. Quomodo viæ per quas debet fluere materia aperiuntur?

C. Attenuatione & detersione humoris crassi lentique, vias obstruentis.

D. Quomodo materia euacuatur?

C. Venæ sectione, purgatione per

aluum, per vomitum, sudorum prouocatione.

D. Quid symptomata postulant?

Quæ à symptomatis.

C. Lenitatem per ea quæ humoris acrimoniam obtundunt.

D. *Quo pacto vniuersa hæc remedia singulis periodis aptanda sint, deinceps explanandum. Quæ primæ accessioni sit adhibenda curatio in primis exprime?*

Quid ad primæ accessionis curationem requiratur.

C. Prima accessio blanda cùm sit, nulla remedia postulat, præter exactam diætam. A cibo quippè abstinendum, dum prorsus quieuerit. Si tamen sitis vrget, extinguenda est potione refrigerante & bilis feruorem obtundente, succo limonum cum sextuplo ptisanæ, vel hydrosaccharo, vel iulepo Alexandrino, aut pomaceo. Sub finem accessionis sorbitio refrigerans & humectans, ex iure pulli aut carnis vitulinæ, lactuca, portulaca, oxalide & similibus alterato, exhibenda.

Si quidem in febribus Tertianis, vt & aliis intermittentibus, extra accessionem cibo locus est.

Cur in accessione non est alendus æger?

C. Quia in febris exacerbatione dum corpus vniuersum tetro vapore perfunditur, cibus recens sumptus labefactatur, & magna ex parte corrumpitur, vnde excandescentia maior euadit. Adde quòd natura mortifico humori concoquendo prorsus intenta, noua cibi concoctione auocanda non sit, vt monet Galenus. Ideò in paroxysmo cibum porrigere prohibet Hippocrates *Aphorism.* 2. *sect.* 1. Cur in paroxysmo prohibeatur cibus.

D. Quòd si paroxysmus adeò longus, vt vires tandiu sufficere nequeant, nónne ægrum alere licebit? Obiectio.

C. Si æger ob imbecillitatem deficere videatur, nullo non accessionis tempore erit alendus: sed minore periculo aletur desinente, quàm incipiente febre; & increscente, quàm vigente. Verùm intermissionis die securiùs cibatur: nisi quatuor aut quinque horis ante succedentis paroxysmi inuasionem, quo tempore subtrahendus cibus est, vt febris inani ventriculo prehendens, minùs negotij facessat. Responsio.

D. Nihilne inter primam & secundam accessionem corpori indendum, præter

alimentum quid assumitur?

Quid postridie accessionis faciendum.

C. Matutinâ aut vespertinâ horâ, longè à pastu, iniiciendum est enema, ex catholici & diacassiæ ana ℥. ß. & mellis rosati ʒ. iij. in seri lactis, vel decocti remollientis ℔. j. dissolutis comparatum. Mel non admiscetur simplex, quòd in bilem facilè vertatur. Olea non adiiciuntur, quia calorem & putredinem facilè concipiunt, nec proinde biliosis febribus conueniunt.

D. Quid ad secundæ accessionis curationem moliendum?

Quid in secundæ accessionis cura moliendum.

C. Secunda accessio grauioribus symptomatis comitata est, quibus sigillatim peculiaribus auxiliis opitulandum. In ea autem nihil tentandum est. Poterit tantùm accessionis feruore ad ardorem leniendum hepatis regioni admoueri epithema, ex aquarum cichor. rosar. plantag. ana. ℥. iiij. aceti rosat. ℥. ij. camphor. ʒ. ß. pulu. elect. trion-sant. ʒ. ij.

Sed cauendum ne hic liquor hypochondrio insideat, dum imminet sudor. Eius enim eductionem inhiberet: qui si sponte erumpat, operimentis

mediocribus excipiendus; & nisi præcordia multo potu turgeant, iulepo aliquo iuuandus, vt syrupo capillorum veneris & limonum cum aqua cocta dissoluto; aut si nulla phlogoseos viscerum suspicio, vino albo tenui quàm dilutissimo. Id quippè sudores & vrinas mouet. Quòd si beneficio naturæ non erumpat, non est aut multis vestibus, aut aliis calorificis admotis prouocandus.

D. Quid postridie accessionis agendū?

C. Mittendus erit sanguis è basilica dextra, cautione tamen adhibita, ne vacuatione immodica dissolutæ vires succedentis exacerbationis impetum ægriùs perferant. Quid in intermissione.

D. Sed quid confert Tertianæ phlebotomia, cùm de continente febris materia, quæ est in prima corporis regione, nihil tollat?

C. Quia materiæ morbificæ portio, & ab ea elati vapores, è prima corporis regione in venas maiores effunduntur, à quibus sanguis in ipsis contentus corrumpitur, vtiliter secatur vena, maximè si plethora adsit, & symptomata febris grauissimè infestent.

D. Cur inter secundam & tertiam accessionem celebranda tibi videtur phlebotomia, cùm alij complures ab hac ante quartam accessionem abstineant?

C. Quia magna remedia ἐν τῇ ἀρχῇ, non ἐν τῇ ἀκμῇ præcepto Hippocratis administranda. At quarta accessio plerúmque morbi vigor est, quo maximè tempore omnia exacerbari solent.

D. At non alia de causa illi venæ sectionem tandiu differunt.

Metuunt enim ne perturbatio quæ in vigore ab insito calore turgentem humorem concoquente contingit, prægressæ phlebotomiæ adscribatur.

C. Legitimæ curationis ordinem ob vulgi calumnias peruertere nefas. Prædicenda potius morbi exasperatio multò maior futura, nisi sanguis missus fuerit.

D. Quæ curatio tertiæ accessionis die ac postridie instituenda?

Quæ tertiæ debeatur accessioni curatio.

C. Tertia accessio sæpè vehementioribus symptomatis comitata est, quæ eodem die accommodatis remediis lenienda sunt. Postridie verò accessionis, catharticum leniendo & refrigerando

frigerando purgans dandum, vel forma boli, aut potus.

Exempli gratia:

℞. cassię recenter extract. ℥.j. seminis melon. mundat. contusi. ʒ.j. fiat bolus, die intermissionis exhibendus: vel ℞. rad. cichor. oxalid. gram. asparag. an. ℥. ß. folior. endiu. scariol. pimpinell. capill. ana M. ß. flor. cordial. an. P. ß. semin. melon. mund. ʒ.j. fiat decoctio pro dosi, infunde in vna parte fol. sen. mund. ʒ.iij. caryophyll. n. iiij. in altera rhabarb. el. ʒ. i. ß. cinnam. ℈. ß. in expressa colat. dissolue syrupi capill. ℥. ß. fiat potus. Quæ intermissioni.

D. Cur syrupus rosarum pallidarum non additur?

C. Quia syrupus rosarum pallidarum, licet mitis sit & gratus, sola tamen serosa excrementa detrahit. Itaque nullum locum habere debet in biliosis febribus, nisi seroso humore æger scateat. Alioquin detracto sero bilis freno, sitis, ardor, & siccitas magis efferantur. Adde quòd benigniorum medicamentorum actionem sic præcipitat, vt ea fine suo frustretur.

D. Cur diaprunum, aut elect. de succo

rosarum non admiscetur?

C. Quia scammoniata bilem acriùs accendunt, febrémque biliosam exasperant. Itaque ab illis hîc abstinendum.

D. Quæ curatio, quartæ exacerbationis & intermissionis die, tentanda?

Quæ quartæ periodi curatio.

C. Quarta accessio, morbi vigor est, horrendis sæpè symptomatis se prodens, quibus sigillatim occurrendum peculiaribus remediis posteà dicendis. Quòd si singulæ accessiones sudoribus soluantur, & vrinæ sanis proximæ sint, spes est accessione septima febrem solutum iri: sin contraria adsint, in longum tempus protrahetur, maximè si Autumnus proximus sit. Itaque si per initia, venæ sectio omissa fuerit, vel si detractus sanguis valdè putris apparuerit, postridie accessionis quartæ repetenda erit phlebotomia, vt humorum in venis maioribus contentorum putredo arceatur, sícque febris intermittentis in continuam transitus prohibeatur. Post quartam accessionem si sudores naturæ beneficio non erumpant, sudorificis prouocabuntur.

D. Quæ cura quintæ accessionis & intermissionis habenda?

C. Quinta accessio si quibusdam adhuc grauibus symptomatis sit comitata, danda enixè opera vt idoneis remediis illicò demulceantur. Si nausea fatiget initio paroxysmi, ad vomitum prouocandus æger, maximè si facilè vomat, nec habeat thoracem angustum, pulmonem imbecillum, collum gracile, nec vnquam sanguinem vomuerit, aut spuerit. Quæ quintæ accessionis & intermissionis habendæ cura.

D. Quid ad ciendum vomitum dandum?

C. Oleum cum vino albo, aut cum aqua tepida mistum, ita vt ad ℥. vj. liquoris sint ℥. iij. olei. Datur etiam ʒ. j. radicis asari puluerisati, dissoluti cum ℥. vj. vini albi: aut serum lactis in quo decē asari folia fuerint infusa. Vulgus oui crudi luteum in ℥. iij. omphacij dissoluit. Quòd si tardiùs vomitorium operetur, digitus gulæ immittatur, quàm altissimè fieri poterit, aut penna oleo illita fauces titillentur. Erit profectò vtilissimum emeticum, si sine magno conatu ingentem bilis & pituitæ copiam detra-

hat. Quòd si semel datum, febrem non discussit, repeti potest, interiectis præparantibus & purgantibus.

D. Sunt qui vel primis accessionibus vomitorium propinant?

C. Maximè. Sed alij non nisi post quartam accessionem propinandum esse contendunt, quod ante id tempus humor adhuc crudus non facilè sequatur medicamenti impetum.

Quòd si per initia purgatio neglecta fuerit, postridie accessionis quintæ, purgatorius potus anteà præscriptus erit exhibendus. Saltem clyster emolliens & detergens iniiciendus.

D. Quæ remedia sextæ accessionis curationi adhibenda?

Quæ remedia sextæ accessionis, atque intermissionis die præscribenda.

C. Si molesta quædam symptomata supersint, sextam accessionem comitantia, peculiaribus antidotis profliganda.

Apozema deinceps instituendum, quod refrigerando, aperiendo, & concoquendo, morbi materiam ad purgationem præparet, hoc modo:

℞. radicum cichor. gram. oxalid. ana ℥. j. radic. petrosel. & fœnicul. in aceto macerat. ana ℥. ß. capill.

omnium bugloſſ. borrag. hyſſop. agrimon. hepatic. ana M. j. ſemin. 4. frig. maior. ana ℥. ß. florum iij. cord. an. P. j. fiat decoctio ad ℔. j. in colat. ℥. viij. diſſolue ſyrupi de cichor. ſyrupi de pomis an. ℥. j. fiat apozema clarif. aromatiz. ℈. ij. ſantal. citr. pro ij. doſibus; quarum vna manè, altera veſperi, pridie acceſſionis ſeptimæ exhibeatur.

D. Quid ſeptima periodo præſtandum?

C. Septima acceſſionis die, quieſcendum, ac diligenter obſeruandum quid molietur natura. Quamuis autem Tertiana ſoluta ſit, nihilominus tamen æger, ſi non contigerit ſpontaneum alui profluuium, recidiuæ metu poſtridie repurgandus eſt hoc potu: Quid ſeptimæ acceſſionis die agendum.

℞. decocti ex apozemate relicti ℥. iiij. infunde in vna parte fol. Oriental. ℥. ß. cum caryophyll. vj. in altera rhab. el. ʒ. ij. cum cinnam. ℈. ß. & agaric. recenter trochiſc. ℈. ij. in expreſſa colatura diſſolue ſyrupi de cichor. ℥. j. fiat potus, manè ſumendus. Licet enim ſudore, aut inſenſibili transſpiratione finita ſit hæc febris, craſſior tamen bilis in præcordiis re- Quid poſtridie.

manens, nisi naturæ beneficio prorumpat, recidiuum morbum facit.

Transitus Tertianæ legitimæ ad spuriam.

D. Adhuc fuit Tertianæ legitimæ intermittentis curatio minutatim exposita, nunc ad Tertianæ nothæ curationem transeundum. Sed imprimis qui inter se distinguantur, aperi?

Qui inter se distinguantur.

C. Tertiana legitima à spuria distinguitur, quòd illa in septem periodis quàm tardissimè iudicetur, vt Hippocrates adnotauit *Aph. 59. l. 4.* hæc verò diutiùs perseueret.

D. *Cur illa breuiori, hæc verò longiori tempore terminatur?*

C. Quia legitima Tertiana, à bile simplici profecta est; spuria verò à bilis permistione cum pituita aut melancholia, vnde contumaces oriuntur obstructiones, quæ hypochondriorum tactu, faciei colore, & aliis signis deprehenduntur. Illa proinde febris, μονοειδὴς, hæc verò ποικίλη διάθεσις est.

At αἱ ποικίλαι διαθέσεις ἀεὶ χρονιώτεραι γίγνονται τῶν μονοειδῶν, ἀδυνατούσης δηλονότι τῆς φύσεως ἐν ὀλίγῳ κατεργάζεσθαι τὰς πολλὰς διαθέσεις: Multiformes affectiones semper diuturniores fiunt, quàm quæ sunt vnius formæ: quia scilicet natura

exiguo tempore multiplices affectiones subigere & concoquere nequit, vt præclarè *Galenus com. in Aph.* 40. *l.* 4. scriptum reliquit.

D. Quænam remedia Tertianæ nothæ curationi adhibenda?

C. Quæ potentiùs aperiunt, & crudos humores concoquunt deligenda, qualia sunt simplicia, ex quibus constat hoc apozema: ℞. radic. cichor. ℥. ij. radic. apij, petrosel. fœnic. in aceto macerat. an. ℥. j. radic. enulæ campan. polyp. an. ℥. ß. glycyrrhiz. passul. an. ʒ. vj. fiat decoctio ad ℔. j. ß. addendo sub finem capill. omnium, bugloss. borrag. hyssop. an. M. j. florum cordial. epithym. absynth. vulg. an. P. j. in colat. dissolue syrupi capill. Ven. & syrupi bizantini an. ℥. ii. fiat apozema, pro iiii. dosibus, bis in die exhibendis. Quæ remedia ad Tertianã notham profligãdam deligenda.

Concocta morbi materia, eodem detrahatur apozemate, cui fol. Orient. ℥. ß. cum zingib. ℈. ß. infusæ fuerint.

Si tensio sit in præcordiis, præscribatur hic fotus emolliens, attenuans & roborans:

℞. rad. althææ, semin. lini an. ℥. ij. rad. cyperi, enulæ campan. calam. aromatic. semin. fœnic. anis. an. ℥. ß. fol. absynth. menthæ, agrimon. scolopend. origan. hyssop. an. M. j. flor. chamæmel. melilot. aneth. rosar. rubr. an. P. j. includantur duobus sacculis, qui coquantur in aqua, addendo vini rubri quartam partem, & aceti ℥. ij. vt altiùs remediorum vis deducatur, nec fotu iecur incalescat. Post fotum illinatur hypochondrium oleo de absynthio, de capparibus, vel chamæmelino.

A fotu & litu rursus purgatio decernenda, quæ præparatum humorem eximat, atque bis saltem in hebdomade repetenda, donec omninò sit profligata febris, exhaustáque morbi sentina.

Victus interim attenuet, incidat, & in calore & frigore sit temperatus. Iusculis incoquantur petroselinum & hyssopus. Vinum detur album, aqua temperatum.

D. Hæc curandi ratio maximè mihi probatur, à quocúmque humore vitioso febris oriatur: sed si contumax adeò fuerit,

vt hisce non cedat remediis, nulláne alia sunt ad eam profligandam vsurpanda?

C. Si vltra 14. accessionem febris extendatur, accuratiùs peruestiganda diuturnitatis causa, num humor melancholicus, atrabilariúsve, aut pituitosus, sit cum bile mistus: an praua quædam iecoris, aut mesenterij, alteriúsve visceris affectio, sit illius fomes. Ad vitiosum humorem internoscendum, considerandus est faciei color, & totius corporis habitus. Quid in cura Tertianæ nothæ diligenter animaduertendũ.

D. Quibus notis dignosces num humor melancholicus sit?

C. Si melancholicus humor est, color faciei fuscus & nigricans conspicitur, mores ad mœrorem & terrorem inclinant, tactu percipitur in hypochondrio sinistro tensio & renixus. Quibus signis dignoscatur, an melãcholia cum bile sit Tertianæ diuturnæ causa.

D. Quibus remediis curationem tentabis?

C. Iteranda phlebotomia è basilica sinistra, nisi venarum plenitudo sit exhausta. Bis in hebdomade peccãs humor præfato apozemate denuò præparatus, repurgandus erit potione comparata ex radicibus & herbis hepaticis & spleniticis, cum quibus de- Quibus remediis instituenda curatio.

coquatur rad. ellebori nigri nostratis præparati ʒ.ß. pro quáque dosi; Clysteres frequenter iniiciendi.

Suprà, comprehensi fotus & litus iterum adhibendi.

Balnea deinceps ex vsu erunt. Nihil enim æquè crassum & contumacem humorem attenuare, concoquere, & emollire potest, atque balnei vsus diebus intermissionis, horâ matutina ac vespertina repetitus. In cuius ingressu æger hauriat ℥. iiij. apozematis ex radice enulæ, absynthio, & aliis id genus, parati. Sed quarto quoque intermissionis die, intermisso balneo, purgans medicamentum repetatur. Quòd si humor melãcholicus, frigidus & terrenus extiterit, balneum sit paulò calidius, in quo etiam leuiusculus sudor sinatur effluere. Sin autem atrabilarius fuerit, tepidum duntaxat balneum sit, nullúsque sudor promoueatur. Melancholicum enim humorem ad concoctionem calfacere, attenuare & incidere oportet. Atrabilarium verò à flaua bile genitum, humectare, & temperatè mitificare. Idcircò victus in Tertiana notha à bile & melancho-

lico ſucco miſtis, mediocriter calfaciens & attenuans eſſe debet: ab atrabilario autem humore, refrigerans & humectans.

D. Omnium, quæ recenſuiſti, remediorum, vt efficaciſſima, ita & periculoſiſſima ſunt cathartica, ex elleboro comparata, niſi aptè præparetur: profer igitur ſecurum eius præparandi modum, vt citra noxam poſſit exhiberi?

C. Contunditur primùm elleborus, dein maceratur ſuper cineres calidos in aqua bugloſſi & roſarum, cum quarta aceti parte, & nucis moſchatæ momento. Tandem igne lento ferueat, dum liquor omnis ſit abſumptus. **Quomodo præparetur elleborus.**

D. Quibus ſignis dignoſces num pituita cum bile redundans, diuturnitatis Tertianæ febris cauſa ſit?

C. Si phlegmaticus, crudúſque humor cum bilioſo exuperet, immoderatus præceſſit aquæ aut ptiſanæ potus, facies ſubpallida & ſubtumida cernitur, pedes quibuſdam veſperi tument, aliáque adſunt cruditatis & imbecillitatis natiui caloris argumenta. **Quibus ſignis dignoſcatur, an pituita cum bile, ſit diuturnæ febris cauſa.**

D. Qua methodo Tertianam ab hac causa procreatam curabis?

Qua methodo molienda curatio.

C. Victus imprimis calfaciens & exsiccans instituendus.

Parcissimè bibendum. Pro potu vtendum vino tenui & oligophoro, quod per vrinas promptè secedit. Rondeletius hanc ptisanam commendat: ℞. hordei mundat. quart. j. iuiub. passul. mund. cicerum rubr. ana ℥. j. glycyrrhiz. ℥. ß. fiat decoctio in aqua ad ℔. ij. Colatura transfundatur per manicam hypocraticã, cum ℥. iiij. sacchari, & ʒ. ij. cinnamomi.

Abstinendum à sorbitionibus & liquidis omnibus, imò & ab elixis, si assis æger vti potest. Hoc enim tenui, siccante & calfaciente victu, crudus humor natiui caloris beneficio vel concoquitur & in alimoniam cedit, vel attenuatur & insensibili transpiratione effluit, sícque obstructiones soluuntur. Intermissionum etiam diebus exercendum corpus, vt crudi succi citiùs concoquantur, & attenuentur.

Interim foueantur hypochondria hoc fotu:

℞. rad. ireos Florent. enulæ, cyperi, calam. odorati, ſemin. aniſ. fœnic. an. ℥. j. fol. betonic. rutæ, hyſſop. origan. abſynth. an. M. j. flor. chamæmel. melilot. aneth. ſtœchad. an. P. j. duobus ſacculis contineantur, qui bulliant in vino albo, pro fotu hypochondriorum.

A fotu exſiccata illinantur oleo de abſynthio.

Parandum item apozema ad accelerandam crudi humoris concoctionem, ex radicibus aperientibus, rad. enulæ, foliis abſynthij, hyſſop. praſſij, meliſſ. artemiſ. verben. agrimon. in quo diſſoluātur ſyrupi capill. Ven. & de hyſſopo.

Aliquod ſubinde catharticum, quod pituitam & bilem detrahat, præſcribendum, ſolida potiùs quàm liquida forma, ne nimius humor imbecilliori vim inferat, quarto quoque die intermiſſionis exhibendum.

Non priùs hîc balneum vſurpandum, quàm tumores œdematoſi diſparuerint, redundánſque cruda pituita cocta ſit. Tum enim ſi quid fortè alius obduruit, quod nulla ratione

emolliri, attenuari, & cócoqui potest, balneũ supra positum conducet tepido pauló calidius, citra tamen insignem sudorum profusionem. Prædicta curatio continuata (factis tamen interuallis, ne natura nimiùm fatigetur,) omnem Tertianam febrem, quæ à vitioso humore orta est, exstirpat.

D. Quo pacto curabis Tertianam, quæ à praua iecoris, aut mesenterij, aut alterius visceris affectione, fouetur?

Qua ratione curanda febris Tertiana, quę à praua viscerum affectione fouetur.

C. Hæc febris communia plerúmque spernit remedia. Praua enim qualitas, quæ in viscere remanet, humorem nouum quotidie accumulat, qui accessiones fouet. Sic sæpè obseruatum, in multis qui sicco & squallido essent corporis habitu, & omnino biliosi citra tensionem viscerum, & citra humoris copiam, tres, quatuórve menses, calido præsertim anni tempore Tertianam afflixisse.

Hîc valida purgantia, valdè aperientia & calfacientia nocent, satísque refrigerante & humectante victu, & iulepis, apozematis aut syrupis simili facultate præditis, seruato ta-

men iecoris robore, affectionem prauam demulcere; & quem colligit humorem, mollientibus clysteribus, & catholico, ac similibus lenientibus, detrahere. Fotus tamen emollientes & roborantes iecori & mesenterio adhiberi possunt. Balnea etiam aquæ dulcis mirificè prosunt, quæ calidam & siccam affectionem delent, & extinguunt, si in ea æger semel intermissionis die considcat, citra sudorum profusionem.

Quòd si his remediis, per vnum aut alterum mensem continuatis, febris non cedat, cæli aut loci mutatio, rusticatio, animi oblectatio, & voluptas vndecúnque capta, sæpè melius opitulantur. Quamobrem ne diuturno remediorum vsu, partium naturalium robur dissoluatur, instituto victu idoneo, maiora remedia intermittenda esse sentio, syrupo hepatico aluum bis térve in mense soluere contentus, dum recreatis naturæ viribus morbus repetita curatione funditùs tollatur.

D. *Quid Tertianas adeò longas facit?*

C. Interdum pluuiosus aëris status diu perseuerans, quia corpus excrementis frigidis replet, vnde conduplicantur obstructiones: quandóque calida & sicca viscerum constitutio, quæ bilem efferat, & prauam quandam affectionem relinquit bili generandæ aptam, quæ materiam nouam quotidie suppeditat, donec praua illa qualitas fuerit extincta.

Quid Tertianas producit.

D. De Tertianæ simplicis tam legitimæ quàm spuriæ therapia quidem satis: superest Tertiana duplex, quo pacto curanda sit, aperi?

Quemodo Tertiana duplex curanda.

C. Tertiana duplex, quòd ab eodẽ humore oriatur, à quo Tertiana simplex, eadem victus ratione, iisdemque omnino remediis curatur. Sed exhibendi cibi, & medicamenti purgantis occasio præceps est, ideò cùm sese offert accipienda. Exempli gratia, si accessio quotidie inuadat hora septima matutina, nec desinat ante mediã noctem, sub finem accessionis reficiendus æger leui cibo, qui facilè coqui & citò distribui queat: quatuor abhinc horis catharticum porrigendum, vt eius actio completa sit, ante-

quàm ſubſequens paroxyſmus recurrat. Si enim ſeriùs exhiberetur, inchoatam vacuationem ſuppremeret.

Quòd ſi priúſquàm vna deſierit acceſſio, alterius horror inuadat, ſtatim à vigore acceſſionis, cibo aut medicamento locus eſt. Præſtat enim inclinãte, quàm incipiente aut vigente, morbo, alterutrum moliri.

D. Cur Tertiana ſæpè ex ſimplici duplex, & ex duplici ſimplex euadit?

C. Cùm bilis non niſi tertio die ſatis in corpore cumulatur, vt naturam proritet, Tertiana oritur ſimplex: vbi tàm multa deinde coaceruatur, vt naturam quotidie ſtimulet, ex ſimplici duplex fit. Si poſteà bilis ita imminuatur aceruus, vt alternis duntaxat diebus naturã prouocet, circuitúmq; moueat, Tertiana ex duplici ſimplex euadit. Cur ſimplici duplex, & duplici ſimplex Tertiana ſuccedat.

D. Quam fidem adhibes vulgaribus remedijs, quæ mulieres in primis acceſſionibus Tertianarum applicare ſolent carpis?

C. Hæc, ſi non proſunt, non nocent; modò cauſtica non ſint. Vulgaria remedia ad Tertianarũ curationem carpis adhibita.

Huc accedit, quòd vulgi opinionem explemus, qui pleróſque exiſtimat ad

sanitatem perductos horum remediorum vsu, cuiusmodi sunt: Sonchus, plantago, sambucus. Teruntur cum sale & aceto, & carpis alligantur. Sunt qui puluerem fuliginis ex furno, & saluiam contusam misceant cum oui albo, & apponunt carpis.

Alij eandem fuliginem cum allijs, cæpis,, albo oui miscent, acetum affundunt, admouent carpis. Radix ranunculi teritur, & alligatur carpis, creditúrque sua caliditate humorem morbificum foras trahere.

DE QVARTANARVM intermittentium Curatione.

D. Vnde Quartana intermittens ortus sui causam ducit?

A quo humore Quartana intermittens oriatur.

C. Quartana intermittens fit ab humore melancholico in liene, mesenterio & hypochondriis contento putrente.

D. Quotuplex est Quartana?

Quotuplex sit.

C. Cùm duplex sit melancholicus humor, vnus frigidus & crassus, veluti sanguinis limus, qui propriè melancholia dicitur; alter calidus multò tenuior, vel ex adusta sanguinis fęce, vel ex flaua bile, vel ex pituita salsa mul.

am bilem admixtam habente contractus, qui propriè atrabilis nuncupatur; duplex Quartana intermittens statuenda est: vna ab humore melancholico frigido, vi ignei caloris torrefacto genita, quæ legitima & exquisita Quartana vocatur; altera ab humore atrabilario, quæ notha & spuria appellatur.

D. Quomodo Quartana legitima distinguitur à spuria?

C. Haud difficulter inter se discernuntur, quia exquisita primò & per se, nulla alia febre antegressa, corripit; eósque potissimum in quibus melancholicus humor redundat.

Quo pacto exquisita Quartana discernatur à notha.

Notha verò nunquam ab initio, & ex se ipsa prehendit, sed aliis succedit febribus, continuis vel intermittentibus non integrè solutis, quarum causa intus remanens adustione, atræ bilis naturam subit, & putrens subiecta fit Quartanæ materia. Symptomata insuper sæuiora profert, quàm exquisita, sitim maiorem, flauiores vrinas, acriorem caloris æstum, & vehementiorem inquietem, adeò vt ad Tertianæ febris sæuitiam propiùs accedat.

Quinetiam postridie accessionis æger se malè habet, nec benè appetit, nec sine grauibus insomniis dormit, sentítque lassitudinem, ob relicta caloris vestigia.

Ideò spuria Quartana simplex multo faciliùs in duplicem, triplicem & continuam degenerat, cùm morbificus humor iritatur. Sed vt molestior quàm legitima, sic minùs diuturna est.

D. Quæ vtríque Quartanæ sit adhibenda curatio, deinceps expone?

Cur exquisitę ac spuriæ curatio diuersa.

C. Cùm legitima, atque spuria Quartana, à diuerso humore oriantur; diuersam viuendi rationem, diuersáque, ad causam morbi extirpandam, remedia postulant.

Diuersitas enim causæ, diuersitatem curationis indicat.

D. *Quæ in exquisita Quartana victus ratio instituenda?*

Quæ in exquisita Quartana victus ratio conueniat.

C. Humor morbificus cùm frigidus & crassus sit, calefieri & extenuari desiderat. Itaque in hac febre, calida & extenuante victus ratione opus est. Maior enim indicationis vis ab humore sumitur, quàm à febre, quæ

refrigerari & humectari vult ; quia calor febrilis biduo intermittens, nec impensè vehemens, non tantoperè vrget : humor autem, febris cauſa, frigiditate & craſſitie aſſiduò vires premit, viſcerúmque temperiem lædit. Idcircò præcipuum Medici conſilium ad cauſam morbi dirigitur.

Abſtineat igitur Quartanâ laborans, à frigidis, craſſis & flatulentis cibis, à pane azymo, à carne ſuilla, bubula, ceruina, leporina, auium paluſtrium, anatum, à caſeo quolibet, nucibus, caſtaneis, leguminibus, à fructibus crudis, cucumeribus, melonibus, braſſicis. Vtatur verò carnibus euchymis, quas intingat cōdimentis ex pipere, zingibere, cinnamomo, caryophyllis, vel nuce moſchata. Pleríque carnes elixas aſſis, ac ſorbitiones ſolidis epulis præferunt; quia morbificus humor craſſus & ſiccus humido victu dilutus, haud ita ſolutu difficilis eſt. Alij carnes aſſas elixis anteponunt, ac ſorbitiones reſcindunt, victúmque ſiccum decernunt, vt ſuperuacaneus humor ab-

sorbeatur. Pro potu vtatur vino albo, vel rubro, benè maturo, non crasso, nec turbido. Si verò sit abstemius, hydromelite ex vna parte mellis, & decem aquæ facto, vel aqua cum aniso, fœniculo vel cinnamomo cocta. Victu autem tenui alatur æger, parcéque bibat, quia cruditas huius febris perpetua comes est: nihil autem magis cruditatem auget, quàm cibi præsertim humidi, potúsque copia. Iuscula medicata conferunt, quibus incoquantur cappares, radices petroselini, asparagi, & aliæ incidentes & aperientes, folia buglossi, borraginis, hyssopi, thymi, & similia. Nonnulli acetum, omphacium, aliáque acida prohibent, quia facillimè in humorem melancholicum vertuntur. Alii verò ea commendant, quòd crassum humorem incidant, & attenuent. Sunt qui concedunt cæpe, allia, porrum, sinapi; verùm, eorum vt & salsorum, parcissimus sit vsus.

Secunda mensa conueniunt poma perfectè cocta, aniso aut fœniculo conspersa, pruna cocta, passulæ.

Exacerbationis die nihil ſumendum cibi eſt, niſi vbi febris declinauerit; aut ſi quid dari corporis neceſſitas cogit, id ſit perexiguum & liquidum.

Qui intermiſſionis die exhibebitur cibus, ſubſequentem acceſſionem quatuor aut ſex horas præcedat.

Hilaritas modis omnibus concilietur, iocis, confabulationibus, deambulationibus, quæ non parum proſunt ad crudorum concoctionem. Vitetur mœſtitia, vt & ſolitudo, atque ignauia.

D. Sufficítne idonea victus ratio ad huius febris curationem?

C. Nequaquam. Humor quippè morbificus neceſſariò educendus eſt: educi autem nequit imparatus & incoctus. **Cur præparantia inſuper ac purgãtia requirantur medicamenta.**

D. Quo pacto præparabitur & concoquetur?

C. Si calfacientibus, eius frigiditas temperetur; & aperientibus ac incidentibus, craſſities attenuetur. Sine qua præparatione, inanis erit humoris crudi & pertinacis, purgantibus pharmacis iritatio.

D. Præparantia hîc vsurpanda minutatim recense.

Medicamenta interna humorem morbificum præparantia.

C. Ad præparandum humorẽ melancholicum, syrupi capillorum Veneris, de fumaria, de stœchade, de artemisia, in primis idonei.

Oxymeli simplex & scylliticum æquè accommodatum.

Syrupi. Oxymeli. Apozemata.

Apozemata dein conueniunt, ex radicibus enulæ, apij, petrosel. fœnicul. asparag. asari, rubiæ maioris, corticibus cappar. & fraxini, infusis in vino albo, ex folijs saluiæ, artemisiæ, maioran. origan. calamint. thymi, puleg. absynth. tanaceti, scolopend. chamædryos, chamæpytios, seminibus anisi, dauci, carui, ameos, seseleos composita, quibus è præfatis syrupis dissoluatur aliquis.

Vina medicata.

Vina item medicata conficiuntur longè efficacissima, quale absynthites, & enulatum, hoc modò paratum:

Catapotia.

℞. vini albi ℔. j. rad. enulæ per taleolas sectæ ℥. iiij. cortic. rad. cappar. ℥. j. radic. angelic. ʒ. ij. comarum absynth. vulgar. sicci P. ij. Omnia simul in lagena vitrea per quatriduum tepido loco maceranda relinque, colatum

latum

latum deinde vinum frigido loco recondatur; ac octo abhinc diebus, intermissionis tempore, ad ℥. iij. exhibeatur, manè & vesperi. Deglutitis priùs quatuor pilulis ex hac massa, vt vtròque remedio in morbifici humoris concoctione conspirante, breui magnus accedat profectus:

℞. aloës ℥. j. mithridat. ʒ. iij. radic. asari, gentianæ, bryoniæ siccæ, ana ʒ. ij. aristoloch. rotund. ʒ. j. ß. myrrhæ, croci, ana. ʒ. j. cum syrupo de artemisia fiat massa. Cui chalybis ritè præparati puluis addi poterit. Catapotia.

Fiunt etiam opiatæ ex conseruis saluiæ, betonicæ, anthos, violar. borrag. puluere diamargarit. frigid. cum syrupo capillorum Ven. Opiatæ.

Si quis in hypochondriis sentiatur renixus, obstructionis index, adhibeatur fotus per sacculos ex radic. foliis & seminibus in apozemate commemoratis, additis remollientibus herbis. Externa remedia. Fotus.

A fotu pars exiccata illinatur oleo capparum, liliorum, absynthij, chamæmeli, addito ammoniaco, quod in aceto dissolutũ fuerit, atque colatũ. Litus.

Emplastrum. A litu superponatur hoc emplastrum:

℞. styracis, benioini, calami aromatic. ana ℥. ij. gummi pini ℥. j. ß. ammoniaci in aqua scolopendrij liquati & colati ℥. j. rad. ireos in puluerem redactæ ʒ. j. malaxentur simul, addita sufficienti quantitate ceræ, fiat emplastrum.

Hisce remediis internis & externis præparatus humor, semel aut bis in hebdomade, purgantibus medicamentis detrahendus.

D. Quæ purgantia hîc deligenda?

Quæ purgãtia hic conueniant. C. Purgantia medicamenta per initia debent esse benigna, qualia sunt senna, rhabarbarum, cassia, catholicum, &c. quòd clementer cum Quartana agendum sit, principio morbi; quia morbificus humor contumax & expulsione rebellis, nisi abundè præparatus fuerit, à validis catharticis iritatur, & iritatus ferocius exultans, pro simplici duplicem Quartanam profert.

Vbi tamen concoctus fuerit morbus, validiora cathartica conueniunt, qualia sunt turpetum, radix ellebori

nigri, confectio hamech, & alia id genus.

D. Quando catharticum in Quartana exhibendum?

C. Nonnulli ipso accessionis die, quatuor, aut quinque horis, ante hororé catharticum exhibent; quòd eo tempore humor turgens & agitatus faciliùs expellatur. Quorum sententiam alij improbant, duabus de causis: vna, quòd in accessione nullum ægri cibandi tempus occurrat opportunum: altera, quòd superueniens horror inchoatam vacuationem, magno ægri incommodo intercipiat. Adde quòd commotus eo tempore humor, non cathartico, sed emetico forsan è suo foco faciliùs euellatur, cùm ad ventriculum, non ad aluum viam affectet. Itaque pridie accessionis commodiùs atque tutiùs assumitur pharmacum, vt cibo relinquatur locus, & actio medicamenti sit completa, ante subsequentis paroxysmi inuasionem. Quando ex vsu sint.

D. De phlebotomia nullum adhuc verbum fecisti, nonne Quartanariis tibi videtur administranda?

C. Si per initia febris Quartanæ, Quando secanda vena.

sanguinis copia venæ turgent, prægressa purgatione celebranda phlebotomia est.

Repetéda insuper venæ sectio, cùm inualescente calore, metus est, ne luxuriās in prima corporis regione cacochymia, inde in venas maiores transferatur, ac Quartanæ succedat continua febris, aut alius grauis morbus; vel, ne peccans humor in venis & arteriis lienis incalescens & putrescens, inflammationem lienis accersat.

Cur hæmorrhoïdôn prouocatio suspecta.

Sunt qui venam secant ipso accessionis die, quinque vel sex horis antequàm inuadat: Alii verò pridie accessionis id præstant, quia eo tempore vires sunt vegetiores.

Sunt qui ad humoris melancholici euacuationē, hæmorrhoïdas prouocent. Quod alij non probant; quia neque facilè euocari possunt, neque semper id tutò fit; quòd immodica plerúmque succedat hæmorrhagia, quam virium languor, & tandem hydrops consequitur.

Hæc continuata præfatorum remediorum vicissitudo, febris Quartanæ

causam exstirpabit, si diligens adsit perseuerantia.

D. *Si tamen morbi causa ita contumax & rebellis fuerit, vt his non mitescat, quibus deinceps armis oppugnanda erit?*

C. Vomitoriis vtendum erit, vt aqua tepida cum oleo mista, succo raphani, mediano iuglãdis arboris cortice arefacto, tritóque ad ℥. j. cum iure pingui sumpto. Vulgus asari folia decem contusa, in sero lactis macerat, expresśúmque hauriendum præbet; aut ℥. j. radic. asari in vino albo dissolutam. Quibus emeticis vtendum.

Sunt qui vomitoria pilularum potiùs quàm potionis formâ præbent; hac ratione impulsi, quòd Quartanæ causa non in ventriculo resideat, sed in venis lienis aut mesenterii, aut in cysti fellis delitescat: vnde vomitoria potio, quæ sæpè reiicitur, priusquàm vim suam exerat, vix quicquam eliciat nisi violentis medicamentis constet, quibus non nisi coacti vtimur: Pilulæ verò duabus horis ante horrorem sumptæ, non ante sesqui horam, aut horas duas vomitùm cient, tãtóque interuallo in altiores partes vim

suam transmittunt, vnde humorem potentiùs eliciunt. Miscent ergo ℥.j. asari, cum ℥.ß. mithridatii, & cum syrupo violarum formant pilulas. Repeti autem potest semel in hebdomade emeticum, meatibus ad iecur & lienem pertinentibus, priùs per pręparantia reseratis.

D. Quando emeticorum vsus tibi videtur tempestiuus?

Quando vsurpanda sint.

C. Veteres in febre Quartana, melancholia hypochondriaca, aliísque morbis chronicis, vomitum à cibo mouerunt, quod & Neoterici imitandum censent, quia morbificus humor mistus faciliùs expellitur. Adde quòd transuersæ ventriculi fibræ cibo & potu humectante, ruptioni minùs sunt opportunæ.

Quia verò eo tempore sumpta vomitoria nihil morbificæ materiæ, quæ non stomacho, sed alibi stabulatur, detrahunt; sed tantùm pituitam & quicquid in ventriculo fluitat: danda potiùs ea duabus horis ante accessionem, aut in ipso accessionis initio, vel fine, quia tunc humor commotus facilè sequitur.

Quòd si ante haustum emetici, æger sumat pingue aliquod iusculum, minori cum perturbatione & violentia succedet vomitio.

D. Num quid præterea ad prauam humoris qualitatem, contumaciámque domandam, præstandum?

Peculiaria remedia ad cõtumaciam humoris coërcendam.

C. Nonnulli aquam stillatitiam ex radic. gentianæ, aristoloch. asari, corticibus capparis & fraxini, theriaca & mithridatio, in vino albo maceratis, per alembicum vitreum eliciunt, eiúsque ℥. ij. in accessionis horrore porrigunt, cum ℥. ß. syrupi capillaris, ad melancholicum succum frigidum & crassum concoquendum, attenuandum, ægrúmque ad purgationem & vomitionem præparandum.

Sunt qui duabus horis ante accessionem dant theriacæ ʒ. i. aut castorii vel myrrhæ ʒ. ß. cum vini albi ℥. iiij. aut quid simile attenuans, incidens, calfaciens & concoquens.

Alii folia rorismarini, aut saluiæ in vino albo infundunt, & horroris initio colaturæ ℥. ij. propinant.

Alii frigoris tempore grana 5. piperis integra deglutiunt, mox vini

generosi ℥. iij. hauriunt.

Sed magna cautio adhibenda, ne frequentiori eorum remediorum vsu, hepar & reliqua viscera, humorésque vrantur. Itaque hæc non nisi frigidis naturis, ac senibus crudiore succo scatentibus, conueniunt.

Topica ad horrorem discutiendum. In frigidis insuper, humidísque naturis, in quibus nec calida iecoris intemperies, nec renum inflammatio metuitur, instante horrore, ceruix & tota dorsi spina, ad ignem rectò fouetur vino rubro, in quo decocta fuerint folia pulegii, calaminthi, origani, hyssopi, lauri, absynthii, menthæ, saluiæ, rorismarini, & rutæ: ac subinde inungitur oleis calfacientibus, & attenuantibus, nucum, de piperibus, de castoreo, iuniperi, abrotoni, rutæ, saluiæ, rorismarini, cum aqua vitæ. Horrorem enim discutiunt, humorem frigidum concoquunt, & sudores mouent, impediúntque paralysim, quæ interdum Quartanæ superuenit, ob crassos humores neruis impactos.

Ad prohibendum etiam horrorem æger valdè se exerceat, cùm paroxys-

mus ingruet; Sic enim remissior multò horror futurus est: vel lectum petat duabus horis, antequàm inuadat accessio.

In horrore verò, sacculi herbis, floribus & seminibus calfacientibus & attenuantibus pleni, in vino rubro feruefacti, hepatis & lienis regioni admoueantur, pedúmque plantis lateres calidi vino perfusi, & linteolis conuoluti: ita tamen vt succenso calore tollantur.

Nec omittenda sunt balnea aquæ dulcis, quæ paulò tepidis calidiora esse debent, ita tamen vt copiosum sudorem non eliciant.

Sunt qui vrgente febre, vrinas & sudores mouent, & ad id decoctum Gaiaci dilutiùs imperant. Verùm suspectus est illius vsus in omni febre. Vtiliter tamen sudor in fine accessionis excipitur. Imò quò sudor copiosior effluet, eò tardiùs recurrit sequens paroxysmus, & tempore intermedio æger meliùs se habet. Contrà, si non liberè prodeat, velut ex contusione grauitas in membris superest, nec febre prorsus immunis est.

D. *Peculiarem patefecisti legitimæ Quartanæ curationem : propriam spuriæ curam persequere?*

C. Spuria Quartana à bile flaua retorrida suam ducens originem, eandem curationem admittit, atque Tertiana notha, ab atrabilario humore profecta. Itaque victus non vt in Quartana à melancholico succo calfaciens, sed vt in Tertiana refrigerans esto, ad ardorem febrilem contemperandum. Calidus enim bilem retorridam, addito nouo calore magis accendit. Sorbitiones igitur exhibeantur, ex iure carnium euchymarum, quibus succus citrii aut arantii admisceatur: eodémque succo condiantur carnes, quibus aletur æger. Vinum nonnisi oligophorum, & aqua dilutissimum concedatur. Pomaceum non quidem dulce, sed benè defæcatum conuenit, quia bilem retorridam apprimè humectat. Bibat tamen æger mediocriter. Nam potus copia insitum calorem opprimeret. Acetum confert ad præsentis incendii extinctionem, & appetentiam excitandam. Vitentur salsamenta pi-

Remedia ad Quartanæ nothæ curationem adhibenda.

Victus conueniens.

perata, & omnia acria. Somnus extra paroxyſmum diuturnior iuuat.

Interim præparetur & concoquatur humor, iis quæ bilis flauæ ardorem contemperant, & atræ bilis perniciem domant, & obſtructiones viſcerum auferunt, quæ dabuntur hac iulepi vel apozematis formâ : Medicamenta interna humorem morbificum præparantia.

℞. aquar. ſtillatitiarum bugloſſ. borrag. violar. ana ℥. ij. ſucci malorum curtipendulorum reſidentia depurati ℥. iij. ſyrupi capill. veneris ℥. iiij. fiat iulepus, pro iiij. doſibus, manè & veſperi ſumendis. Iulepus.

℞. radic. cichor. oxalid. oxylapath. ana ℥. j. cortic. rad. cappar. & tamariſc. polyp. quern. rad. enulæ campan. glycyrrh. paſſul. mund. an. ℥. ß. fol. meliſſ. agrimon. ſcolopendr. adiant. an. M. j. abſynth. M. ß. ſemin. iiij. frigid. maior. an. ʒ. iij. flor. iij. cord. an. P. j. fiat decoctio, in colat. ℔. ij. diſſolue ſyrupi violat. & ſyrupi bizantini an. ℥. ij. fiat apozema clarificat. & aromatiz. ℈. iiij. triun, ſantal. pro iiij. doſibus. Apozema.

Purgatio. Corpore ita præparato, purgatio bis in hebdomade decernenda, pridie accessionis potiùs quàm postridie; ex fol. Oriental. ℥. ß. cum anis. ℈. j. & rhabarb. ʒ. ij. cum cinnam. ℈. ß. in eiusdē apozematis decocto separatim infusis, in cuius colatura syrupi de pomis ℥. j. dissoluatur.

Venæ sectio. Sanguis subinde detrahatur è basilica dextra, si iecur febri dederit originem; vel è sinistra, si manifesta tensio in hypochondrio sinistro percipiatur; vel ex vtráque, si sanguinis corruptela, & plenitudo postulent.

Vomitio. Magno profectu vomitoria dabuntur, iis quibus iecur & lien in ventriculum se exonerare solent, si nausea accessionum initiis fatiget. Ad ciendam vomitionem exhibeatur puluis asari ad ʒ. j. dissolutus in vino albo; ísque, nisi desierit febris semel in hebdomade repetatur, interiecta præparatione & purgatione.

Si ne sic quidem febris contumax conquiescat, vel ob prauam quandam qualitatem in foco impressam, quæ accessioni materiam suppeditet,

vel propter humorem quempiam valdè impactum, quem citra diligentem præparationem reuellere non liceat, hic conferet fotus emolliens, attenuans, roborans, vtrique visceri adhibitus, ex radicibus althææ, liliorum, enulæ, cyperi, foliis maluæ, bismaluæ, parietar. absynth. origan. pimpinell. buglosſ. borrag. seminibus lini, anis. fœnic. floribus chamæmel. melilot. aneth. & similibus in aqua & vino albo decoctis. Externa remedia. Fotus.

Dein litus ex oleo lilior. rosato, chamęmelino, irino, de absynth. cum gossipio, aut lana succida. Litus.

Multóque magis balneum aquæ dulcis, in qua emollientia & leniter digerantia fuerint incocta, præsertim in siccis & calidis naturis. Balneum.

Hoc enim viscerum & bilis atræ siccitatem temperat, feruorem obtundit, malignitatem domat, dura emollit, purgationis vias reserat & relaxat, & crudos humores concoquit.

Purgato igitur corpore, diebus intermissionis, manè & ante cœnam, æger in balneum descendet, in eóque

desidebit spatio vnius horæ, nulla aut quàm minima sudorum profusione; ne detracto sudoribus sero, atræ bilis crassamentum in visceribus restitet In ingressu balnei præparantia haurienda, inter quæ primas tenet decoctum è radice enulæ & foliorum absynthij.

Hoc enim omnibus contumacibus humoribus præparandis aptissimum.

Spuria autem Quartana, si iusta vitæ lex accuratè obseruetur, & accommodata remedia diligenter adhibeantur, multò citiùs curabitur, quàm exquisita.

D. *Cur Quartana notha breuior esse solet, quàm legitima?*

Cur Quartana notha breuior, quàm exquisita.

C. Quia atrabilarius humor, à quo gignitur, calidus ac tenuis cùm sit, faciliùs celeriúsque discutitur, quàm succus melācholicus frigidus & crassus, à quo fit legitima. Adde quòd Æstate grassetur, quo tempore humores vi caloris attenuantur & per meatus patefactos promptè dissipantur: Exquisita verò Autumno, quo vigente crassiores humores intus remanent, meatibus corporis frigore occlusis.

Hinc ratione & experientia edoctus Hippocrates, Æstiuas Quartanas magna ex parte breues, Autúmnales verò præsertim quæ Hyemem attingunt, longas esse prodidit, *Aphor. 25. l. 2.*

Absoluta Quartanarum curatione, scire cupio num curabiles tibi videantur omnes?

C. Nequaquam. Quartanarũ enim alia salutaris, alia lethalis. Quartana salutaris.

D. *Quomodo salutarem à lethali internosces?*

C. Si æger iuuenis sit, nec vitiosis vescatur cibis, nec liberaliore potu sitim expleat, sed iustam viuendi legem obseruet, nec Medici præscripta negligat, nec hepatis aut lienis scirrho laboret, Quartanam audacter salutarem fore prædicam.

D. *Quomodo salutaris Quartana finitur?*

C. Aliàs per insensibilem transspirationem, humore morbifico paulatim digesto, vel intùs à calore concocto & absorpto: aliàs manifesta crisi, cùm multus humor superest, ob artificiosas euacuationes neglectas. Qui terminetur.

D. *Crisis est repentina mutatio, qua nec*

Quartana, nec alij chronici morbi soluuntur. Quid igitur per crisim intelligis?

Quid crisis nomine hic intelligatur.

C. Crisis nomen hîc significat excretionem naturæ robore factam, à symptomatica, quæ vi morbi contingit, distinctam.

D. Quænam sunt manifestæ Quartanarum crises?

Quæ Quartanarum crises.

C. Copiosa sudorum profusio & in singulis accessionibus & extra accessiones: vrinarum crassarum, aliàs nigrarum, excretio, per aliquot hebdomadas perseuerans: nigrorum humorum vomitio, vel initiis accessionum repetens, vel inordinatè etiam extra accessiones prodiens: nigrorum excrementorum deiectio per aluum aliquandiu continuata, quæ omnium optima censenda est, si manifestum alleuamentum afferat.

D. Nonne hæmorrhagia cum criticis excretionibus annumeranda?

Cur Quartanæ hæmorrhagia non soluantur.

C. Minimè. Symptomatica enim est, nec Quartanas vnquàm soluit. Crassus quippè & frigidus humor per nares euacuari nequit, quia nec ascendit facilè, nec in venas narium retruditur. Cùm ergò in Quartanis, è

naribus fluit ſanguis, ſecta baſilica, ſemper cohiberi debet, è qua putris emanat, vt purus è naribus, nullo tamen profectu.

D. Quomodo lethalis perhibetur Quartana?

C. Cùm ex ſimplici fit duplex, atque triplex, ac tandem in continuam tranſit, vel exitioſum aliquem morbum accerſit, vt ſcirrhum, & à ſcirrho hydropem, pleuritidem, epilepſiam, cancrum. Quod contingit iis qui conuenientem victus rationem, & vacuationes neceſſarias prætermittunt, humore exuſto, vel in maiores venas tranſlato, vel hepatis aut lienis ſubſtantiæ penitùs impacto, vel ab hepate vel liene in thoracem transmiſſo, vel in cerebrum, vel in cutem excuſſo. Quartana lethalis.

DE QVOTIDIANARVM *intermittentium Curatione.*

D. Quotuplex eſt Quotidiana febris?

C. Quæ quotidie corripit febris, vna eſt, cuius materia ſimilis ei, quæ tertio vel quarto quoque die acceſſiones facit, ſed adeò multa vt ſufficiat quotidianis exacerbationibus. Vnde Quotuplex febris quotidie intermittens.

Tertiana duplex, aut Quartana triplex nuncupatur, quæ iisdem ideò remedijs, similiter vsurpatis, atque simplex curatur. Altera verè Quotidiana dicitur, ex pituita putrescente genita, quæ omnium febrium rarissima est.

Quæ propriè Quotidiana dicatur.

D. Quis in Quotidiana febre victus est instituendus?

Quem victum exigat.

C. Præscribatur victus incidens, attenuans & aperiens, vt crassus humor incidatur & attenuetur, obstructionésque aperiantur, accommodatus potiùs ad febris causam, quàm ad febrem, quia ab ipsa causa grauius periculum imminet.

Æger cibis vtatur euchymis, pro potu vino tenui, tàm albo, quàm rubro in pastu, extra pastum hydromelite.

D. Quid prætereà ad perficiendam Quartanæ curationem præstandum?

Quo pacto eius perficiatur curatio.

C. Præparanda pituita apozemate, è decocto 5. radic. aperientium in vino albo maceratarum, folior. maioranæ, saluiæ, origan. calamint. pulegij, hyssopi, absynthij, florum anthos, stœchad. & syrupo bizantino, & capillor. Veneris comparato.

Præparata verò phlegmagogis pharmacis, vt agarico, zalapo, diaphænico, diacarthamo, purganda est.

Quòd si vrinæ rubescant, aliique adsint mittendi sanguinis scopi, secanda vena est.

Interim roborandus est ventriculus, qui in hac febre grauiter affligitur, tàm intrò sumptis, quàm extra admotis. Quæ remedia ad robur vētriculi adhibenda.

Ex conseruis florum stœchad. rorismarin. & saluiæ, cortice citrij condito, & puluere aromatic. rosat. cum syrupo de mentha parabitur opiata, qua vtatur mane. Interna.

Nonnunquàm duabus horis ante accessionem, ʒ. j. theriacæ vel mithridatij dabitur cum vino albo.

Extrinsecùs adhibebitur fotus cum sacculis plenis radicibus, herbis & seminibus calfacientibus & discutientibus, in aqua & vino albo decoctis. Externa.

Et à fotu litus ex oleo mastichino, rosarum, cydoniorum, myrtill. de absynthio, de mentha, & pulueribus cyperi, nucis moschatæ, carophyll. cinnamomi.

Tandem admouebitur scutum ex

cerato Gal. stomachico, mastiche, galanga, cinnamomo, pipere, cum oleo de absynthio subactis.

DE ERRATICARVM febrium Curatione.

Transitus à Typicis febribus, ad Erraticas.

D. *Intermittentes febres, quæ statis periodis simili typo redeunt, omnes sunt explanatæ: supersunt Erraticæ, quæ nullum statuum tempus, nec vllum accessionis & remissionis ordinem seruant. Abditam earum causam aperi?*

Erraticarum febrium causa.

C. Febrium incerto tempore recurrentium causa, est humor diuersi generis, in variis infimi ventris partibus putrescens, ísque magna ex parte melancholicus, atrabilariúsve, & pituitosus.

D. *Quinam Erraticis febribus maximè obnoxij?*

Quos maximè corripiant.

C. Qui crapulæ indulgent, salsísque ac piperatis eduliis humores torrent, aut frigidę potu & fructuum vsu, crudorum humorum copiam congerunt.

D. *Quæ remedia ad harum febrium curationem adhibenda?*

Quæ remedia hîc conueniant.

C. Eadem remedia his conueniunt, quæ febri Quartanæ, aut Tertianæ

nothæ, alterantia ſcilicet & purgantia viciſſim repetita, vt primarum venarum obſtructiones tollantur, adeóque morbi ſentina prorſus exhauriatur. Quinetiam phlebotomia, ſi plethora adſit. Sed earum febrium maturanda curatio.

D. *Cur adeò præceps earum therapia eſſe debet?*

C. Quia degenerant in Quartanã, ſi Autumnus proximus ſit; vel in Tertianam, ſi Ver, aut Æſtas immineat. Interdum & in Continuam, humore è primis corporis ſedibus in venas maiores tranſlato. **Cur citiſſimè adhibenda ſint.**

D. *Quòd ſi præparantibus, purgantibus, & venæ ſectione, opportunè adhibitis, non cedant, quid præterea moliendum?*

C. Balneum tunc vſurpandum, quod duntaxat erit tepidum, ſi humor ad bilis retorridæ naturam accedat; paulò verò calidius, & cum madoris perfuſione, ſi pituitæ & fæculentæ melancholiç particeps eſt. **Quale balneũ hîc ex vſu ſit.**

D. *Sed vnde oritur febris illa, quæ plures dies perſeuerat, totidem deinde intermittit, ac incerto nihilominus tempore recurrit?*

Quomodo Erratica pluriū dierum contingat.

C. Si febris duos, tres, quatuórve dies exercet, ac postea plures dies intermittens nullis certis circuitibus, eodem modo repetat, primæ sentinæ sedes è visceribus est; è quibus tamen portio in venas maiores irrepens ac putrescens, febrem fouet, dum discussa sit, ac tandem similis è foco in venas rursum effusa, recidiuum affectum proferat.

D. Quomodo hæc plurium dierum febris Erratica curatur?

Quibus remediis curetur.

C. Eadem postulat remedia, quæ illa Erratica, cuius accessio vnum dumtaxat diem durat; nisi quòd venæ sectionem magis requirat, vt detrahatur humor, qui è prima regione in maiores venas irrepsit.



DISPVTATIO III.

DE PESTILENTIVM Febrium curatione.

DOCTOR III.



ΙΣΣΑ' ἔθνεα πυρετῶν, *duo febrium genera statuuntur ab Hippocrate:* ὁ μὲν κοινὸς ἅπασι, καλεόμενος λοιμός, *vnum ab aëre vitiato, omnibus eum pariter haurientibus commune, quod Pestis appellatur;* ὁ δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν ἰδίην τοῖσι πονηρῶς διαιτεομένοισι γινόμενος, *alterum à praua victus ratione, qua priuatim vnusquisque vtitur, genitum. Singulæ huius generis species Græcis* σποράδες, *id est sparsim grassantes dictæ, quòd singulos separatim corripiant, huc vsque sunt expositæ. Pestilens febris superest, omnium perniciosissima. Quibus notis à cæteris distinguatur, aperi?*

Febrium genera ab Hippocrate tradita, lib. de flatibus.

Transitus à febribus sporadicis ad Pestilētem.

CANDIDATVS.

Pestilens à cæteris febribus discrepat, quòd contagiosa sit, atque mali-

Quî distinguitur ab aliis.

gna, populariter in obuios quósque nullo delectu sæuiens, bubone & carbunculo aut exanthematis se prodens; nisi fortè deuicta natura, ipso morbi initio succumbat, aliorum denique Epidemiorum morborum perniciem superans.

D. Pestilentis febris causas minutim explica?

Pestilentis febris causæ.

C. Pestilens febris oritur ab aëre corrupto & venenato, qui sine sēsu intra corpus per os & nares spirādo, & per corporis poros trāsspirādo seinsinuat. Huius corruptelæ & veneniduæ sunt causæ; vna superior, interior altera. Causa superior est maligna qualitas cælitùs in aërem demissa, quæ quasi furibunda passim inuolat in vulgus. Vt plurimùm, ex temporum tempestatúmque inordinatis exuperantiis procedens, quæ aërem alterat & labefactat. Causa verò inferior, vapor est, & halitus putris, è terræ visceribus ortus, aut ex aquis lutulentis & desidentibus haustus, aut ex infectis paludibus, lacubus, antris, specubus, speluncis, latrinis, animantium cadaueribus, aut excrementis, aut aliis rebus graueo-

graueolentibus contractus, qui aërem inquinat & inficit.

D. Quot sunt Pestilentium febrium differentiæ?

C. Pestilentium febrium alia simplex, alia putridæ coniuncta. Illa spiritibus primò insidet, dein ad humores solidámque corporis substantiam progreditur. Siquidem pestilentiæ semina aëri inspersa, inspiratione perspirationéque intrò subeuntia, cor primùm inuadunt, inde arteriarum spiritus, postremò humores corpúsque vniuersum labefactant. Pestilentium febriũ differentiæ.

D. *Quibus notis Pestilens febris simplex dignoscitur?*

C. Cùm Pestilens febris simplex est & solitaria, citra putridam, pulsus toto morbi decursu inconstans, inæqualis & inordinatus est, ob naturæ & veneni duellum, ac modò huius, modò illius in alterius perniciem agentis dominium: nunc obscurus, paruus, languidus & intercidens percipitur, cùm venenum cor conculcat ac comprimit; nunc plenior, validior, firmior, frequentior & celerior, cùm cordis robur alimento aut medica- Quibus notis distinguatur Pestilens febris simplex.

mento cardiaco vegetius factum, in venenum insurgit, illúdque superare & propellere nititur. Vires omnes corporis, sed præcipuè vitales statim concidunt, quia cor membrorum validissimum & nobilissimum oblæditur. Frequens animi defectio, ac interdum syncope territat, vrget nausea, & cardiogmos; quia ventriculus affecto cordi consentit.

Inquies, corporis iactatio, vigiliæ molestæ, mors plerúmque inopinata, & sine doloris sensu obrepit.

Si fortè validior natura diutiùs obsistit, labes interim altiùs permanat in humores, eósque contaminat, febrémque infert carbunculo, vel bubone, vel exanthematis, stipatam.

Quanquam autem humores veneno ferè labefactantur, non tamen semper putrescunt; vnde sæpè nec turbidæ, nec confusæ spectantur vrinæ; sed substantia, colore, sedimentóque laudabiles. Nec magnum adest incendium, nec sitis vehemens, adeóque mitis calor febrilis sentitur, vt ægrotans interdum se febricitare perneget.

Hæc autem febris Pestilens simplex esse solet, cùm populariter grassante Pestilentia, venenata pernicies in corpus, nec plethoricum, nec cacochymum, sed purum & bene habitum inuadit.

D. *Quibus notis Pestilens febris putridæ implicita decernitur?*

C. Cùm Pestilens febris solitaria non est, sed putridę permista, commemoratis signis accedunt grauis capitis dolor & in somnum propensio, deinde delirium, spiratio difficilis & graueolens, sitis inexhausta, deiecta appetentia, assidua vomitio, interiorum æstus vehemens, & extremorum frigus, vrina cruda, turbida ac fœtida, fœda & graueolens alui proluuies, ac plurima epigenemata, quæ pro varia corporis humorúmque constitutione alia alios exercent. Hæc enim constitutionis varietas, causa est cur vix duos vsquam videas eadem contagione inquinatos similibus premi symptomatis. Pestilens febris putridæ implicita sæpè incidit in corpus, quod iam vel plethoricum, vel cacochymum, vel obstructum est. Vnde mista Pestilens putridæ coniũcta.

signa edit. Siquidem aliàs aliam partem magis lacessens, varia profert symptomata, quæ non ex pestilenti labe, sed ex putrida permistione fiunt.

D. Quibus notis prænosces num febris Pestilens salutaris, an lethalis futura sit?

Salutaria febris Pestilentis signa.

C. Vbi aliquis Peste correptus est, si noctu dormit, si cibum concupiscit, si facilè spirat, si febris non vehemens est, si tumor pestilens crassus & latus, coloréque ruber, vel citrinus existit, longéque abest à corde, scire licet hæc secundæ valetudinis futuræ indicia esse.

Lethalia signa.

At cùm vehementes vomitus virescentes vel nigricantes accidunt, frequens animi deliquium, defectus & fœtor anhelitus, hydropisis subita, sudor frigidus & fœtidus circa caput & collum, cibi fastidium, febris vehemens & qui diu durat, carbunculus niger & siccus, bubo prædurus à suppuratione alienus, aut qui intus retrahitur, horrenda facies, aspectus incóstans & incertus, vox rauca, balbuties, pulsus formicans, vrina turbida, fœtida, nigra, alui excrementa liquida, pinguia & graueolentia sunt. Hæc

mortifera signa sunt. Siquidem mortem in propinquo esse denuntiant.

D. Quot in simplicis puræque Pestilentis febris curatione proponuntur scopi?

C. In simplici, legitimáque febre Pestilenti curanda, tres præcipui proponuntur scopi: primus, vt aura venenata cordi inserta excutiatur: secundus, vt calida intemperies corrigatur: tertius, vt spiritus labefactati, dissipatíque purificentur, recreentur, ac reficiantur; humorúmque corruptela rescindatur. Interim danda enixè opera vt Pestilentium tuberculorum virus quàm citissimè extrahatur. Quot curationis scopi.

D. Hanc febris puræ Pestilentis curandæ methodum ratione & authoritate confirma?

C. Galenus, *lib. 2. th. meth.* exactam curandi methodum instituens, à prima indicatione auspicãdum esse monet, hinc ad eam quæ deinceps sequitur transeundum, inde ad eam quæ proxima est, & ita continuandum, donec ad finem peruentum sit. Primam autem indicationem à causa petendam esse, his verbis innuit: Ordo indicationũ curãdi rationem constituentium. Vnde sumitur indicatio 1.

In omnibus omninò morbis, in qui-

bus effectrix causa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est, *cap.* 4. *l* 4.

At efficiens Pestilentis febris causa, est maligna & perniciosa labes vnà cum aëre, quem inspiramus, hausta.

Idem Galenus *in Aph.* 19. *l.* 5. Illa priùs curanda esse docet, quæ magis vrgent, hoc est quæ maius periculum afferunt.

At venenata labes, quæ intùs turgens & oberrans omnia peruertit & deuastat, magis vrget, & maius periculum adfert, si negligatur.

Ergo indicatio quæ ab ea ducitur, primas tenet:

2. Secunda indicatio sumitur à calore præter naturam in spiritibus & humoribus accenso & cordi molesto; non ardoris quidem vehementiâ, sed perniciosa malignitate, qua statim iugulat. Sublata quippè causa, ad morbum ab ea excitatum, veniendum est, eodem Galeno authore, c. 89. *artis med.*

3. Tertia depromitur ab infectis venenata qualitate spiritibus & humoribus, qui veneni sedes & vehicula habentur.

Particularis insuper curandi indicatio, à tuberculis erumpentibus, characteristicis Pestilentiæ symptomatis petitur.

D. Quibus armis pestifera lues expellitur.

C. Alexipharmacis quæ specifica vi & occulta proprietate cor, aliásque principes intimásque partes propugnant & roborant, vt ad ignobiles & extimas venenum amandent atque propellant, sudorésque cient; vt per eosdem meatus, per quos intus illatum est virus, foras eliciatur & extrahatur. Quibus medicamentis Pestifera lues expellatur.

D. Sed multi statim initio febris Pestilentis in sudorum prouocationem incumbendum esse negant, quòd sudores in acutis morbis ab Hippocrate damnati sint, præterquàm cùm sponte diebus criticis ex vniuerso corpore promanant: quòd arte si prouocentur, nimium resiccato excalfactóque corpore, omnia febris symptomata ingrauescant, virésque dissipatis spiritibus fatiscant: quòd natura; cuius vtiles progressus Medicus imitari debet, humores noxios primùm concoquat, dein à puris & alendo corpori idoneis secernat, vt eos tandem alui Obiectio.

profluuio, vel sudoribus excernat: quòd denique vacuatio omnis spontanea, quæ morbi initio contigit, symptomatica & inutilis sit: quia furore quodam, violentóque morbi impetu & humoris orgasmo, non naturæ victricis robore excitatur. Atque his ex causis humor noxius prorsus crudus, & vtili succo confusus atque permistus, naturæ imitatione sit prius arte coquendus, quàm vacuandus: alióqui præpostera curatione natura rectè agens, ab officio auocaretur & interturbaretur, agérque in vitæ discrimen conijceretur.

Responsio. C. Respondeo: Verissima quidem & rationi consentanea esse hæc omnia, sed quæ in febribus ab humoris putredine profectis locum duntaxat habeant, non autem in Pestilentibus ac venenatis morbis, in quibus ferè omnibus orgasmum agnoscere cogimur. Per initia enim febrium Pestilentium nondum in humoribus corruptela inest; at statim initio venenata labes vnà cum spiritu hausta eiusmodi est, vt, si sinitur, breui naturam opprimat & expugnet. Sudores igitur per initia statim promouere expedit, quibus cùm venenata illa pernicies in vapo-

ribus & ichoribus residens expiret, & in tenues auras dissipata prorsus euanescat. Adde, quòd naturæ motus, qui statim morbi huius initio è centro ad peripheriam, intúsque foras fit, sudorum eruptionem perutilem esse doceat.

Quòd autem obijciunt calorem, omniáque reliqua febris symptomata sudoris profusione exasperari, id quidem in aliis febribus verum est: at verò nequaquàm in Pestilenti, nisi vel calidiore pharmaco prouocetur, vel diutiùs excipiatur. Nam cùm Antidoto ægrotantis naturæ accommodato blandè elicitur; quia venenatam morbi perniciem, quæ totius mali auctor est, è corde foras euocat, secúmque rapit: multò maior est quæ hinc accedit commoditas, quàm quod proponunt incommodum. Vita semel cum morte commutata, nulla arte restitui potest; morbi verò malignitate ac venenata pernicie (quæ vel sola repentè iugulare solet) vel Antidoto extincta, vel cum sudoribus profusa, quod proponunt dispendium facilè sarciri queat. Quòd

verò aiunt concocta medicanda esse, non cruda, nostram hanc sententiam minimè conuellit: neque enim crassa & lenta corporis excrementa, quæ coctione indigent, antequàm vacuari possint, sudoribus euacuare studemus; sed serosa duntaxat, & turgentes ichores, quos citra coctionem purgare iubet Hippocrates, vnáque cum his malignam & venenatam morbi qualitatem, quæ vix vllam coctionem, vt neque aliud vllum veneni genus admittet. Serosis enim excrementis & vaporibus crassioribus, qui venenatæ ac pestilentis qualitatis sedes sunt, sudoribus resolutis, vnà cum his venenatam peniciem exspirare, Pestísque vim horum profusione frangi ac hebescere necesse est.

D. Præstantiora Alexipharmaca sigillatim recense.

Simplicia Alexipharmaca Pesti propellendæ dicata.

C. Alexiteria propellendæ Pesti propria sunt, angelica, valeriana, gentiana, inula, scabiosa, tormentilla, pimpinella, zedoaria, aristolochia, dictamus, carduus benedictus, oxalis agrestis, succisa, ruta, malum citrium, granatum, bolus Armena, os cordis

ceruini, scobs eboris, lapis Bezoardicus, & alia id genus simplicia, ex quibus multa componuntur Antidota longè efficacissima.

D. Unum aut alterum Antidotum ex his simplicibus confectum, exempli gratia præscribe :

C. ℞. radicum angelicæ veræ. 1. Antidotũ aduersus Pestem.
tormentillæ,
valerianæ,
inulæ,
gentianæ,
zedoariæ,
pimpinellæ,
dictami Cretensis,
glebæ Armeniæ, ana ℥.ij.
foliorum scabiosæ,
rutæ,
oxalidis syluestris cum semine, an. M.ij.
citrea mala per taleolas secta n. iiij.
nuces virides n. vj.
baccarum iuniperi,
scobis ebor. ana ʒ.iij.

Hæc omnia simul in ℔. x. aquæ oxalidis agrestis macerentur per 24. horas, tum destillentur per vas æneũ.

In stillatitio liquore adiiciantur
cinnamomi,
gingiberis,
nucis moschatæ,
caryophyllorum leniter contritorum, ana ℥ ß.

Rursus destillentur per alembicum vitreum in balneo marino, aut super cineres calidos positum.

Dosis huius aquæ est ab ℥. iiij. ad ℥. vj.

Aliud Antidotum paratu facilius.

℞. radicum angelicæ,
valerianæ,
tormentillæ,
zedoariæ,
gentianæ,
dictami Cretensis,
boli Armen. ana ʒ. j.
seminum citrei mali,
oxalidis sylvestris, ana ℈. ij.
margaritarum,
scobis eboris,
santali rub.
cinnamomi, ana ʒ. ß.

Singula tenuissimè trita misceatur.

Datur hic puluis à ʒ.j.ad ℈.iiij.cum aqua ſcabioſæ, vel cardui benedicti, vel meliſſophylli, aut cum conſerua roſarum, vel bugloſſi, aut cum ſyrupo de limonibus, vel de granatis, aut cum vino albo.

Duo inſuper celebrantur aduerſus Peſtem, omnéque veneni genus Antidota, Theriaca & Mithridatium. 3. 4.

Alterũtrum datur à ʒ. ß. ad ʒ. j. ß. cum iiſdem aquis ſtillatitiis, vel conſeruis, vel ſyrupis.

Sed ad Peſtem extirpandam multò efficacius erit Antidotum, ſi cum pulueribus Alexipharmacis miſceatur hoc modo:

℞. theriacæ veteris, vel mithridatij ℥. ß. 5.
radicum angelicæ,
gentianæ,
glebæ Armeniæ, ana ʒ.j.
ſeminis citrei mali,
ſcobis eboris,
ſacchari roſati, ana ℈. j.

Datur à ʒ. j. ad ʒ. ij. cum vino albo, aut aqua ſcabioſæ, aut cardui benedicti.

D. Multiplex Antidotum expellendæ Pesti aptissimum descripsisti, sed tempestiuum eius vsum à te expecto.

Tempestiuus Antidoti vsus.

C. Simul ac Pestilenti febri corripitur homo, in lecto collocetur, morbique initio, antequàm venenum altiores in corpore radices egerit, Antidotum assumat bis in die matutinâ, ac vespertinâ horâ, longè à pastu, ac subinde trium horarum spatio (si vires valent) rectè tectus sudorem è toto corpore manantem perferat, postea pluribus linteis calidiusculis fœdus sudor extergeatur. His ita confectis in duobus vel tribus diebus venenum eiicietur.

Obiectio.

D. At ipso statim febris initio, vix discernere poterit Medicus quantumvis peritus, an Pestilens sit, necne?

Responsio.

C. Nihil refert. Sufficit vt exploratum habeat, ægrotantem Pestilenti constitutione febricitare. Quod ex pulsu facilè percipiet. Cùm enim Pestilenti cæli statu febris aliqua inuadit, eam statim publicæ malignitatis esse participem arbitrari debet, quam protinùs iustis Antidotis oppugnare multò sit satiùs, quàm expe-

ctare, dum salute deplorata, certis & indubitatis notis pestilentiæ vim, impetúmque prodat. Satis exploratum est pestifera aëris constitutione nullas ferè nisi pestilentes febres populariter grassari; aut si fortè per initia nihil pestilentiæ resipiat morbus aliquispiam, in eam tamen communi aëris vitio & contagione celeriter degenerare. Adde in peracuto hoc morbo semel ereptam curandi occasionem, in vitæ discrimen ægrotum ocyssimè adducere. Præstat igitur primo statim die remedia vsurpare necessaria, quàm protrahere dum insertum intus in cor venenum omnia pręsidia aspernetur. Si qua fortè febris minimè Pestilens pòst deprehendetur, non modò nihil nocuerit exhibitum alexipharmacum, sed etiam ad edomandam eius perniciem, naturæ vim confirmandam, arcendámque publicam aëris malignitatem mirè contulerit. Morborum minimè Pestilentium initiis & incrementis tutò adhiberi posse quæ supra recensui alexipharmaca, perinde atque ad Pestis præcautionem certum est, paucis exceptis, quæ

præ calore, quo pollent maximo, internis inflammationibus & febribus ardentibus noxia esse possunt. Prima igitur luce, cùm primùm anceps periculosúsque morbus inuadit, stomacho cibis vacuo, è descriptis Antidotis quæ cor muniunt, conceptámque intra viscera contagionem depellunt & discutiunt, aliquod minus calidum vorare, & aliquandiu in cubiculo deambulare oportet, dein in cubili ad excipiendos sudores sese componere, cauendo diligenter ne quid externi aëris intromittatur ante triduum.

D. Primum curationis scopum attigisti, in venenata Pestis qualitate Alexiterys hidroticis depellẽda: nunc quo pacto calida intemperies contemperanda, spirituúmque dissipatorum iactura resarcienda sit, aperi.

Quòd reliqua duo curationis capita, vna victus ratione obtineãtur.

C. Ad vtrámque metam perueniitur idonea victus ratione, quæ eucratis comparatur alimentis, quibus-cum cardiaca quædam admiscentur medicamenta; quia vtrúmque ἐνδεικτικὸν ab aëris malignitate profectum est.

D. Promulga victus legem in legitima febre Pestilenti religiosè obseruandam, cum ad pristinam temperiem restituen-

dam, tùm ad instaurandos spiritus exhaustos?

C. Contagiosa febre correptus statim in conclaue se subducat nitidum ac tepidum, æstuoso, rigidóue vento perflante vndique clausum; in quo aër, cuius inspiratione viuit, nec calidior sit, ne vires nimiopere fatiscāt; nec frigidior, ne corporis meatus, quibus perspirare venenatam perniciem expedit, occludantur; sed temperatus atque purus.

Quo pacto sit instituenda, ad vtrúmque finem consequēdum.

Si frigidior fuerit atque impurus, igni perpetuò collucente, atque suffitibus emendabitur & expurgabitur, tetris halitibus & fæcum expirationibus absumptis.

Si nimium incaluerit, contemperabitur idoneis herbis virentibus oxycrato imbutis, per cubiculum sparsis; ac linteis oxycrato, aut aqua rosarum maceratis, loco peristromatum conclaui obtensis; magna tamen cautione adhibita, ne quod naturæ impetu in cutim expellitur emigrátque foras, refrigerantium vsu introrsum repercutiatur, in ægri perniciem. Sic enim bubones, carbunculi & exanthemata

erumpentia, celeriter intrò repulsa, exitium afferunt. Quoniam verò calor præter naturam in corde accensus, & ex eo in omne corpus effusus, non vt in aliis febribus, sic in Pestilenti legitima, maximè vrget; sed maligna quædam ac venenata labes spiritibus ac serosis excrementis insidens, cordíque inserta, calori insito plurimùm infensa deprehenditur, citra insignem caloris ac siccitatis excessum, victus ratio initiò decernenda calore temperata; quæ vt analoga & affinis, innatum calorem veneno lacessitum, ac iam penè succumbentem, erigat ac recreet, simúlque assiduam spirituum dissipationem resarciat: nec quæ humectet, sed contra quæ exiccet mediocriter, & noxios corporis ichores, qui venenatam labem facilè vel admittunt, vel alliciunt, exsorbeat. Et hæc quidem in genere de aëris, cibi & potus qualitate.

Quod ad victus quantitatem spectat, plenior in hac, quàm in aliis febribus esse debet: quia vires non solùm maximo studio tuendæ ac retinendæ; sed etiam, quoad fieri potest,

roborandæ & augendæ; maximè verò vitalis, cui venenata ac pestilens pernicies peculiariter infesta est.

D. Quid? Morbis acutis tenuem victum deberi perhibet Hippocrates, ex quorum genere cùm sit febris Pestilens, vt quæ reliquas omnes vehementia & celeritate plerúmque superet, parcissimum & tenuissimum victum requirere verisimile est. Obiectio.

C. Hæc Hippocratis de tenui victu sententia, non intelligitur de Pestilentibus, venenatísque morbis, in quibus protinus dissipatur spiritus, naturæque robur infringitur. Vult enim Hippocrates in morbis acutis considerandum esse, an æger cum instituto victu ad futurum vsque vigorem peruenire possit: quòd si prius eius vires deficiant, quàm statum attingat, quamlibet acutus morbus sit, copiosiore alimento instaurandum esse; neque vnquam committendum, vt eius penuria fatiscant. Responsio.

Quod idem ipse insinuat libris epidemiων, vbi testatum reliquit, constitutione quadam maligna, eos duntaxat euasisse, qui multum cibi sumpsissent. Nec dubitauit Galenum cibum

in accessionibus febrium porrigere, si quãdò ægris animum morbi vis ademisset, vnde vel syncope obreperet, vel eius incuteretur metus: quæ sæpissimè incidunt in Peste. Nulla quippè quamlibet eximia antidotus exhaustos spiritus celerius resarcit, calorémque ingenitum magis erigit & corroborat, quàm optima victus ratio, opportuno tempore præscripta, ætatis, consuetudinis, temporis, regionis, & peculiaris cuiúsque naturæ habita ratione.

Neque verò metuendum ne moderato cibo à morbi coctione auocetur natura, cùm præsertim quæcúmque Peste correptis offerentur cibaria, non minùs alexiteria, quàm alimenta sint, coctúque adeò facilia, vt nõ modo insitum calorem non onerent, verumetiam mirè augeant ac corroborent. Nemini dubium est alimenti benignitate [illegible] causæ malignitatem mitigari, labascentémque naturę vim erigi, eius denique facultates & dissipatos spiritus instaurari.

Cibandi tempus.

Toto itaque morbi decursu paulò copiosiore, quàm in alijs febribus

alimeno, eóque euchymo, eupepto & cardiaco vires confirmandæ ſunt, quicquid obganniant nonnulli.

Videndum tamen ne cibi copioſioris ſarcina, calor, qui iam languidus eſt, opprimatur. Quod periculum declinatur, ſi ſæpè cibus offeratur, ſed ſemel modicus. & modus.

Sæpè quidem, vt morbi malignitas temperetur, & naturæ vires erigantur, reficiatúrque ſpiritus, quorum maxima fit in hoc affectu diſſipatio.

Semel modicus, vt à calore languidiore facilè confici poſſit.

D. Specialem deinceps victus rationem minutius explana?

C. Cibus eſto ex carnibus aſſis aut elixis, quibus ad condimentum accedat omphacium, acetum, mali Medici aut punici, oxalidis, aut oxyacanthæ ſuccus, cui pauxillum aquæ roſaceæ, aut aquæ cardiacæ adiiciatur. Acidis enim hiſce ſuccis & deſtillatis cardiacis, cibi faſtidium excutitur, aſſi empyreuma temperatur, humoris feruor obtunditur, putredo inhibetur, & peſtilens pernicies infringitur. Specialior eſculentorum deſcriptio.

Sed melancholici & pituitoſi, qui

frigido succo referti sunt; & quicumque ventriculum languidiorem nacti sunt, citra sacchari & cinnamomi, aut pulueris cardiaci adiectionem, acidis minimè vtantur, ne flatibus aut cruditatibus præcordia illis distendantur.

Victus mediocriter siccans vera Peste perculsis ex vsu est; cùm nec siti, nec incendio interno vexantur.

Hæc quidem victus ratio conuenit incipiente morbo, cùm valent vires, necdum deiecta est appetentia.

At cùm iam illę elanguescunt, vrget cibi fastidium, víxque solidior cibus assumitur, tum consumpta ex laudatis & optimè elixatis carnibus; gelatina, ex assis expressa; carnis aqua, aliáque eius generis substitui debent, quemadmodum & instaurans destillatum. Crebróque alimentum, sed exiguum semel offerendum, vt perpetuæ spirituũ dissipationi occurratur.

D. Describe formulam consumpti in Pestilenti febre conuenientis?

Quomodo in febre Pestilenti parari debeat Consumptũ.

C. Capus & vitulinę, atque etiam, si voles, veruecinæ carnis frustulum in aqua fontana coquuntur, dum conta-

bescant,cum ℥. ij. scobis cornu cerui-ni nodulo comprehensæ. Adduntur sub finem oxalis, buglossum, borrago,pimpinella &calendula.Expressus liquor à pinguedine perpurgatus frigido loco reponitur.Dosis, tres, quatuor, quinque sexque vnciæ cum sextante omphacii,aut succi mali citrij.

D. Exhibe formulam Gelatinæ Pestiferalue correptis accommodatæ.

C. Capus & vitulinæ carnis frustum coquantur in aquis cardiacis dum contabescant, adiecto sub finem coctionis, vini albi quadrante : decoctum ab omni sorde & pinguedine perpurgatum cum triente facchari colo sæpiùs traiicietur, adiectis ouorum albuminibus, in spumam longa agitatione versis, inseretur & cinnamomi ℥. j. ß. cum croci & terræ sigillatæ momento; item inter colandum, aceti & aqua rosar. tantillum, quò & palato magis arrideat, & putredini aduersetur magis, temperetúrque reliquorum calor. Gelatina.

Glaciatum ius hoc modo paratum, singulari ope Pestilenti febre oppressis subuenit. Nam facilè coqui-

tur, & promptissimè collabentes naturæ vires instaurat, dissipatos spiritus resarcit, & Pestilentis veneni perniciem domat.

D. *Expressi formulam persequere.*

Expressum. C. Capus mediocriter assus torculari subiicitur, succúsque exprimitur, qui languescenti pro cibo sit. Sed ante vsum in paropside aliquantum feruescat, rosacea & mali citrij aut punici succo, aut omphacio adiecto.

D. *Aquæ carnis extrahendæ modum adde.*

Aqua carnis. C. Capus pelle spoliat⁹, & exenteratus minutissimè concidatur, ossibus abiectis. Carnis vitulinæ frustum similiter conciditur. Ampulla vitrea concluduntur: nodulus adiicitur, qui continet eboris, cornu cerui, terræ sigillatæ, boli Armenæ, ana ʒ. j. aquarum buglossi, borrag. cardui benedicti, morsus diaboli, scabiosæ & rosarum ana ℥. j. aut ℥. ij. ad summũ, misceãtur. Ampulla obsignata in duplici vase ponitur (balneum Mariæ vocant) in quo horis decem ferueat. Expressus liquor asseruatur.

Vsus

Vsus tempore, quatuor, sex, octóve cochlearia, cum omphacij aut mali citrii momento, sumantur ex interuallis, aut cum pauxillo syrupi è limonibus.

D. Præscribe formulam destillati instaurantis.

C. ℞. decocti capi cum buglosso, borrag. oxalide, portulaca, pimpinella & endiuia ℔. iiij. aquarum stillat. cardui benedict. scabios. meliss. calendul. & rosarum, ana ℥. iiij. conseruæ flor. violar. bugloss. borrag. betonicæ, coronariæ, cichor. & rosarum ana ℥. ij. theriacæ & mithridat. ana ℥. j. ß. scobis cornu ceruini & eboris ana ℥. ß. radic. tunic. & tormentill. dictam. sem. cardui benedict. citrij mali & oxalid. ana ʒ. ij. Destillatum instaurans.

Eliciatur aqua in duplici vase. Cui vsus tempore sacchari albi ℥. j. cinnam. ʒ. ß. succi mali citrij, aut syrupi de limon. ℥. ß. adiiciantur. Nonnulli pulueris auri ℈. j. simul inserunt. Hoc destillatum instaurans singulare est aduersus omnem malignam febrem, quæ cum virium infirmitate coniuncta est, præsidium, naturæ vires resi-

ciens, venenatámque perniciem obterens.

Cùm ægrotans præ violentia morbi, omne solidioris alimenti genus respuet, liquida hæc alimenta cibi vicem supplebunt.

D. Ac de cibo quidem satis, ad potum transeamus?

Potulentorũ descriptio. C. Potus esto vinum album, vel giluum, odorum, benè defæcatum, benéque maturum. Hoc enim languidioris naturæ vires, disiectósque spiritus mirificè recreat atque reparat, & optimum Pestilentis veneni antidotum existit, simplici Peste perculsus nunquam denegandum; si nec siti, nec ardore insigni fatigat: sed diluatur pro consuetudine aqua fontana, quæ cum rasura cornu cerui ferbuerit, vel aqua cardui. Extra pastus, si sitis premit, vino posthabito, vel hydro-saccharum, vel hydro-meli studiosè paratum vsurpabitur.

Quomodo in Pestilenti febre parari debeat hydrosaccharum. *D. Præscribe formulam hydro-sacchari in Pestilenti febre conuenientis.*

C. ℞. aquæ fontanæ ℔. iiij. sacchari optimi ℥. vj. scobis cornu ceruini

ʒ. ij. ferueant aliquandiu igne remiſſo, in olla noua terrea vitro illita. Igne ſummotis adde aquarum bugloſſi, cardui & ſucciſæ ana ℥. iiij. Colo omnia traiiciantur, ſucci mali citrij ℥. ij. & cinnam. ʒ. j. adiectis.

D. Exhibe formulam hydromelitis in Peſtilenti lue accommodati?

C. ℞. aquæ fontanæ ℔. iiij. mellis optimi ℥. iiij. bulliant igne remiſſo in olla noua ad tertiæ partis conſumptionem, atque accuratè deſpumentur. Igne ſummotis vbi refrixerint, quatuor aquarum cardiacarum ana ℔. ß. inſeretur, vnà cum aceti & ſucci mali citrij, ana ℥. j. ß. & cinnamomi ʒ. j. colo transfuſum hydromeli in vſum reponetur. Hydromeli.

D. Cùm maligna & occulta pernicies vnà cum inſpirato aëre intromiſſa, ſtatim temperiem peruertat, ſpiritus & ichores corporis inficiat, dein craſſiores humores corrumpat; nónne vt venenata aura excutienda, calidæ intemperiei emendandæ, inſtaurandæque ſpirituum exhauſtorum iacturæ protinùs enitendum, ſic reſcindendæ humorum corruptelæ incumbendum, ſimul ac erumpunt in cute tubercula, quæ

certa sunt corruptelæ sanguinis argumenta?

Quando sanguinis missio & purgatio ex vsu sint.

C. Extracto alexipharmacis veneno, restituta temperie, recreatísque spiritibus cardiaca victus ratione, derelicta humorum corruptela sanguinis missione & purgatione, procul dubio emẽdãda est. Sed neutrũ remedium est vsurpandum, nisi quinquies saltem aut sexies hausto ad virus eximendum Antidoto. Satius profectò fuerit vtrúmque ad declinationem vsque differre, & solis Antidotis & euchymis alimentis initio, incremento & vigore morbi pugnare. Nec enim secanda vena, nec aluus cathartico ducenda, antequam recreatis viribus, venenata qualitas ex pulsu Antidotis deuicta iudicetur, ac tubercula si inerint, vel discussa, vel ad suppurationem deducta pure diffluant. Quod vix ante septimum diem accidit.

D. *Sed cur præter aliorum Medicorum consuetudinem, phlebotomiam & catharsim Pestilentis febris initio prohibes?*

Cur neutra morbi initio decernẽda.

C. Vtrúmque remedium morbi principio nedum inutile, sed noxium

eſſe contendo, firmis rationibus fultus: vna, quòd morbi initio venenum in ſpiritibus duntaxat, nondum in humoribus conſiſtat, vt vrina laudabilis nullam putredinis notam exhibens perſpicuè indicat: altera, quòd Medicus eò ducere debeat, quò natura vergit, per loca commoda. Itaque cùm naturæ Peſtis cauſam à ſe amoliri conantis motus intus, foras fiat dum è corporis centro ad peripheriam, vtpotè è partibus principibus ad ignobiles, imbutos veneno atque inquinatos humores, vnáque cum iis venenum ipſum propellit: quorſum attinet ſtatim curationis initio, ſanguinis miſſione & catharticis motus in corpore ciere, naturæ contrarios, & ſalutarem eius impetum intercipere?

Si venenatam bubonum, carbunculorum & exanthematôn in febre Peſtilenti erumpentium materiam natura intùs foras abigit, quo ſe grauanti pondere releuet, cur purgatione aut venæ ſectione ea introrſum reuelletur? vtráque igitur morbi initio adhibita naturam ab officio abſtrahit, venenatos prætereà humores cum pu-

ris & nondum contaminatis permiſceet, atque confundit. Vtiles inſuper ſpiritus diſſoluit, viréſque proſternit, in quarum robore præcipuus curationis cardo verſatur.

D. Quomodo Peſtilentes tumores curandi ſunt?

Quomodo characteriſtica Peſtilentiæ ſymptomata curãda ſint.

C. Ad carbunculos, bubonéſque Peſtilentes curandos, ante omnia extrahendum venenū, adhibitis cucurbitulis cum profundis ſcarificationibus ſcapello, vel nouacula factis, aut medicamentis cauſticis tumori impoſitis; quale eſt, quod ex cantharidibus, calce viua, chalcitide, ſale ammoniaco, cum fermento veteri & oleo nucum mixtis, conſtat. Aperto tumori ſuperimponenda medicamenta ſunt, quæ ſimul & ſuppurent & attrahant. Quale parabitur ex radicibus althææ, liliorum, iridis, tormentillæ, cæpis, ficubus, ammoniaco, bdellio, galbano, ſtercore columbino, fermento veteri, & axungia ſuilla.

Folia oxalidis inter cineres calidos cocta, addito butyro, item conueniunt.

Aperiunt & attrahunt virus ſimul

cæpa & folia rutæ, cum theriaca, linteo inuoluta, & inter cineres calidos cocta, & calido tumori superimposita.

Item scabiosa trita, vt & lysimachia.

Vlcus deinceps detergentibus medicamentis expurgandum.

Expurgatum sarcoticis carne implendum, ac epuloticis tandem cicatrice tegendum.

D. Adhucpuræ legitimæque Pestilentis febris curationem tradidisti; nothæ, quæ Putridæ implicita est, curatio superest, quâ methodo instituenda sit explana?

C. Contrariæ curandi indicationes concurrunt in Pestilenti febre notha; quia & putris humor xenoticis vacuari, & venenum alexiteriis profligari postulat. Vtráque maximè vrget, illa caloris excessu & incendio; hæc occulta malignitate, venenatáque pernicie. Vtrique igitur primo quoque tempore occurrendum, sed alternis vicibus. Quâ methodo curanda Pestilens febris notha.

Ac summoperè cauendum ne alteri duntaxat intenti, alterius omninò obliuiscamur: verùm vtriúsque memores, quoad licet, vtrámque misce-

mus, vt monet Galenus *lib. 7. Methodi meth.*

Vena statim initio tundenda, dum vires adhuc constant; ne calor è luxuriantis sanguinis putredine genitus, viscera vrens, insitum breui vel suffocet vel dissipet.

Antidota deinceps manè & vesperi sumenda, quæ cordi labescenti opitulentur, quibus diebus nulla tentatur vacuatio.

Interponenda vicissim apozemata cardiacis permista, ad putridos humores præparandos, ac tandem cathartica alexiteriis temperata.

Victus ratio interim longè aliter atque in simplici febre Pestilenti decernenda.

D. Quo pacto in Pestilenti notha sit administranda phlebotomia clariùs explica?

Quomodo hic administrãda phlebotomia.

C. In febre Pestilenti putridæ implicita, quę & in pulsu & in vrinis certas putredinis notas exhibet, vnde capitis dolor, vigiliæ assiduæ, iactationes, sitis, lingua torrefacta, molestæ arteriarum pulsationes, ingens præcordiorum æstus, aliáque symptoma-

ta ab humorum feruore & putredine profecta, valdè infesta sunt; si venæ turgeant, sanguis mitti debet, plùs minùs; vt fert vasorum plenitudo, ætas, anni tempus, & symptomaton sæuitia. Sed ea cautione tamen, vires vt valeant, & morbi initio ducatur, idque multò quàm in aliis febribus parciùs; è pede quidem, si bubo protuberat in inguine, aliáve parte infra lumbos sita; è brachio verò si in axillis, aliisve partibus quæ renes superant, idque semper ex eodem latere, vt rectitudinis fibrarum ratio habeatur. Si nec bubo, nec carbunculus inerit, basilica sinistra pertundetur potiùs quàm dextra: nisi autem ingens plenitudo insit, sanguis quoniam naturæ thesaurus & caloris natiui pabulum existit, vix vltra nouem vncias detrahendus est. Semper enim in peste, infra subsistere satius est, quàm vltra procedere, ne vires ad morbi perniciem edomandum necessariæ fatiscant. Cùm inflammatio subest, copiosè quidem, sed partitè, ducendus, si casus postulat.

D. Quæ antidota hîc exhibenda?

Quæ antidota sint vsurpanda.

C. Eligenda sunt antidota ægrotantis naturæ accommodata, quæ blanda sudoris euocatione, venenatam auram è corde extrahunt.

D. Quanam apozemata putridorum humorum præparationi hîc conueniunt?

Quæ apozemata hic interponẽda.

C. Quæ citra insignem calefactionem incidunt, attenuant & aperiunt, hîc requiruntur, quæ parabuntur ex radicibus cichorii, graminis, oxalidis, polypodii, tormentillæ; foliis buglossi, borraginis, agrimoniæ, adianti, scolopendrii, calendulæ, succisæ, verbenæ, pimpinellæ; seminibus anisi, fœniculi, citrii & atractylidis; floribus cordialibus, passulis damascenis, in aquis stillatitiis cardui benedicti & scabiosæ decoctis, in quibus syrupi de limonibus & violatus dissoluantur.

D. Cùm propinandi cathartici occasio incidet, quódnam hic eligendum?

Quæ cathartica hic eligẽda.

C. Benignum esse debet, ac cardiaco temperatum, ne quam perturbationem in corpore concitet, ídque liquida, vel solida consistentia.

D. Eius formulam aliquot exẽplis illustra.

C. ℞. aquar. stillat. cardui benedicti & scabiosæ an. ℥. ij. in quibus

infunde per noctem rhabarb. elect. ʒ. j. ß. cinnam. ℈. j. in expressione dissolue catholici ℥. ß. syrupi rosar. pallid. & syrupi de limon. an. ʒ. vj. theriac. scobis cornu cerui, & margarit. el. an. ℈. j. fiat potus, manè exhibendus. ℞. cassiæ recenter extract. ʒ. j. rhab. el. ʒ. j. mithridat. ʒ. ß. fiat bolus, cum syrupo violato sumendus.

D. Quæ victus ratio hîc decernenda?

C. In pestilenti febre notha, quæ putredini implicita est, quia calor ex putredine genitus, interna vrens vehementer vrget; mediocriter refrigerante victus lege restingui postulat, non tamen multum humectante, ne putredinis augeatur materia, sed paululum siccante potiùs, vel humore & siccitate temperata. Quicúmque siti & incendio interno iactantur per febrem Pestilentem, elixis pullis & carnis vitulinæ & veruecinæ iusculis, & ouis sorbilibus vtantur. Sed elixa omnia commodè præparantur ex aqua fontana, cui adiecta sit tertia pars aquæ atractylidis. Sub finem coctionis inserantur radices dictami & tormentillæ, & nodulus qui cornu Quæ victus ratio hic decernenda.

ceruini & eboris scobem contineat, & folia succisæ, buglossi, borraginis, oxalidis, pimpinellæ, calendulæ, vua acida, lupulorum & asparagorum cauliculi, cum petroselini radice. Quippè diureticis veneni portio vnà cum Vrinis exigitur. Si hæc in manu non sunt, sorbitioni adijciatur omphacii, succi oxalidis, aut mali citrii, aut punici pauxillum. Quæ sic elixatæ carnes, ex iisque sorbitiones, in calidis & siccis naturis, assis præferentur. Satis enim alimenti corpori præstant, & humorum ardorem meliùs temperant, simúlque calidam & siccam viscerum intemperiem emendant. Denique venenatam Pestilentis causæ vim obtundunt, ac putredinem arcent. Pro acetariis vsurpabuntur cappares, qui vim salis prorsus deposuerint, ídque ex aceto rosato, vel ex eo quod cum floribus betonicæ altilis præparatur, malũ citriũ, arantiũ, punicum. In febre Pestilenti putridæ implicita, in qua vrgent calor, sitis, dolor, præsertim si feruentissimus æstus est, vel natura ægrotantis biliosa, in totum vino interdicendum est. Si ta-

men necessitas interdum eo vti cogat, oligophorum eligatur, idque liberaliter diluatur. Pomaceum, si generosum sit, benéque maturum, tutò conceditur: at quod vel non satis defæcatnm, vel nondum benè maturum, vel vetustate subacidum euasit, noxiũ putandum est. Pyraceum & cereuisia minùs conueniunt. Ptisana vulgaris multò præstantior.

D. Quomodo characteristicis Pestilentiæ symptomatibus opitulandum?

C. Dum remedia ad febrem Pestilentem, eiúsque causam radicitùs extirpandam adhibentur, bubo si protuberat, vel carbunculus, statim scalpello vel pyrotico aperiendus, vt virus exhalet, dein materia crassior relicta, ad suppurationem perducenda, vt veneni reliquiæ cum pure effluant. Quomodo Pestilentibus tuberculis opitulandum.



DISPVTATIO IV.

DE SYMPTOMATVM Febrem comitantium curatione.

DOCTOR IV.

Symptomata Febrem comitantia, quibus propria curatio adhibenda, triplici genere comprehensa.

LICET curatio non symptomatibus, sed morbo à quo ducunt originem debeatur: nonnulla tamen tàm grauiter ægros exercent, vt ad se Medici sollicitudinem conuertant; quibus ita succurrendum est, vt interim non negligatur Febris, à qua prodeunt. Quotuplicia sint aperi?

CANDIDATVS.

E tribus symptomatum generibus, non pauca Febrem comitantia, ob sui vehementiam, curationem ad se trahunt.

D. Ea sigillatim recense.

Quæ primi generis sint.

C. E functionum læsionibus animalium; Paraphrosyne, Agrypnia, Sopor, Cephalalgia, Surditas, Gustus deprauatus, & Inquies: Vitalium; Syncope, Dyspnœa, & Tussis: Na-

turalium; Deglutiendi difficultas, Anorexia, Boulimus, Sitis, Singultus, & Lumborum dolor, propriam curationem postulant. Exametria pariter excretorum, Hæmorrhagia, Sudor, Nausea, Vomitus & Alui fluxus; vt & retentorum, Alui adstrictio: E' corporis item qualitatibus immutatis, Rigor, Horror, Frigus, & Æstus, peculiarem therapiam exposcunt. Quæ secundi; quæ tertij.

DE PARAPHROSYNE.

D. Quam Delirio curationem adhibendam esse censes?

C. Οὐδενὸς συμπτώματος ἡ θεραπεία γίνεται πρώτως, ἀλλ' ἀεὶ τῆς ἐργαζομένης αὐτὸ διαθέσεως, Symptomatis nullius curatio primùm fit, sed perpetuò affectus symptoma ipsum facientis, authore *Galeno Com. 2. in 6. Epid.* Ad sedandum igitur Delirium (quod παραφροσύνην Græci vocant) diathesi eius effectrici detrahendæ diligenter incumbendum. In Paraphrosyne cerebrum non primariò, (vt in Phrenitide,) sed secundariò afficitur; interdum solo calore per continuitatem partium ad caput ascendente; sæpiùs verò vapore acri & feruido, qui Qua ratione Delirium curetur. Quibus ex caussis suscitetur.

inordinatè ſpiritum animalem exagitans, & cerebri temperiem oblædens, actiones animales peruertit. Quin & immodicæ vigiliæ, nimia cerebri exſiccatione, eius temperamentum vitiantes, Delirium accerſunt. Quod præpoſtera ratiocinatione, & obuerſatione viſorum, quæ aut non ſunt, aut aliter ſubſiſtunt, manifeſtè ſe prodit. Adde quòd æger importunè præter conſuetudinem obloquitur, ac inſolenter petulans, nullam in geſtu modeſtiam exhibet. Eius imminentis ſigna ſunt, profluuium alui bilioſum ſuppreſſum, & vrinæ quæ priùs valdè tinctæ erant & flammeæ, nunc ſunt aquoſæ & tenues, quod contingit raptu bilis quæ vrinas tinxerat ad cerebrum.

Quibus ſignis dignoſcatur.

Παραφροσύνη maiorem incutit terrorem, quàm periculum iniicit, quia nullo vitæ diſcrimine ſæpiùs accidit; & præterito morbo, aut acceſſionis vigore, vt plurimùm, conquieſcit; imò cum humor feruidus à quo excitatur deferbuit, profundus ferè ſopor obrepit. Remediis tamen refrigerantibus & repellentibus, tùm intrò ſumptis,

Quid portendat.

Quibus auxiliis ſedetur.

tùm extra admotis est anteuertenda. Nonnulli repellentium loco animalcula recèns per tergum incisa & intestinis mundata capiti admouent, vt calore suo tepido cerebri feruorem contemperent, & vapores in cerebrum sublatos dissoluendo absumãt. Prosunt insuper frictiones artuum, multóque magis dolorificæ ligaturæ, quia vapores à capite auertunt. Aluus remollientibus enematis, blandísque catharticis subducenda. Phlebotomia nequaquam administrãda, quia morbi vigor adest, in quo nihil moliendum: Cucurbitulę tamen cum scarificatu ad reuulsionem, scapulis admoueri possunt. Conciliandus somnus; vt natura, somno & quiete roborata, humores & vapores, delirii causas, per sudores euacuet. Nutriendus æger alimentis refrigerantibus & humectantibus. Interdicendus vini vsus. Assidentes imprimis caueant, ne irascendi occasionem ægro adferant, sed omnia illi cõcedant. Neque enim audiendi, qui eos duriter tractari imperant.

DE AGRYPNIA.

Cur Agrypniæ protinus occurrẽdum.

D. Agrypnia febricitantibus valdè infesta, cui promptè succurrendum est, quia vigiliæ si diutiùs perseuerent, spiritus exhauriunt, vireſque prosternunt, quinetiam spasmum & paraphrosynen accersunt, vt testatur Hippocrates, Aph. 18. l. 7. *Qua ratione peruigilibus opitulandum esse putas?*

Quibus subsidiis conciliãdus somnus.

C. Si vigiliæ immodicę fiant à calore febrili cerebrum calfaciente & exſiccante, id refrigerandum & humectandum. Quod molimur tùm extrinſecùs admotis, tùm aſſumptis auxiliis. Admouentur olea violarum, roſarum, nymphææ, papaueris: aquæ lactucæ, ſolani, vmbilici veneris, vnguentum populeum, ex quibus fiunt litus, frontalia, & epithemata. Imperantur lotiones pedum, ex decocto lactucæ, ſalicis, vitis, ſolani, hyoſcyami, capitum papaueris, florum nymphææ, violariæ, roſarum. Intrò ſumuntur ſyrupus papauerinus, diacodium, aqua roſarum, lactucæ, ex quibus fiunt potiones hypnoticæ. Interdum vti cogimur narcoticis ad cõciliandum ſomnum, vt opio, nepenthe; magna cau-

tione adhibita, ne lethargum inducant, & mentem offendant. Si vigiliæ à siti inexhausta, aut inquiete, aut dolore proueniant, hæc symptomata propriis remediis sunt compescenda.

DE SOPORE.

D. Satis de vigilijs, nunc de Somno. Quotuplex Somnus per febres accidit? Quotuplex Somnus.

C. Triplex: Alius quippe naturalis est, qualis censetur, qui in declinatione accessionis, aut totius febris contingit, manifestè ægrum iuuans: alius non naturalis, qualis est qui paroxysmorum initiis contingit, quia teste Galeno in *Aph. 7. l. 2.* accessionem longiorem facit, humorem febris causam per initia foras effundi incipientem, intrò retrahens, saltem retinens; ac ægro grauitatem atque laborem eò tempore adfert, præ copia vaporum crassorum ab humore viscido, calore febrili succenso, effusorum; qui in caput elati, in frigidiorem humorem, motus & sensus organa replentem, conuertuntur: Alius omninò præter naturam existit, qui Sopor appellatur, à quo febricitantes excitari nequeunt, & in quem, si exci-

Qui naturalis habetur.

Qui non naturalis.

Qui præter naturam, Soporis nomen sortitus.

tentur, subinde recidunt; estque aliàs lethargicus, aliàs Caroticus, aliàs Comatosus. Hæc sæpè contingit, cùm nimioperè refrigerãtia & narcotica, ad somnũ conciliandũ, deliria sedãda, & dolorẽ capitis leniendum, inconsideratè fuerunt extrinsecùs capiti admota, vel intrò sumpta. His enim cerebrũ stupescit, & animalis spiritus cõcrescit & coagulatur, inde redditur ineptus ad sensum & motũ edendũ. Licet idẽ aliàs vi febris accidat vaporibus scilicet acribus qui deliriũ fecerãt, aliqua ex parte in cerebro concretis & in aquam conuersis. Nam cùm feruet humor, quicquid tenuius est, discutitur, remanente crassamento, à quo cerebrum deinde grauatur, vnde reprimitur quidem delirium, sed grauis & profundus sopor eius loco exoritur. Quinetiam febres quædam sunt soporiferæ natura sua, vt eæ in quibus multa pituita viscida in visceribus collecta est, quæ à febrili calore fusa, cerebrum ingenti crassorum vaporum copia replet; quales interdum febres quotidianæ intermittentes, aut tertianæ nothæ.

quomodo contingat, & quando.

D. Sopore correpti profectò debent excitari, ne profundus somnus diuturnior calorem natiuum tandem opprimat; quibus artibus eos excitabis?

C. Excitantur violentis corporis agitationibus; duris frictionibus; conuulsionibus pilorum capitis, menti, pubis; altis inclamationibus, enematis acribus ex decocto pulegij, origani, calaminti, maioranæ, in quo dissoluuntur hiera diacolokynthidos, benedicta laxat. oleum rutaceum, sal gemmæ; vt iritetur natura torpēs, & reuellantur humores & vapores ad caput repentes. Ad eundem affectum pilulæ aureæ, cocceæ, & quæ colocynthidem recipiunt, in aqua vitæ aut in vino dissolutæ per os exhibentur; inungitur palatum mithridatio, sinapi & aliis id genus; Adhibentur ceruici cucurbitulæ, cute priùs leuiter per nouaculam aperta; Instillatur in oculos acetum, omphacium, succus limonum; Inijcitur in nares puluis ellebori, vt commoueatur cerebrum, & commotum calefiat, & contenta in eo pituita colliquetur; Assa fœtida insuper naribus subijcitur odoranda, Quomodo Sopore obruti sint excitandi.

vel galbanum admouetur: Capiti raso inspergitur puluis Zingiberis, nucis moschatæ, pyrethri, vel euphorbij; Superadditur emplastrum ex pice nigra, terebinthina, ammoniaco, sulphure & puluere sinapi in aqua vitæ macerato, subactis omnibus cum oleo nucis moschatæ, & ceræ sufficienti quantitate. Quòd si affectus sit contumacior, applicatur capiti sinapism⁹, ex semine sinapi & ficubus confectus, vt è profundo capitis ad superficiem humor euocetur. Nonnulli à sinapismo ad medicamentum rubificans, progrediuntur; quod fit ex pulpa ficuum, semine sinapi & vrticæ, atque cantharidibus, ad emplastri formam.

DE CEPHALALGIA.

D. Capitis dolor symptoma est omnium ferè febrium comes. Quibus ex causis excitetur aperi?

Quibus ex causis oriatur capitis dolor.

C. Dolor capitis, qui ratione febris accidit, à vaporibus sursum ad cerebrũ per venas, arterias, & cæca quædã spiracula elatis fit. Prodeunt autem hi vapores ab humore (qui febrẽ facit) ebulliente, vel in prima, vel in secunda corporis regione. Interdum & ab ex-

crementis retentis in intestinis, vt ijs accidit febricitantibus, quibus aluus adstricta est.

D. Quotuplex est ille dolor? Quotuplex sit. A quo humore fiat.

C. Quadruplex: Pungens quippè sentitur, vel distendens; aut grauans, vel pulsans.

Pungens fit à bile acri membranas cerebri exquisito sensu præditas feriente. Pungens.

Distendens à vaporis aut humoris copia internas vel externas cerebri membranas diuellente. Distendens.

Grauans ab humore pituitoso. Grauantem verò capitis dolorem somnus comitatur, vt distendentem & pungentem vigiliæ. Grauans.

Pulsatiuus à solis vaporibus in arterias penetrantibus, eas magis, quàm pro naturali consuetudine dilatantibus, inducitur. Pulsans.

In febribus autem intermittentibus, accessione sedata interdum post aliquot horas capitis dolor perseuerat: quia scilicet vapor, aut humor eius causa, tardiùs & difficiliùs resoluitur & discutitur in capite, ob cranij densitatem, quàm ille qui per habitum Cur finita febriũ intermittentium accessione, perseuerer capitis dolor.

corporis effusus est, ob cutis raritatem. Si capitis dolor non vrget vehementiùs, nec somnum impedit, nulla eget cura; quia sublata febre, statim euanescit. At vehementior curationem ad se trahit, cùm vel vires frangit; vel Paraphrosynen, tractis ad caput humeribus, accersit.

D. Quibus remedijs sedatur?

Quibus subsidiis sedetur.

C. Compescitur Cephalalgia, tùm ijs quæ vapores & humores ad cerebrum ascendentes deriuant, tùm ijs quæ refrigerant & fluentem ad cerebrum humorem repellunt. Deriuatur & reuocatur humor & vapor, qui ad cerebrum ascendit, purgationibus blandis, clysteribus emollientibus, refrigerantibus & leuiter detergentibus, venæ primùm cephalicæ, dein earum, quæ sunt in temporibus sectione, cucurbitularum applicatione ceruici & scapulis; ligaturis extremarum partium, & blanda totius corporis infernè descendendo, frictione. Repellitur verò humor & vapor ad cerebrum ruens, ac cerebri ardor vnà corrigitur, refrigerantibus & repellentibus capiti admotis, quorum non

aliud

aliud oxyrrhodino frequentius; id est aceto, cui oleum rosatum mistum est; cum quo etiam aqua rosarum misceri solet, atque plantaginis, necnon & betonicæ. Quòd si oxyrrhodino non subleuetur ille dolor, cataplasma è mica panis albi, croco, puluere betonicæ, & oleo rosato confectum, syncipiti, fronti & temporibus applicatur. Quòd si his nondum sedetur dolor, adduntur vehementiùs refrigerantia, vt oleum nymphææ, papaueris, mandragoræ, vnguentum populeum. Interdum extrema necessitas cogit nos confugere ad narcotica, vt ad opium, cuius ℈ j. dissoluitur in olei rosati ℥. j. Interdum Philonij Rom. aut pilularum è cynoglosso ʒ. ß. intrò sumitur. Sed Nepenthe tutiùs exhibetur ad ℈. ß. Satiùs tamen fuerit narcoticorum loco, blandioribus hypnoticis intrò sumptis dolorem capitis demulcere; vt syrupis è papauere, è nymphæa, diacodio, in aqua, vel decocto lactucæ dissolutis, hordeatis, & amygdalatis, in quibus semen papaueris albi adjectum sit, & similibus.

DE SVRDITATE.

D. Surditas febricitanti non rarò superuenit. Eius causam ostende, ac subinde curationem persequere?

Surditatis causa. C. Surditatis causa in febribus continuis, vapor est à bilioso humore sursum in caput irrepens, qui animalem spiritum impuriorem, & ad audiendum prorsus ineptum, reddit. Ex bile enim surditatem contingere testatur Hippocrates *Aphor.* 28. *l.* 4. Quibus biliosæ exeunt deiectiones, eæ superueniente surditate sistuntur; & quibus surditas adest, biliosorum deiectione finitur. Curatio. Ad subleuationem huius symptomatis, euacuandus biliosus humor in prima & secunda corporis regione contentus. Euacuatur autem per infusionem rhej, in aqua cichorij, aut foliorum Orientalium, in decocto refrigerãte & humectante. Quòd si surditas à vaporib⁹ è copiosiori sanguine elatis contingat, vt simplici synocho accidit, phlebotomia è basilica dextrâ erit administranda.

Quibus auxiliis auriũ dolor leniẽdus sit. *D. Si aurium dolor comitetur, quibus subsidijs demulcendus est?*

C. Aurium dolor leniendus erit, per

ſacculos cõparatos ex ſeminibus lini, fœniculi, radicibus althææ, liliorum, folij maluæ, biſmaluæ, parietariæ, floribus chamæmeli, meliloti, anethi, præbullitis in lacte.

DE GVSTV DEPRAVATO.

D. Guſtus ſæpè per febres ita deprauatur, vt perperam de ſaporibus iudicet. Symptomatis huius cauſam & curationem expone?

C. Lingua, cui guſtandi vis inſidet, in febribus præſertim continuis, vitioſo aliquo vapore, vel humore bilioſo, vel pituitoſo, aut alio corrupto imbuitur, cuius ſaporem æger à cibo & potu inductum eſſe putet. Ille autem corruptus humor, vel in ſolo linguæ corpore conſiſtit, (non omninò tunc proſtrata eſt appetẽtia;) vel etiam ventriculi tunicas occupat, (inappetentia tunc adeſt.) Si manente ciborum orexi, ſolus guſtus offenſus eſt, ſolius etiam linguæ & palati vitium eſt, quod frequenti lotione per aquam omphacio miſtam, & deterſione per gargariſmum ex decocto hordei, & melle roſato, cum tantillo aceti confectum, curatur. At ſi anorexia con-

Quomodo guſtus deprauetur.

Quibus remediis curetur.

iuncta est, ventriculus & in eo contenti humores accusandi, híque idonea purgatione, eáque repetita, sunt euacuandi.

D. Nihil æquè gustum labefactat, atque linguæ scabrities, nigrities & fissura. Cur per febres sic afficiatur lingua, & quomodo sit illi opitulandum, luculenter explana?

Quibus ex causis linguæ asperitas, nigredo & fissuræ contingant.

C. Hæc symptomata fiunt à fuliginosis vaporibus è toto corpore in spongiosam linguæ carnem elatis, & in ea inhærentibus. Vt enim fuligo ex accensis lignis sursum elata, in externa camini superficie inhæret, ibíque crassescit; sic etiam fuliginosi vapores ex ebullientibus extra vel intra venas humoribus excitati, in linguam & fauces sublati, vbi iam non habent quò vlteriùs progrediantur, in spongiosa lingua cōsistunt, eámque nigrefaciunt, exsiccant, exasperant, & ob suam acrimoniam, eius continuitatem soluunt. Interdum etiam pituita è cerebro in os decumbens, aut è ventriculo sursum in os per œsophagum adscendens, vbi febrilis caloris vi incrassatur & indurescit, linguam, palatum, fauces, dentésque, lentore, veluti glu-

tine, obducit, & summam deglutiendi difficultatem infert. Siccitas & aspe ritas linguæ, iis corriguntur quæ valdè humectant & leniunt, vt syrupo violato, iuiubino, cremore hordei, saccharo crystallino, pennidiis, succo glycyrrhizæ in ore contentis, gargarismate ex succo semperuiui, vel decocto hordei, rad. altheæ, fol. portulaceæ, lactucæ, carnis cucurbitæ, seminis lini, & florum violarum. Quòd si cum siccitate & asperitate, fissuræ in lingua appareant, eæ curandæ sunt iis quæ humectando agglutinant, vt semine cydoniorum, gummi Arabico, sale prunellæ. Imprimis enim siccitas, vnitatis solutæ causa, est emendanda, qua superata partes ad se inuicem diductæ ita laxantur, vt earum labra se attingant, túncque leui glutine consolidentur. Quibus remediis curentur.

DE INQVIETE.

D. *Quid Inquietis nomine designatur?*

C. Iactatio totius corporis, nunc in hanc, nunc in illam partem. Quid inquies.

D. Quibus ex causis Inquies oritur?

C. Inquies fit interdum ab inflammatione hepatis, aut lienis; quæ pro- Quibus ex causis oriatur.

priis dignoscitur visceris affecti signis: Interdum à bile porracea & æruginosa orificium ventriculi occupante, aut circum cor ebulliente: Interdũ à multis vitiosis humoribus in hepate, liene & mesenterio congestis; qui per febrem excandescentes, diaphragma; & consecutione, pulmones & cor cõprimunt. Vnde contingit oppressio suffocationis metum inferens. Tunc infimus venter distentus est, & attrectatus indolescit. Interdum acer & malignus humor in venis maioribus turgens, huc & illuc corpus inquietum ferri cogit. Interdum verò in habitum corporis, partésque neruosas effusus, eas sua acrimonia pungit & stimulat. Hinc diuexatus æger nullam decentem seruat decubitus formam, quia præsentem perpetuò grauem atque molestam experitur. Quo fit vt nunc in pedes, nunc in caput, nunc in latera lecti prouoluatur. Interdum fit à feruore & incendio febris. Vt enim frigus stupidos & immobiles, ita calor mobiles reddit ægros. Interdum à lassitudinis sensu, cuius ratione locum æger subinde mutat, quietem

frustrà quærens. Interdum extrema corporis imbecillitas huius symptomatis causa est: quia pars, supra quam iacet æger, statim fatigatur; nec amplius ferre corpus potens, ægrum ad locum in lecto mutandum impellit. Verùm hæc inquies lethalis esse solet, vt apparet in iamiam morituris, qui lectum subinde mutant. At inquietudo ab aliis causis orta curationem admittit.

D. Quam curationem institues febricitanti Inquiete conflictato?

Quæ ad Inquietẽ procurandam adhibenda remedia.

C. Si ab inflammatione hepatis, aut lienis, oriatur Inquies, ad propriã visceris affecti curationem recurrendum est. Si à biliosis humoribus, porraceis & æruginosis, vel ventriculi orificium occupantibus, vel circum cor ebullientibus, vel in primam aut secundam regionem turgẽtibus, educendi ij sunt; tùm vomitibus, si eò natura repat; tùm purgationibus blandis ex cassia, catholico, infusione rhei, & foliorum Orientalium, in decocto refrigerante: tùm clysteribus refrigerantibus, & blandè humorem morbificum ad intestina deriuantibus. Si à

capitis æstu proficiscatur, caput rasum oxyrrhodino illinendum; Adhibenda fronti frontalia refrigerantia & humectantia, faciendus litus ex oleo papauerino, in quo tantillum opii solutum sit. Sin ab æstu cordis, hypochondriorum & lumborum, admouenda his locis epithemata refrigerantia. Quæcúmque autem fuerit inquietis causa; æger quantum fieri poterit, se in vno lecti loco contineat; & quàm minimè poterit, deiiciat. Cùm verò nequit ampliùs durare, sese placidè cômoueat. Nimia enim & frequens agitatio, magis calfacit, æstum auget, corpus fatigat, debilitat vires, & humores longè latéque spargens, difficiliorem illorum expulsionem reddit.

DE SYNCOPE.

Quid Syncope.

D. Hactenus de functionum animalium noxis disseruimus, nunc de vitalium læsionibus agendum. Syncope, quæ præceps virium lapsus est, febricitanti superueniens, horrendum habetur symptoma, ad quod tota confestim curatio conuertitur, febre interim neglecta. Eius causas sigillatim recense, vt singulis proprium opponas remedium.

C. Syncope fit ab omnibus causis, quæ spiritus vitales alterant, labefactant, dissipant, quales sunt venenata pernicies cordi impressa, diuturnæ vigiliæ & inediæ, immodica quælibet euacuatio vel per hæmorrhagiam, vel per alui profluuium, vel per sudores: Acerbissimus dolor, à quolibet præter naturam affectu profectus: Abscessus quispiam intrò latens, siue in pulmonibus, siue in hepate, vel splene, alióue viscere, è quo teter vapor in cor irrepens, vitales spiritus inficit. Quin & bilis æruginosa altiùs in os ventriculi eximio sensu præditum se insinuans, & lumbrici illud pungentes & vellicantes, stomachicam Syncopen inducunt. Maligna causa cardiacis oppugnatur remediis, vt aquis theriacalibus, & Alexiterijs Nectaribus. Prostratæ ab inedia & inanitione vires, Analepticis Ecchylomatis instaurantur. Ad exolutos spiritus recreandos & reficiendos, aqua vitæ artificio Chymico elaborata; & quæ Imperialis appellatur, ex cochleari datur, necnon & vinum tenue, odoriferum: Exhibetur & panis assus vino Eius causæ. Remedia.

generoso maceratus cum saccharo & pauco cinnamomo: Adhibentur odoramenta ex rebus quibúsque iucundis. Epithemata roborantia cordi admouentur. Ad diffusos per habitum spiritus intrò propellendos, aqua frigida faciei inspergitur. Ad cacochymiã, quæ cardiogmon infert, subducendam; rheum, cassia, & alia id genus lenientia cathartica, decernuntur. Pharmaca pariter enecandis & eijciendis lumbricis pungẽtibus idonea præscribuntur.

DE DYSPNOEA.

D. *Dispnœa in febre acuta, est mali ominis, vt prodidit Hippocrates* Aph. 50. l. 4. *Quibus ex causis oriatur, explica?*

Quibus ex causis oriatur Dyspnœa.

C. Spirandi difficultas in febribus continuis contingit, interdum à bile in præcordijs turgente, diaphragma pulmonésque comprimente; interdum à solo incendio in corde & pulmonibus concepto; interdum etiam moribundis, ab extrema imbecillitate facultatis animalis, quæ thoracis musculos mouet.

D. *Quibus signis hanc Dispnœæ causam,*

à superioribus internosces?

C. In hac respiratio rara est & exigua, eáque frigida, inter respirandum narium pinnulæ contrahuntur, adest summa virium debilitas: at in illis calida est & feruens exspiratio, vrget inquies, pulsus frequens & validus percipitur.

Quibus signis causæ internoscātur.

D. Quam curationem huic pernicioso symptomati adhibebis?

C. Si Dyspnœa contingat à bile æstuante, remedijs refrigerantibus eius feruor contemperandus est, vt julepo rosato cum succo limonum parato; vel syrupo violato, in decocto radicum graminis, cichorij, asparagi, fol. lactucæ, portulacæ, agrimon. seminum frigid. maior. & minor. dissoluto. Concedendus est aquæ frigidæ potus, si eam æger maximè expetat. Hordeū mundatū apprimè conuenit. Venæ basilicæ sectio imperanda, eáque repetenda bis, ter, quater, si opus sit. Purgatio etiam præscribenda, ex infusione rhei & fol. Orientaliū in decocto refrigerāte, leniēte & bilis acrimoniā obtundēte. Cassia & catholicū conueniunt intrò sumpta tùm per os,

Quibus remediis eius molienda curatio.

tum per aluum. Hepati epithemata admouenda, ex aquis rosarum, plantaginis, cichorij, solani, aceto, puluere elect. trionsantalon, & similibus.

DE TVSSI.

D. Tussis febricitantibus valdè molesta est. Quibus ex causis oriatur, quibúsque remedijs, leniatur aperi?

Quibus ex causis oriatur Tussis.

C. Tussis, quæ febres intermittentes præcedit, fit à vaporibus & fumis è febrili materia initio paroxysmi commota, ad pulmones elatis. Sed his à calore febrili resolutis cessat: Quæ verò in accessionibus intermittentium perseuerat, vel in febribus continuis infestat, fit vel à pituita in cerebro contenta calore febrili liquefacta, & in pulmones illabente: quæ quidem tussis humida est, vel à calida & sicca organorum respirationi seruientium intemperie, quæ adeò arida est, vt nihil prorsus expuatur: vel ob refrigerationem capitis & thoracis accidit, quando ingenti æstu vigente partes ipsæ denudantur. Id symptoma valdè noxium. Nam commoto corpore febrem auget, adeóque dolorem, vigilias, & alia febris symptomata

Quam ægro noxia infestat.

exasperat. Sitim tamen lenit, modò non sit vehemens, teste Hippocrate *Aph.* 54. *l.* 4. Quibus in febribus tusses modicè iritantes adsunt, ij non admodum sitiunt, quia (*inquit Galenus in com.*) ob motum tussi factum ex vicinis regionibus aliquis humor defluit, vnde quodammodo madescunt loca, quæ ad asperam arteriam pertinent, quibus madefactis sitis minor euadit. Remedia autem Tussi conuenientia sunt quæ sputum promouent, Bechica propriè dicta. Sed vitanda quæ nimioperè calfaciunt, eligenda verò quę nihil aut minimùm curandæ febri nocent; verùm hanc, quoad fieri potest demulcent. Quæ ad leniendã Tussim adhibẽda remedia.

DE DEGLVTIENDI *difficultate.*

D. A vitalibus actionibus læsis, ad naturalium noxas transeamus. Difficultas deglutiendi febricitantes plerùmque infestat. Qua ex causa oriatur, & quibus sublevetur auxilijs exprome?

C. Deglutiendi difficultas accidit pharynge occupato, & œsophago coangustato, à fuliginosis vaporibus, aut à pituita è ventriculo ascendente, Vnde oriatur deglutiendi difficultas.

aut è cerebro in fauces defluente, eáque febrili calore incrassata & concreta. Contingit & hoc symptoma aliàs ex bilioso sanguine, in musculos faucium & ceruicis decumbente; aliàs ex vertebrarum ceruicis distensione, à neruorum in circumiacentes partes insertorum siccitate excitata; aliàs ab extrema virium imbecillitate. Lethalis autem ea est difficultas deglutiẽdi, quæ à conuulsione neruorum oritur, quòd à siccitate fiat: necnon & quæ à summa virium imbecillitate accidit. At verò quæ fuliginosis vaporibus incrassatis, lentísque humoribus pituitosis obduratis, fauces & œsophagi introïtum occupantibus prodit, curatur incidentibus & detergentibus gargarismis. Si tumor ceruicem occupans hoc symptoma excitet, adhibentur collo linimenta, vnguenta & cataplasmata remollientia, discutientia; &, si nulla resolutionis spes videatur, suppurantia.

Quæ incurabilis.

Quæ remedia curationi adhibenda.

ANOREXIA.

D. Anorexia febres ferè semper comitari solet. Interdum illas antecedit, interdum illis solutis remanet per plures dies.

Eius causam & curationem perstringe.

C. Anorexiæ causa quandóque solus est febris feruor ventriculo communicatus; aliàs teter vapor in ventriculi orificium (quod famis sedes est) vndelibet elatus; aliàs vitiosus humor ventriculi tunicas & orificium imbuens. Si ab æstu ventriculi contingat Anorexia, exhibeantur refrigerantia & acida, vt syrupi è limonibus & è ribes. Aquæ potio concedatur, modò nihil prohibeat. Si præterea vitiosus humor, cibi fastidium pariat, blanda catharsis decernatur. A quacúnque verò causa procedat, offerantur esculenta & potulenta ægro non ingrata: quia paulò deterior, sed suauior cibus & potus; meliori, sed insuauiori, præferendus, ex Hippocratis doctrina, *Aph.* 38. *l.* 2. Nam quæ cum voluptate assumit ventriculus, ea & validiùs amplectitur, & faciliùs coquit. Per rara verò interualla cibus parca manu detur. Frequentior enim & copiosior inappetentiam vel sanis inducit. Condiatur, si tussis absit, omphacio, aceto rosato, aut succo limonum. Soluta febre, si deiecta remaneat ap-

Anorexię causa.

Remedia.

petentia, æger modicè se exerceat, vtatur capparibus & oliuis. Si, ne his quidem redeat appetitus, vinum absynthites, aut catapotia ex hiera erunt ex vsu; quibus bilis aut pituita ventriculi tunicis impacta, quæ appetitum tollit, abstergitur.

DE BOVLIMO.

D. Boulimus sæpè diuturna febre laborantibus accidit, maximè pueris qui plurimum habent calidi innati, cuius ratione copioso indigent alimento. Quid est Boulimus?

Quid Boulim'. C. Boulimus est fames præter naturam, quæ nisi statim sumpto alimẽto sedetur, animi deliquium adfert.

D. *Quæ illius causa, & quæ huic curatio adhibenda sit, exprome?*

Eius causa. C. Causa illius in febribus, est partium corporis spiritalium, humoralium & solidarum magna dissipatio, ab immodico calore facta, & alimenti penuria, ob quam per vniuersum corpus inanitionem, maximus fit in ventriculi orificio suctionis sensus. Interdum hoc symptoma in febribus contingit à vermibus contentis in intestinis, qui alimentum sumptum sta-

tim absorbent: Interdum ab immodica aquæ frigidæ potu, quæ refrigerato ventriculi orificio, famem inuehit. Vnde Hippocrates aquam voracem vocat. Frigus enim ab aqua orificio ventriculi inductum, eius tunicas cõstringit, & constringendo exprimit, vnde fames. Interdum & humor frigidus, acidus ac malignus, siue pituitosus, siue melancholicus orificio ventriculi & eius tunicis impactus, sua frigiditate & aciditate morsum suctioni similem inducit. Sunt tamen qui negant Boulimum fieri à refrigeratione oris ventriculi: sed potiùs ab immodico eius & viscerum calore, à quo fit maxima substantiæ totius corporis iactura, cuius effluuii ratione, æger subinde alimentum assumere cogitur. Si oriatur à maxima totius corporis dissipatione à febrili incendio facta, refrigerãtibus tùm sumptis, tùm admotis, id extinguatur. Alimentis liquidis potiùs quàm solidis æger alatur. Nec multus cibus affatim ingeratur, repentinæ mortis metu: sed modicum per breuia interualla exhibeatur, ne vis imbecilla pondere suf-

Quæ huic curatio adhibẽda.

petentia, æger modicè se exerceat, vtatur capparibus & oliuis. Si, ne his quidem redeat appetitus, vinum absynthites, aut catapotia ex hiera erunt ex vsu; quibus bilis aut pituita ventriculi tunicis impacta, quæ appetitum tollit, abstergitur.

DE BOVLIMO.

D. *Boulimus sæpè diuturna febre laborantibus accidit, maximè pueris qui plurimum habent calidi innati, cuius ratione copioso indigent alimento. Quid est Boulimus?*

Quid Boulim'. C. Boulimus est fames præter naturam, quæ nisi statim sumpto alimẽto sedetur, animi deliquium adfert.

D. *Quæ illius causa, & quæ huic curatio adhibenda sit, exprome?*

Eius causa. C. Causa illius in febribus, est partium corporis spiritalium, humoralium & solidarum magna dissipatio, ab immodico calore facta, & alimenti penuria, ob quam per vniuersum corpus inanitionem, maximus fit in ventriculi orificio suctionis sensus. Interdum hoc symptoma in febribus contingit à vermibus contentis in intestinis, qui alimentum sumptum sta-

tim absorbent: Interdum ab immodica aquæ frigidæ potu, quæ refrigerato ventriculi orificio, famem inuehit. Vnde Hippocrates aquam voracem vocat. Frigus enim ab aqua orificio ventriculi inductum, eius tunicas cō-stringit, & constringendo exprimit, vnde fames. Interdum & humor frigidus, acidus ac malignus, siue pituitosus, siue melancholicus orificio ventriculi & eius tunicis impactus, sua frigiditate & aciditate morsum suctioni similem inducit. Sunt tamen qui negant Boulimum fieri à refrigeratione oris ventriculi: sed potiùs ab immodico eius & viscerum calore, à quo fit maxima substantiæ totius corporis iactura, cuius effluuii ratione, æger subinde alimentum assumere cogitur. Si oriatur à maxima totius corporis dissipatione à febrili incendio facta, refrigerãtibus tùm sumptis, tùm admotis, id extinguatur. Alimentis liquidis potiùs quàm solidis æger alatur. Nec multus cibus affatim ingeratur, repentinæ mortis metu: sed modicum per breuia interualla exhibeatur, ne vis imbecilla pondere suf-

Quæ huic curatio adhibēda.

focetur. Si lumbrici symptoma istud excitant, aduersantibus pharmacis excludentur. Si ab aquæ frigidæ potu, intemperies frigida in ventriculo cōtracta est, calfacientibus corrigatur, habita tamen ratione febris. Si ab humore frigido & acido ventriculi tunicis impacto, euacuetur humor ille vomitoriis, si æger facilè vomat, vel blandis catharticis. Posteà vinum enulatum, aut absynthites porrigatur; quod, licet appetentiam naturalem inuitet, famis tamen non naturalis causam coquit & absumit.

DE SITI.

D. Sitis ardentium febrium assidua comes est. Qua ex causa excitetur, & quomodo sedetur aperi?

Qua ex causa Sitis excitetur.

C. Sitis causa in febribus est caliditas & siccitas internæ ventriculi tunicæ, febris incendio, vel à salsis & nitrosis humoribus contracta; aut citra ventriculi affectum, feruor pulmonis; à quo ob vicinitatem & fuliginum ascensum, os, palatum, & lingua valdè arescunt, nigrescunt, & scabritiem contrahunt. Interdum febricitantes siti nulla tentantur, vel

Cur febricitantes aliquando non infe-stet.

quòd frigidus & aquosus humor à cerebro delabens, ventriculũ proluit. Vnde Hippoc. *Aph.* 54. *l.* 4. protulit: Quibus siccæ tusses iritantes in febribus perseuerant, ij non valdè sitiunt: vel quia nullus ardor ventriculum occupat, quòd feruida febris materia longè ab eò absit. Neque enim sitiunt febricitantes, nisi eorum ventriculus à calore febrili exsiccetur: vel quia mens ægrotat, vt in Phreneticis, qui licet valdè sitiant, sitim tamen non sentiunt. Interdum sitis nulla, cùm demortuus est ventriculi sensus, quod in febribus ardentibus exitium denuntiat. Sitim, quæ per febres vehementes exercet, aqua frigida in primis compescit: ideóque intrepidè porrigenda, obseruatis cautionibus. Quòd si ab ea metus est, corrigatur eius frigiditas & crassities, agitatione & transfusione crebra, immersa panis cibarij medulla. Quidam vt leuitatem aquæ concilient, eam igni coquunt, sed ea minùs refrigerat, quia igneam quandam vim concipit. Vt autem tutiùs & citra viscerum offensam pro potu sumi possit, in ea integrum hor-

Quibus auxiliis sedetur.

deum coquitur, dum crepuerit: adc
tur & parum glycyrrhizæ sub coctio
nis finem. Fit & julepus ex aqua fon
tana, aqua rosarum, succo citriorum
malorum & saccharo, qui vulgò Ale
xandrinus vocatur. Syrupus etiam
violaceus cum aqua rosarum dissol
uitur, vt & syrupus limonum, qui &
arcet putredinem, & bilis feruorem
retundit. Ad sitim fallendam non
nulli vtuntur cerasis acidulis, oxya
cantha, prunis damascenis sacchar
conditis. Sed magis sedatur sitis fre
quentibus oris collutionibus, acini
mali punici, pulpa citriorum & au
rentiorum in talleolas diuisa, & ma
cerata in aqua rosarum, cum saccha
ro. Porrò in accessionum principij
æger ab omni potu prohibendus, n
longior fiat accessio; in vigore potiù
concedendus, maximè in primis fe
brium intermittentium accessionibus
Nam vbi illæ diuturnæ euadunt, ni
mio potu in longissimum tempu
producuntur: quàm parcissim
igitur in ijs bibendum, vt interim in
situs calor in crudorum humorum
qui longitudinis febrium caus

sunt, concoctionem incumbat.

DE SINGVLTV.

D. Singultus non rarò per febres accidit. Qua ex causa oriatur, & qua ratione curetur, exprime?

C. Singultus per febres aliàs à repletione, aliàs ab inanitione fit. Sæpè etiam à cæca quadam malignitate & pernicie. A repletione, vt cùm vitiosus humor mordax per venas in ventriculum effunditur, & in eius tunicas altiùs impingitur; vt accidit interdum in rigore & horrore febrium intermittentium, & in crisi continuarum. Ab inanitione, vt cùm exsiccatæ ventriculi tunicæ ab ardore febris in se cõtrahuntur. Interdũ etiã teter & malignus vapor, orificio vẽtriculi, & eius tunicis, altiùs insertus Singultũ creat, vt contingit in febribus pestilentibus, aut aliter malignis. Superuenit etiam hoc symptoma cerebri & iecoris inflammationi, ventriculo per sympathiam affecto. Sępè indesinenter vrget Singultus, quandóque per interualla repetit. Si Singultus fiat ab acribus & mordacibus humoribus, contentis in ventriculi tunicis, præscribatur eme-

Quibus ex causis Singultus oriatur.

Quibus remediis curetur.

ticum, si æger facilè vomat, aut blan da catharsis, vt ipsi reuellantur. Contemperantur etiam iis quæ acrimoniā eorum obtundere possunt; vt iusculis, ptisana, emulsionibus seminum 4. frigid. maior. cortice spoliatorum, in mortario marmoreo tritorum; sensim affundendo decoctum hordei, vel lactucæ aut portulacæ. Si ab inanitione, lethalis esse solet, vt cùm antegressæ sunt immodicæ vacuationes per hæmorrhagiam, alui profluuium, vomitus aut sudores. Iuuandus tamen æger iusculis, consummatis, expressionibus carnium, destillatis, restauratiuis & similibus. Si à venenata pernicie ventriculi orificio impacta, prætermissis & vomitoriis & purgationibus, oppugnetur illa solis alexiteriis, vt aqua theriacali, & cardui benedicti. Præterea sacculis comparatis ex rad. cyperi, calami aromatic. foliis siccis menthæ, sampsuci, absynthii, origani, calamenti, thymi, pulegii, melissæ, artemisiæ, seminibus anisi & fœniculi, in aqua vel vino rubro bullitis, pro fotu regionis ventriculi. A fotu illinatur oleo saluiæ, rorismarini,

menthæ, addito mithridatio. Qualiſcunque autem fuerit Singultus cauſa, ſi ille diutiùs perſeueret, iuuat cucurbitula cũ multa flamma regioni hepatis admota. Nam partes ventriculo ſuperpoſitæ ita ſuſpenduntur; & quãdiu ventriculum minùs comprimunt, minus vrget Singultus: & ob id erecto corpore minùs, quàm ſupino, Singultus infeſtat.

DE LVMBORVM DOLORE.

D. Lumborum dolor grauis febricitantes valdè infeſtat. Quibus ex cauſis excitetur, & quibus auxilijs leniatur, explana?

C. Lumborum dolor grauis interdum fit ex venæ cauæ diſtenſione, quam vapores è ſanguine calefacto geniti, vel humores qui febrem committunt, magnâ copiâ in venam cauam, maiorémque lumborum arteriam illabente, efficiunt. Hæc enim vaſa lumbis aſſidentia, ab ijs vaporibus vel humoribus diſtenta, lumbos comprimunt, vnde dolor maximus. Quòd ſi prædicti humores in ipſis vaſis ebulliant, renum dolores inquiete maxima comitatos ſuſcitabunt. Qui etiam interdum contingunt, cùm multa

Quibus ex cauſis excitetur lumborũ dolor.

Quibus remediis sedetur.

pinguedo renes circunstans à febrili calore incalescit. Ad sedandum Lumborum dolorem, adhibetur oxyrrhodinum ex aqua rosarum, oleo rosato & aceto paratum; vel oleum papaueris aut nymphеæ in aceto lotum, vel populeum, aut ceratum Gal. refrigerans, cum succo semperuiui & camphora. Fit & epithema ex aqua plantaginis, rosarum, aceto rosato & camphora. Intrò etiam sumuntur emulsiones seminum frigidorum major. amygdalata, hordeata; & Inijciuntur clysteres remollientes, refrigerantes & blandè purgantes.

DE HÆMORRHAGIA.

D. Explicatis febrium symptomatibus in actionum noxis, pergamus ad symptomata in excretorum & retentorum ametria.

Hæmorrhagia è naribus frequenter febricitantibus accidit. Quid in eius curatione animaduertendum?

Quid in Hæmorrhagia animaduertendum.

C. Animaduertendum an symptomatica vel critica sit Hæmorrhagia.

D. Quibus notis symptomatica, à critica distinguitur?

C. Symptomatica vi morbi superuenit

uenit, non critico die, nec antegressis pepasmi signis. Critica verò fit robore naturæ critico die, prægressis coctionis signis.

D. Quotuplex est?

C. Duplex: vna moderata, cùm natura sanguinis fluorem, cùm opus est, cohibet; altera immoderata, cùm eam sistere nequit. Quotuplex sit.

D. Nónne curatio eadem vtrique adhibenda?

C. Nequaquàm. Quæ enim moderata est, non reprimenda, sed sinenda. Immodica verò quàm primùm sistenda est?

D. Quibus auxilijs sistitur?

C. Sistitur topicis adstringentibus & refrigerantibus fronti admotis. Admouetur frontale ex sanguine draconis, bolo Armena, aceto, cum oui albumine subactis: vel applicatur fronti emplastrum ex mastiche, oleo myrtillorum soluta. Insufflatur etiam in narem puluis boli Armenæ & sanguinis draconis. Quin & penicillus ex pilis leporis, aut linteo discerpto paratus, vnguento desiccatiuo rubro circumlitus, in narem, à qua fluit san- Quibus auxiliis immodica Hæmorrhagia sistatur.

guis, inditur. Linteum in aceto frigidissimo maceratum, vtiliter tùm ceruici, tùm testibus imponitur; & cùm mora incaluerit, renouatur. Cucurbitula hypochondrijs affigitur. Epithema refrigerans hepati admouetur. Arcta vincula extremis partibus inijciuntur. Spina & lumbi vnguento albo refrigerante Gal. & muccagine seminis psyllij in aqua portulacæ extracta, illinuntur. Necnon & corallum collo appenditur.

DE SVDORE.

D. Sudor febribus tàm intermittentibus, quàm continuis, accidit. Declara quibus ex causis fiat, quibúsque signis bonus à malo internoscatur?

Quibus ex causis fiat Sudor.

C. Sudoris & vrinæ eadem est materia, nempè serosus humor, qui sanguinis erat vehiculum; vnde sudor si copiosior effundatur, vrina pauca redditur, & contrà. Efficiens causa est calor; non acer, qui siccandi facultate pollet, sed humidus per habitū diffusus, serosam materiã in vapores resoluens, qui ad superficiem corporis elati concrescunt, vnde sudor per cutē erũpit. Causa verò sine qua non, est cutis

raritas, & idonea hepatis & lienis constitutio, quibus in visceribus primam sudorum scaturiginem statuit Fernelius, hoc argumento ductus, quòd calido & humido iecore & liene præditi, quauis ex causa sudore diffluant: Iecoris verò & lienis sicca intemperie, obstructione & scirrho laborantes, nulla vi sudare queãt. Notæ boni vel mali sudoris in febribus sumuntur, à die quo erumpunt, à loco vnde prodeunt, ab eius qualitate, & ab effectis. Ex Hipp. enim dogmate: Sudores in acutis febribus, optimi sunt, si diebus criticis proueniant, antegressis pepasmi signis, & febrem prorsus auferant: boni etiam qui è toto corpore manant, morbúmque tolerabiliorem reddunt. Qui nihil horum effecerint, mali sunt. Pessimi verò sunt frigidi, & qui tantùm circa caput, faciem & ceruicem oriuntur. Isti enim mortem, vel morbi longitudinem portendunt.

Quibus signis bonus à malo discernatur.

D. Quid Sudoribus erumpentibus, ad salutem ægri procurandam, moliendum esse censes?

C. Sudores in febribus aliàs cohi-

beri, aliàs excitari debent.

D. *Quando & quomodo sistendi, & proritandi sint, apertiùs explices velim.*

Quando prouocādus sudor, & quo auxilio.

C. Si in febrium continuarum crisi, aut in fine accessionis intermittentium, Sudores parciùs erumpant, prouocandi sunt, non vestimentis, nec igneo calore, ne interim incendium exasperetur, sed attenuanti & sudorifica potione, qualis erit è vino albo, tenui, valdè aqua cardui benedicti diluto, & syrupo capilli veneris. Verùm in Sudoribus, modus quidam esse debet, vt & in omnibus reliquis euacuationibus; quæ si sint vberiores, metu nimiæ virium exolutionis tutò sistuntur. Modum verò indicabit pulsus, qui cùm incipit minui & languescere, immodicam esse arguit. Concidente ergo pulsu, Sudores arte supprimendi sunt. Ad sistendos sudores, illinuntur lumbi oleis rosato & mastichino in aceto lotis, vel cerato refrigerante Galeni, addita camphora. Adhibentur cordi & epithemata refrigerantia. Refrigeratur arte aër cubiculi. Dantur intrò adstringentia, quæ viscera corroborāt. Necnon & hordeata, qui-

Quando supprimendus, & quibus subsidiis.

bus semina 4. frigida fuerint admixta.

D. Post sudores, quid agendum?

C. Repurgandum erit corpus. Cùm enim tenuior tantùm portio putrescentium humorum euacuari possit per sudorem, etiámsi febris eo abundè profuso conquiescat, nisi tamen sumatur medicamentum, quod crassiores humores subtrahat; vel recidiua expectãda est, vel humore è venis maioribus in habitum corporis translato, aut scabies, aut furunculi, aut abscessus plures; aut si in aluum spontè irruit, diarrhœa; aut si inter membranas abdominis effundatur, ventris atrocissimi dolores superueniũt, quos cõsequitur artuũ paralysis. Post sudorem, quid moliendum.

DE NAVSEA ET VOMITV.

D. Nausea & vomitus febrem quandóque praecedunt, eam sæpiùs comitantur, præcipuè Pestilentem. Quæro ex te symptomatis vtriúsque definitionem, causam, curandíque rationem?

C. Nausea est irritus ventriculi conatus, quod sibi molestum est expellere nitentis. Vomitio verò est eorum quæ sunt in ventriculi capacitate sursum per os facta reiectio. Quid Nausea. Quid vomitio.

Vtriúsque causa.

Vtriúsque in febribus causa est vitiosus humor quilibet, vel in ventriculi capacitate innatans, vel in eiusdem tunicis firmiter inhærens: aut pestifera quædam qualitas orificio ventriculi impressa. Si fiat à vitiosis humoribus, ij sunt accommodatis catharticis euacuandi, aut etiam vomitorijs, si æger facilè vomat. Si frequentior sit vomitio; ad eam supprimendam, adhibetur litus ex oleis rosarum, absynthij vel myrtillorum. Admouetur emplastrum ex conserua rosarum, carne cydoniorum, puluere mastiches, absynthij, sampsuci, caryophylli, nucis moschatæ, corticis citrij sicci & similibus. Applicatur vulgò crusta panis tosta, in aceto vel vino generoso macerata, puluere mastiches, nucis moschatæ & caryophyll. conspersa. Si fiat ab aura pestilenti, hæc oppugnanda est cardiacis, tùm sumptis, tùm admotis, vt theriaca & mithridatio, aquis item theriacali, cardui benedicti, scabiosæ, pimpinellæ, morsus diaboli, & aliis id genus.

Quibus remediis molienda curatio.

DE ALVI FLVXV.

D. Alui fluor febricitantibus contingens, quomodo curatur?

C. Pro varietate causæ, varia postulat auxilia. Quomodo curetur alui fluxus.

Cœliacus quippè fluxus ab obstructione profectus, curatur aperiẽtibus, admixtis ad viscerum robur adstringentibus. Cœliacus.

Lientericus, siue ob retentricis imbecillitatem, ab acida pituita; siue ob expultricis iritationem ab acri bile ortus, deterso luxuriante humore, ac roborato ventriculo accommodatis pharmacis compescitur. Lientericus.

Dysentericus, detracta cacochymia intestina rodente, biliosa rheo, aliisque similibus cholagogis; pituitosa phlegmagogis, melancholica melanogogis reprimitur. Dysentericus.

Quemadmodum & diarrhœa intempestiua, à quolibet humore vitioso excitetur, sublata eius portione, propriâ catharsi, alacrior natura redditur ad reliqui concoctionem moliendam. Intempestiua autem est quæ febrium initio accidit. Tunc enim, cùm cruda sint omnia, vacuationes omnes non naturæ vi, sed morbi potiùs impetu, & turgentis humoris acrimonia naturam stimulante, adeò Quæ intempestiuæ Diarrhœæ curatio adhibenda.

Quòd tempestiuus alui fluor, sinendus, si moderatus fuerit.

symptomaticè fiunt. Verùm diarrhœa conuenienti tempore superueniens, nẽpe in fine cõtinuarũ febriũ, aut accessionũ febriũ intermittentiũ, apprimè vtilis est, si moderata fuerit. Itáque si febricitãtẽ occupet, alia vacuatione opus non est, *authore Galeno*, 1. *ad Glauconem*. Vbi quippè omnem corporis redundantiam vacuauit, ipsa per se sufficit. Timendum enim, si vena secetur, ne vires fluxu jam quadamtenus labefactatæ in totum pereant; aut si iam incitatus venter validioribus medicamentis moueatur, ne ita proritetur natura, vt postea eius impetus cohiberi nullo modo possit.

Quibus auxiliis sistendus alui fluor immodicus.

At si alui profluuium immodicum extiterit, protinùs sistendum est, adstringentibus enematis, vnguentis, aut emplastris eiusdem facultatis extrà adhibitis, stypticis intrò sumptis, necnon & hypnoticis. Somnus enim omnes euacuationes sedat, qualescũque fuerint, præter sudores, qui dormientibus copiosiores erumpunt, quàm vigilantibus.

DE ALVI ADSTRICTIONE.

D. Alui adstrictio febricitantibus fre-

quenter accidit. Quibus ex causis oriatur, & quibus auxiliis soluatur, ostende?

C. Alui adstrictio in febribus fit, vel ab obstructione meatus cholidochi, semper ictero comitata, ad cuius curationem aperientia ex vsu sunt: vel à calore immodico, à quo torrefiunt intestina, fæcésque exsiccatæ expulsioni magis resistunt. Tunc aluus soluitur, decocto prunorum dulcium & acidorum, clysteribus refrigerantibus, remollientibus, & blandè purgantibus, glandibus expultricem intestinorum vim proritantibus, purgationibus blandis è cassia recenter mundata, è diluto rhei, foliorúmque Oriētaliū cōparatis, & aliis id genus.

Quibus ex causis oriatur alui adstrictio.

Quibus subsidiis adstrictior aluus subducatur.

DE RIGORE, HORRORE, & Frigore.

D. Supersunt febrium symptomata in corporis qualitatibus immutatis consistentia, cuius generis sunt Rigor, Horror & Frigus. Quî inter se discrepent, quibus ex causis oriantur, quibúsque auxiliis sublevuentur, ostende?

C. Rigor, Horror & Frigus, sunt affectus sola magnitudine inter se differentes, ab iisdem causis prodeuntes,

Rigor, Horror, & Frigus, quo differant, & quo conueniant.

iisdémque remediis mitigari postulantes. In febribus intermittentibus non nisi initio accessionis infestant: sed Rigor in continuis febribus non nisi in declinatione totius morbi oritur, naturâ biliosum humorem intra venas maiores conclusum in capillares, & ex his intra carnem & cutem deponête, quam exquisito sensu prædītam cùm acriter pungit & vellicat, fit molestissimus doloris sensus, & statim Rigor vehemens consequitur, neruosis partibus, ad id quod molestum est expellendum, se contrahentibus, & simul calore & spiritu influentibus, intrò in cor raptis.

Quibus ex causis oriantur.

Obiectio.

D. Contrà. In doloribus humores ad partem affectam confluere solent. At per Rigorem externus corporis habitus dolore afficitur. Cur ergo spiritus & sanguis ad interiora refunditur?

Solutio.

C. Id ex dolorum discrimine contingit. Mediocris quippè dolor, humores ad se attrahit: sed magnus & repentinus, ad cor vsque peruenit, quod dolens maximam sanguinis & spiritus partem ad se reuocat.

D. Profer auxilia intermittentium fe-

brium Rigori, Horrori, Frigorívesedando conuenientia?

C. Ante paroxysmum, si vires ferant, æger corpus vehementer ad sudorem vsque exerçeat: vel duabus, tribúsve horis ante accessionem, lectum petat, ac pluribus vestimentis cooperiatur, calentibus linteis inuolutus. Quòd si nec sic quidem prohibeatur Rigor, Horror, vel Frigus, admoueantur plantis pedum lapides candentes vino extincti, aut lagenæ aqua calente plenæ, vt quàm citissimè fieri poterit, corpus incalescat. Sunt qui rigente corpore extremas partes oleo anethino, irino, rutaceo vel laurino perfricant. Sed quia grauis est vnctionis vsus, satiùs erit lintea in aqua vitæ tepida macerare, & expressa extremitatibus applicare: vel hypochondriis & hypogastrio, vnde rigor procedit, admouere sacculos ex radicibus enulę campanæ, cyperi, calami aromatici, foliis mēthæ, saluiæ, ruthæ, absynthii, pulegii, origani, calaminti; seminibus anisi, fœniculi, cumini; floribus chamæmeli, meliloti, & similibus in vino albo coctis comparatos, quibus non

Quibus auxiliis intermittentium febrium Rigor, Horror & Frigus mitigentur.

modò Horror discutitur, sed & viscerum obstructio soluitur.

D. Eadémne remedia Rigori continuis febribus contingenti adhibenda?

Cur Rigor continuis febribus superueniens non sit cohibendus.

C. Nequaquam. Quamuis enim discruciet ægrum; si die critico, antegressis pepasmi signis, contingat, non est cohibendus. Quia hunc sudor, aut vomitus, vel alui fluor biliosus, ac protinus ardentis febris solutio sequitur, teste Hippocrate, *Aph.* 58. l. 4.

DE ÆSTV.

D. Rigori, Horrori, Frigorive discusso succedit Æstus. Quid infestante Æstu moliendum?

Quomodo contemperandus Æstus.

C. Vbi febrilis calor quoquouersum accensus erit, semel atque iterum porrigenda ægrotanti ptisana, cui syrupus imprimis violatus, vel è limonibus, fuerit admixtus, ad ingentem feruorem contemperandum, ac inexhaustam sitim extinguendam; ac demùm capillaris, ad sudorem promouendum. Eodem tempore minuenda integumenta sunt, omniáque calorifica remouenda, ne maximo intus ardore concepto sæuior euadat accessio.

METHODVS







EXAMEN I.

BACCALAVREORVM, AD MEDENDI LICENTIAM consequendam.

DECANVS.

Baronis acutè febricitantis historiam Baccalaureo proponit.



Obilis adolescens habitu mediocriter carnoso, temperamento calido & humido, liberaliori victu vsus, consueta exercitatione neglecta, mense Majo per plures dies indesinenter laborauit. Facies ægrotantis rubore perfusa videbatur, caput dolebat, mente tamen constabat, sed profundo somno premebatur, tensi-

tua lassitudo valdè molesta erat, lipothymia frequens, crebrior respiratio, pulsus fortis, velox & inæqualis, anorexia, sitis ingens, vrinæ crassæ, rubræ & turbidæ, deiectiones non ita procul à naturæ modo aberant, calor tactu mordax tangentis sensum acriter feriebat.

Ex his symptomatibus, morbi diagnosim & prognosim erue, ac subinde therapiam aggredere.

BACCALAVREVS.

Ad penitiorem diagnosim enucleandam, Quæ sit affecta sedes indicat.

Ex actionibus læsis cor per se, ac per consensum omnes corporis partes laborare cõstat. Capitis dolor, rubicũda facies, profundior somnus, partes animales: lipothymia frequens, crebrior respiratio, pulsus velox & inæqualis, partes vitales: anorexia, sitis & vrina à naturali longè recedens, partes naturales præter naturam affici indicant.

Quæ morbi species.

Morbi ſpecies: Febris erat, vt ex pulſu & calore præter naturam conſtat: eáque continua, quia aſſiduò fatigabat ſine vlla remiſſione; non ſimplex, quidem, ſed Synochus putris nuncupata, vt calor acer, & vrinæ craſſæ, rubræ ac turbidæ teſtantur.

Quæ efficiens morbi cauſa.

Cauſa morbi plethora eſt, à ſanguinis vbertate profecta, cuius antecedentia ſigna ſunt temperamentum calidum & humidum, ætas adoleſcens, vernum tempus, liberalior victus, ac conſueta exercitatio neglecta: conſequentia verò; faciei color ſupra conſuetudinem rubicundus, diſtendens laſſitudo ſpontanea, habitus εὔσαρκος, capitis dolor ob vaporum in cerebrum meantium copiam; ſomnus profundus, pulſus plenus ac reſpiratio crebrior. Synochus igitur à copia ſanguinis in vaſis maioribus putreſcentis excitata eſt. Quòd enim putrida ſit, ex eò conſtat, quòd calor acriùs contactum feriat, quàm ſimplex Synochus; pulſúſque non ſolùm vehe-

mens & frequens, verumetiam inæqualis percipiatur, ac vrina crassa, rubra, & turbida conspiciatur.

Qualis futurus sit morbus, è præsentibus indicijs prænuntiat.

Hic morbus quamuis è genere acutorum sit, quorum salus non debet nisi dubia promitti, Hippocratis decreto; augurari tamen licet, quod salutaris erit, si Medico Antagonistæ, Æger se strenuum præstiterit Synagonistem. Præsentia futuræ salutis signa ducuntur à viribus validis, ab habitu eusarco, ab ætate increscente, à tempore verno, à morbo naturæ, habitui, ætati & tempori consentaneo, & à principum functionum incolumitate; vtpote à mentis constantia, à pulsu forti, & à deiectionibus naturalibus.

Curandi indicationes vnde ducantur, & quibus remediorum generibus curationis scopi comparentur, explicat.

Curandi indicationes duæ sunt;

prima sumitur à causa morbi, altera ab ipso morbo. Vnde in Synochi curatione duplex proponitur scopus: primus in plethora febris causa demenda, alter in calore febrili alterando. Ad vtrumque pertingendum duo præstantissima traduntur à Galeno remedia; sanguinis missio, & aquæ liberalior potio. Necessaria quippè φλεβοτομία, ad febris causam tollēdam, internum incendium extinguendum, sanguinem ebullientem à putredine vindicandum, inuadentem putredinem arcendam. Liberalis ψυχροποσία magnoperè item commendatur à Galeno, quia largo frigidæ potu calor igneus extinguitur, ac solidæ partes adeò roborantur, vt inutiles humores per aluum, vel per vrinas aut per sudores protinùs excernant. Alijs etiam remedijs feruorem sanguinis temperantibus oppugnari debet Synochus, vt iulepis & apozematis refrigerantibus & humectantibus, epithematis hepatis regioni adhibitis, atque frontalibus fronti & temporibus admotis. Hæc mea est de propositi morbi dignotione, prænotione & curatio-

ne sententia, Præceptor obseruande.

DOCTOR II.

Præsulis Hemicraniâ laborantis historiam Baccalaureo proponit.

ECclesiasticus vir, pietate & doctrina insignis, temperamento calidus & siccus, trigesimo ætatis anno; per interualla, capitis dolore tentatur, dextram potissimùm partem occupante; & à cerebro ad oculi dextri radicem pertingente, integrum diem durante, ita interdum sæuiente, vt nec lucem, nec clamorem, nec odorem, nec vini potionem laborans ferre queat: quin & tactu sic exacerbatur, vt ne capillos inuerti sinat; adeóque contumax malum, vt aliquot abhinc annis perseueret, licet ęgrotans multa expertus sit remedia; vt cui vena sæpiùs secta, pluráque pharmaca exhibita.

Simul ac morbi diagnosim atque prognosim patefeceris, si qua curationis spes reliqua tibi videatur, quo pacto molienda sit, aperi.

BACCALAVREVS.

Ad Pathematis diagnosim explanandam, Quæ pars affecta sit, demonstrat.

CApitis dolor membranis inhæret intra vel extra craniũ sitis. At qui laborantẽ excruciat, non externus dũtaxat, sed & internus videtur. Nam & pericranium dolore affici constat, quòd manus contactum haud facilè ferat: necnon & crassam, tenuémque meningem, quòd ad oculi radicem vsque, dolor pertingat. Cùm verò caput per consensum subditarum partiũ diutiùs laborauerit, procul dubiò proprium inde affectum contraxit, atque ex sympathia tandem idiopathia emersit.

Quis affectus.

Hemicrania Græcis dicitur hoc pathema, quòd in dimidia capitis parte consistat. Morbus, quem Hemicrania sequitur, non modò intemperies ca-

lida est, verumetiam solutio continui, dum partes affectæ discinduntur & mordentur.

Quæ causa.

Causa est biliosorum, vaporúmque acrium copia, qui in paroxysmo à calidiori iecore sursum repunt. Præterea capitis imbecillitas, à diuturnis meditationibus, ac flagrantibus literarum studijs contracta. Vnde id facilè recipit, & ægrè repellit excrementa.

Exitus Prognosim persequitur.

Hic affectus cùm iãdiu radices egerit, nec vllis hactenus auxiliis cesserit, solutu quidem difficilis est; nequaquã tamen desperatus videtur, in hac præsertim florida ætate. Sed metus est, quamprimùm subleuetur atrox ille capitis dolor, ne alium grauem affectum, vt epilepsiam, aut apoplexiam, vel paralysim accersat.

Quocirca illius curationi diligenter incumbendum.

Medendi methodum aggreditur.

Medendi ſcopus duplex, vnus therapeuticus, in præſenti exacerbatione ſedanda conſiſtens, alter prophylacticus in futuro paroxyſmo prohibendo, ſublata ſymptomatis cauſa.

Ad præſentis doloris acerbitatem mitigandam, ſtatim clyſter acriuſculus eſt iniiciendus, leuéſque cucurbitulæ, frictiones & ligaturæ infernis partibus adhibendæ, ad turgentem materiam à capite auertendam. Mox roborantia anodyna parti dolenti admouenda, quale eſt medicamentum ex oleo roſato, aceto, ſemine papaueris, & hederæ corymbis comparatum. In eumdem finem verbenaca viridis & ſicca in oleo roſato & aceto cocta conueniet. Si ſæuiſſimus vrgeat dolor, pulueris opij torrefacti ℈.j. miſceatur cum lactis ℥. vj. quibus imbutum linteolum tepidè loco affecto applicetur, deinde ad diſcutiēdam materiam in capite derelictam, pars oleo irino, aut ſampſucino, aut rutaceo, inungatur.

Abstineat æger à cibo, ab accessionis principio ad declinationē vsque, quo tempore iusculum pulli, buglosso, borragine, lactuca, portulaca & oxalide alteratum, aut hordei cremorem, aut panatellam sumat, ptisanámque propinet, si siti prematur.

Hæc in paroxysmo facienda. Ad præcautionem verò, morbificus humor à capite & reliquo corpore reuellendus & euacuandus, pars affecta roboranda, hepar aliáque viscera cōtemperanda. Ad aluum clementer subducendam, paranda erit catapotiorum massa, ex aloë in aquæ cichorii sæpius lota, rhabarbari, scammonii & colocynthidis ecchylomate, cum tartari cremore, ex cuius ℈.j. duæ fingantur pilulę bracteolis auri coopertæ, per horam ante cibum singulis hebdomadis, hyeme & autumno deglutiendæ. Aliis anni temporibus syrupus catharticus ex decocto hepatico & cephalico, ac cholagogis & phlegmagogis cōparatus erit ex vsu, singulis saltem mensibus. Sudores aliquando prouocentur, decocto cardui benedicti in aqua hordei facto. Ineun-

te Vere ſanguis iterum mittatur è cephalica dextra. Vena item frontis aperiatur. Pyroticum occipitio inuratur. Matutinis horis ſternutamenta moueat per radiculam elebori nigri in dextram narem immiſſam. Errhinis & maſticatoriis cerebrum expurgatur.

Ad capitis robur Paulus cataplaſma conficit ex radicibus cucumeris agreſtis & abſynthio in hydræleo coctis, donec liqueſcant, quod parti dolenti apponit, abraſis priùs capillis. Nonnulli Cornelij Celſi conſilio, caput aqua frigida perfundunt. Ad iecur calidius contemperandum, aqua Spadenſis, vel Puguenſis, vel Forgenſis, aut Chenenſis apprimè vtilis eſt.

Idonea interim victus ratio inſtituatur, cibus ſit euchymus & refrigeſans, vinum oligophorum abundè dilutum.

Abſtineat à piperatis, ſalſis & acribus edulijs. Vitet inediam, iram & alios vehementes animi impetus, Solis ardorem, ac Lunæ ſplendorem, corpúſque mediocriter exerceat.

DOCTOR III.

Matrona paralysi & catarrho conflictata historiam Baccalaureo proponit.

MAtrona sexagenaria à quatuor annis brachij, crurísque sinistri motu priuatur; tenui insuper ad thoracem destillatione conflictatur, quæ spirandi difficultatem adfert. Varia remediorum genera & purgantia & alterantia hactenus præscripta sunt, sed irrita fuerunt omnia.

Præsentium diagnosi, ac futurorum prognosi accuratè perpensa, si sit adhuc aliquis curationi locus, qua ratione tentanda sit, explora.

BACCALAVREVS.

Præsentium pathematôn diagnosim pandit.

DVplex præter naturam affectus Ægrotantem exercet, Paralysis dimidij corporis, quæ aliàs Hemiplegia dicitur, & Catarrhus in thoracem.

Ac

Ac proinde duplices affectæ partes, artus, atque pulmones. Illos quippè ex motus læsione, hos ex spirandi difficultate laborare constat;non quidem per se, sed per consensum. Ob cerebri frigidam, humidámque intemperiem. Vnde pituita tenuis ad pulmones transmissa dyspnœam parit: ad spinam verò Paralysim, à qua brachij, crurísque motus impeditur.

Nec enim credibile est Paralysim à pituita crassa neruos obstruente, vt nonnulli censent, creatam esse, sed ea potiùs attenuata atque liquefacta neruos madefaciente.

A diagnosi ad Prognosim transit.

Vtrúmque malum cùm inueteratum iam sit,& valdè contumax,in hac prouecta ætate radicitùs euelli nequit.

Sed summoperè enitendum, ne in dies augeatur, neque Apoplexiam vel Asthma immedicabile tandem inducat.

Therapiam demùm tentat.

Ad tentandam vtriúsque Pathema-

tis curationem, multi proponuntur scopi, materia peccans præparata à tota corpore euacuanda, peculiariter à cerebro & pulmone educenda, quæ neruis impacta est, discutienda, excalfaciendi & corroborandi nerui. Ad hæc omnia prçstanda exquisita in primis victus ratio instituenda. Ad superuacanei humoris præparationem, oxymel simplex & scylliticum singulis matutinis ad tria cochlearia per aliquot dies datum, profuturum est. Ad euacuationem totius corporis, bolus ex cassiæ recenter extractæ ℥.j. zalapi subtiliter puluerati ʒ. j. & cremoris tartari ℈.j. constans, exhibeatur manè, duabus horis ante iusculum.

Duas deinceps, trés-ve pilulas ex hiera semel in hebdomade, vnâ horâ ante cœnam deglutiat. Ad aluum clementer subducendam, in frequenti vsu habeat pomum elleboratum, hoc modo paratum: ℞. radicum ellebori nigri in vmbra siccati ʒ.j. infigantur in pomum charta madida inuolutum, sensim coquatur tota nocte sub cineribus, manè adiiciantur radices, mundetur pomum, & cum saccharo come-

dat per tres horas ante cibum. Ad peculiaré capitis & pulmonum expurgationem, puluis Nicotianæ ſiccæ, parua quantitate, ter vel quater per nares manè attrahatur: vel fumus eius excipiatur, ad pituitam è capite & pulmonibus educendam. Ad obſtructos pulmones expediendos, frequenti ſyruporum bechicorum, & apozematum pectoralium vſu procuretur anacatharſis. Ad diſſipandam materiam in neruis contentam, decoctum hidroticum è radice Chynæ, ſarza parilla, imò & ligno ſancto confectum, maximè conueniet. Vt & oleum ſuccini albi arte Chymica paratum, ad guttas aliquot cum aqua pæoniæ exhibitum; ac ceruici & ſpinæ extrinſecùs adhibitum. Spina inſuper & artus, oleo terebinthinæ, ceræ, coſtino, laurino, aut vulpino illinantur. Verno tempore, ſi defluxio in pulmones aliquantiſper ſubſtiterit, ad thermas Plumberias mittatur, nullum his balneis præſentius ad Paralyſim remedium reperiet. Interea pyroticum occipitio inurendum. Cucurbitulæ per interualla vertici capitis, prope ſpi-

nam, brachiis & cruribus admoueri possunt. Sed de missione sanguinis ne cogitandum quidem, cuius euacuatione corpus magis refrigeratur.

DOCTOR IV.

Virginis Cachecticæ historiam Baccalaureo proponit.

FOrmosa virgo, vigesimum annum agens, naturâ benè temperata, sed iamdiu intemperanter viuens, ac vitiosa salubribus alimenta pręferens, non (vt antea) viuido colore florescens, sed pallido squalida conspicitur; nec eius corpus (vt olim) prōptum & alacre, sed graue atque iners animaduertitur, menses antehac profusi, nunc parciùs fluunt, lenta tenetur febricula, respiratio læditur, appetentia deiicitur, spontanea lassitudo sentitur, hypochondriū sinistrū tensū ac subdurū deprehenditur.

Hac generosæ virginis symptomata tibi significo, quibus Affectus speciem, sedem, ac causam dignoscas, eiúsque euentum præsagias, vt curationem demùm instituas.

BACCALAVREVS.

Opertam morbi diagnoſim recludit.

AFfectus generoſæ Virginis, Icterus albus à quibuſdam appellatur. Cachexia eſt pituitoſa, quam venarum meſaraïcarum obſtructio peperit, ex ſanguine craſſo, qui ſingulis menſibus non ſatis ſupérque, vt conſueuerat, per vterum expurgatus, ad lienem recurrit. Ideò ipſum primò affectum eſſe, hypochondrii ſiniſtri tenſio & durities indicant: cui cōſentit non modò ventriculus, euchymos inde cibos faſtidiens; ſed etiam iecur, frigidam intemperiem contrahens, quia calor innatus obruitur.

Vnde color pallidus ex albo mixtus in facie apparet. Adeſt nihilominus febricula, quia ob impeditam trãſpirationem, humor licet frigidus putredinem concipit. Reſpirandi difficultas accidit, quia muſculi thoracis ex ſanguinis copia pigri ſunt.

Vnde reſpiratio quidem frequentior ob vſum, ſed minor, quoniam ar-

ctatur interna thoracis capacitas. Tensiua lassitudo sentitur, in qua & corpus & artus omnes ægriùs præ pondere mouentur; quia turgentes præ copia sanguinis venæ maiores, se in minores exonerant; vnde musculosas carnes impleri, distendíque contingit.

Causa mali procathartica, fuit improba victus ratio, ex crassis viscidísque alimentis: antecedens verò plenitudo sanguinis fæculenti emphraxim potissimùm in liene facientis, & vasorum hystericorum angustia.

Euentum prædicit.

Cachexia hæc pituitosa, quâ virginis nitor squalet, viuidíque coloris flos perit, leucophlegmatiam minatur. Ac licet corporea moles plenior videatur, non minus tamen periculum diathesis eiusmodi portendit, quàm Atrophia, in qua extenuatum corpus sensim contabescit: quia in vtráque corporis, viriúmq; robur elãguescit; in hoc quòd nulla prorsus, in illa quòd vitiosa sit nutritio.

Curationem instituit.

Curationis scopi sunt lienis, iecoris, totiúsque mesenterii obstructiones soluere, ac vna eadémque opera menses parciores prouocare. Sed quia obstructiones fiunt ob plenitudinem, crassitiem & lentorem humorum, plenitudo in primis demenda, dein ad ea, quæ aperiunt, attenuant & incidunt, veniendum, vt docet *Gal.* 8. *Meth.* Eductis igitur crassioribus è prima corporis regione excrementis, bolo ex cassiæ recenter extractæ ℥. j. cum hieræ picræ ʒ. j. mittendus erit sanguis pro viribus è basilica sinistra; & instante menstruorum tempore, è saphena sinistra. Euacuato corpore, ad ea transeundum erit quæ aperiendi vim habent, inter quæ oxymel simplex commendatur; quod fortius fiet, si in decocto radicum cichorij & filicis, foliorúmque calaminthæ, pulegij, thymi & hyssopi exhibeatur. Alternis vicibus purgandus humor superuacaneus, diluto ʒ.j.rhabarbari, ℈.ij.agarici, ʒ.ß.salis tartari, cum decocto ʒ. ij.

fol. Oriental. addita syrupi rosarum pallidarum ℥. j. Quin & vomitus quandóque prouocandus, data Ferneliani emetici ʒ. j. cum iure pulli.

Ad attenuandos insuper, incidendósque humores crassos & lentos, & aperiendas simul obstructiones, decoctum corticis radicum capparis & tamaricis, foliorúmque scolopendrij & agrimoniæ, in quo trochisci de capparibus dissoluantur per aliquot dies exhibendum. Spadensiũ deinceps aquarum vsus, 20. dierum spatio, valdè profuturus est, ad viscerum soluẽdas emphraxes, pristinámque temperiem restituendam. Extrinsecus adhibendus erit fotus circa hypochondrium sinistrum, ex vino, aceto & oleo capparum. Parãdũmque hoc linimẽtum: ℞. olei de capparibus ℥. j. medullæ crurum vituli, pinguedinis anseris, ammoniaci aceto dissoluti an. ʒ. ij. aceti ʒ. j. ceræ q. s. fiat linimentum; quo, post fotum, inungatur lienis regio. Ægrotans interim, quæ nimioperè hactenus genio indulsit, salubrem victus rationem diligenter obseruet, ex cibis euchymis & eupeptis, crassáque & corru-

ptibilia edulia aſpernetur: pro potu, vino moderatè vtatur, aut hydromelite dilutiſſimo; immodicum & intempeſtiuum aquæ, vt & crudorum fructuum vſum fugiat. Quòd ſi malum præfatis non cedat auxiliis, accuratâ etiam viuendi lege obſeruatâ, ad vſum chalybis pergendum erit: quod præſtantiſſimum eſt omnium remediorum, ad aperiendas omnes viſcerum obſtructiones, ſi rectè adminiſtretur.

D. Nouiſſimi huiuſce remedii qualitatem, quantitatem, vtendi modum & tempus, ex te audire cupio.

B. Chalybs nihil aliud eſt, quàm ferrum expurgatum, cuius puluis, ad vomitum ciendum, & viſcerum infarctus expediendos efficaciſſimus experientia comperitur, quia mordacitatem quandam habet. Quibuſdam hac vi præditus videtur, propter ſulphur & mercurium, quorum particeps admodum ferrum eſt, cùm ſit metallum valdè impurum.

Ob eam participationem, chalybis puluerem abſtergendi, repurgandi & obſtructos meatus aperiendi faculta-

te dotatum censent. Sed si priuetur suo sulphure & mercurio per multiplicem ignis admotionem, & ablutionem,(qua ratione fit Crocus Martis;)tunc adstringendi vim habere cõtendunt. Idcircò solam ferri limaturam,nulla vstione & ablutione alteratam exhibent, eámque Croco Martis efficaciorem,tutiorem & conuenientiorem fœdis virginum coloribus delendis asserunt.

Alij non nisi pręparatum pręscribunt chalybem, qui tum Croci Martis nomẽ sortitur:partim à ferro,quod Marti tribuitur;partim à colore, qui crocum ementitur.

Duæ præ cæteris vsitatæ Croci Martis præparationes extant : vna Pharmacopœis familiaris,qui scobem chalybis semel atque iterum, vel etiã pluries in crucibulo vrunt, & toties abluunt,partim in aceto, partim in aqua rosacea, aut aqua cichorij, vel oxalidis; nonnunquam in vino, vel aqua vitæ, aut alio liquore idoneo; postea exsiccant, efficiúntque puluerem subrussum,& ponderosum,quem præparatum chalybem nuncupant.

Altera Chymiatris peculiaris, qui puluerem ipsum ex se grauissimum arte sua volatilem efficiunt. Primùm quidem limaturam chalybis, aut ferri assumunt; in igne reuerberij diem vnum aut alterum adurunt; deinde vbi amouerint, in aquam coniiciunt; quod supernatat assumunt, & seruant: tum abiecta aqua, quod in fundo remansit, denuò ad ignem reuerberatorium iniiciunt, adurúntque vt priùs, & postea in aquam demittunt, vt suprà; cui, quod supernatat, seruāt. Et si quid eius fundum petierit, rursus cremant, donec aquæ demissum non subsidat, sed in ipsius superficie maneat, quod tandem colligendum, siccandum, & seruandum pro Croco Martis optimo.

Aliquando etiam sulphure præparatur, in hunc modum:

Lamina chalybis vel ferri in fornace ardente primùm ignescit, deinde apponitur sulphur, quod ipsum liquat in guttas, quæ deorsum in vas subditum cadunt; postea mundatur à sulphure, ac tunditur in puluerem. Sic præparatus chalybs maiorem vim

habet penetrandi.

Rasura chalybis quandoque in pulverem tenuissimum redigitur, ad iecoris oppilationes: nonnunquàm datur non comminuta, aut vehementer trita, vbi obstructiones sunt in primis vijs, aut in liene.

Puluis chalybis sæpè cum alijs pulveribus aperientibus & cardiacis pro iudicio Medici præscriptis mistus exhibetur, hoc modo:

℞. scobis chalybis præparatæ ℥. ß. specierum diarrhodôn Abbatis, & aromatic. rosati, ana ℈. ij. seminis anisi & cinnamomi ana ℈. j. sacchari rosat. ℥. iiij. fiat omnium puluis subtilissimus. Capiat cochlear vnum, quotidie mane, per tres horas ante cibum, vel dissoluatur in vino generoso. Interdum solidi aut mollis electuarij forma datur, hoc modo:

℞. limaturæ chalybis præparatæ ℥. ß. cinnamomi ʒ. j. sacchari in aqua rosarum soluti ℥. iiij. fiant tabellæ pondere ʒ. ij. Capiat quotidie manè vnam.

℞. rasuræ chalybis cum vino præparatæ ℥. ß. specierũ diarrhodôn Ab-

batis. ʒ. ij. conſeruæ roſar. & bugloſſi. ana ℥. ij. miſce, fiat Opiata, qua vtatur ſingulis matutinis, ad magnitudinem caſtaneæ, per tres horas ante cibum.

Aliquando chalybis ſcobi, ad aluum pariter ſubducendam, cathartica adduntur: plerúmque ſplenica, hyſterica, aliáve partibus affectis conuenientia permiſcentur; ex quibus bolus, vel catapotia fiunt, hoc modo:

℞. præſcriptæ confectionis è chalybe ʒ. iij. pulu. rhabarb. & zalapi. ana. ʒ. ß. miſce, fiat bolus.

℞. limaturæ chalybis præparatæ ℥. ß. extracti chelidonii ʒ. ij. myrrhę, croci, cinnamomi, an. ʒ. ß. caſtorij. ℈. j. cum ſyrupo de artemiſ. fiat maſſa, ex cuius ℈. j. formentur tres pilulæ, ſingulis matutinis deglutiendæ.

Sumpta chalybis ſcobe, exerceat corpus per horam ſaltem.

Exercitium ſiquidem deducit medicamentum & diſtribuit in venas.

Poſt exercitium ingrediatur lectū, ac ſudet, ſi fieri poteſt.

Huius medicamenti vſus per 15. aut 20. dies continuandus.

Si menstrua tamen erumpant, supersedendum.

Attenuans interim victus ratio decernenda.

Tempestiuus rasuræ chalybis vsus est, vbi præparati fuerint humores, & corpus satis vacuatum.



EXAMEN II.

BACCALAVREORVM, AD IMPETRANDAM MEDENDI Licentiam.

DECANVS.

RECENTEM DE ABSCESSV in Mesenterio historiam postridie Baccalaureo recenset.



GENEROSVS iuuenis, temperamento calido & humido, habitu gracili, citra Hydropis suspicionem, duro quodam ventris tumore, non ita pridem tentatus est, qui non nisi pressu dolorem inferebat, sed sua mole intestina premens atque coarctans, alui deiectionem remorabatur; nec

rubor, nec calor præter naturam extrinsecus conspiciebatur, grauitatis sensus duntaxat altè percipiebatur: febris admodum leuis & lenta, sine siti, sine grauibus symptomatis comitabatur, nec omnino ægrum prosternens, nec quotidianas functiones interpellans. Principio sanies quædam rubra, ac tandem pus album magna copia defluxit ab aluo, non permistum alui fæcibus, sed seorsum & syncerum. *Perdocte Baccalauree, ex hac symptomatum recensione, morbi diagnosim & prognosim deprome, quaque curatio tibi videatur idonea protinùs expone?*

BACCALAVREVS

Morbi diagnosim patefacit.

TVmor præter naturam qui ingenuum iuuenem exercuit, exquisita Phlegmone erat in mesenterio genita sanguine è venis mesaraïcis ruptis aut exesis in hanc partem effuso, qui tandem suppurans Abscessum fecit ad postrema intestina vergẽtem. Quo rupto pus per venam proximam

in recti aut coli inteſtini capacitatem influxit. Nec enim muſculis abdominis inſiſtebat Phlegmone, quoniam epigaſtrium rubore, calore, dolore etiam citra preſſum fuiſſet affectum; quòd pars ea ſenſu prædita ſit. Nec adipis copiâ venter prominebat, quia reliquus corporis habitus obeſior extitiſſet. Sed non aliunde ſyncerum pus, quàm ab affecto meſenterio dimanare potuit. Neque enim ab inflãmatis inteſtinis, neque à vẽtriculo poteſt ſine vehementi dolore prodire. Ex iecoris verò aut ex lienis inflãmatione, febris vehementior affligit, omnia ſymptomata fiunt grauiſſima. Neque tam ſyncera ſanies ſeorſum ob longiorem viæ tractum exit. Renes etiam affecti non illac, ſed per vrinas repurgantur. Itaque vnum meſenterium reliquum eſt in abdominis capacitate, quòd inflammatione in abſceſſum degenerata corripi potuerit. Neque id quidem mirum, cùm doctiſſimus Fernelius, choleræ, melancholiæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum errantiúmque febrium, latentium denique.

morborum causas in mesenterio animaduertisse profiteatur: quia tãta sępè superuacuorum est humorum colluuies, vt destinatis à natura receptaculis tota excipi haud possit. Ac tum non parua superfluentis portio in vicinas quoque sedes illabitur, maximè in pancreas & in mesenterium, quæ totius corporis veluti sentina sunt. Quibus ergo assidua ingluuie magnus fit vtriúsque bilis & pituitæ prouentus, eas tempestiuè non expurgatas natura valens ac robusta plerúnque in pancreas & in mesenterium ignobiles sedes deponit, ídque ferè è iecore, & è liene per eos venæ portæ ramos, qui non in intestina, sed in ipsum mesenterium & pancreas desinunt, & obliterantur.

Prognosim auguratur.

Quod ad prognosim attinet, haud arduum ab initio præsagire salutarem fore morbum, quia inflammatio sine manifesto dolore erat, solúmque grauitatis sensum habebat, nisi cùm vehementiùs premebatur; nec febris

acuta, sæuis stipata symptomatis. Non me terret historia Beniuenij, *cap. 33. de abditis morborum causis*, iuuenem quendam, nomine Iulianum, diris alui torminibus diu vexatum, tandem ex abscessu mesenterij mortuum enarrantis, in quo materia multa nigrior, fœténsque reperta est, encausto sutorio similis. Atra quippè bilis eò confluens huiusmodi abscessum effecerat. Nec me latet hunc affectum quandóque πολυχρόνιον esse. Dodonæus enim quandam nouit inflammatione mesenterij in abscessum conuersa tentatam, quæ singulis diebus per anum, bis, térve purulenta admodum fœtida, syncera, nullísque excrementis permixta, quatuor annorum spatio reddidit.

Curationem suscipit.

Ad durum mesenterij tumorem sine inflammatione curandum, frequens purgatio conuenit, sub potionis, apozematis ac syrupi formâ, in quibus folia Orientalia, rheum & agaricum infundantur. Clysteres etiam

remolliētes & detergentes inijciendi. Fotibus insuper, oleīs, cataplasmatis malacticis, balneis aquæ tepidæ, vt & enematis ex decocto omasorum, capitis veruecis & vituli, sępè repetitis remolliendus est ille tumor. At cùm phlegmone eam partem occupat, præter præfata remedia, secanda basilica dextra, bis, ter, quater, si opus sit. Quòd si resolui nequeat, cataplasmatis suppurantibus pus promouendum. Cùm autem rupto abscessu per anum vacuatur, iuuanda natura est clysmis tergentibus & putredinem inhibentibus, ex decocto hordei integri, agrimoniæ, absynthij, centaurij minoris, terebinthina, melle rosato. Sed his adiungenda sunt cardiaca, vt muniātur partes nobiles. Nam facilè tetris vaporibus inde sublatis offenduntur. Aquæ præterea Spadanę aut Puganæ ad eluendas mesenterii illuuies apprimè conferunt.

DOCTOR II.

DE CRVENTA VOMITIONE & deiectione historiam refert Baccalaureo.

SPECTATISSIMO cuidam viro, plethorico, floridæ ætatis, in otio desidi, opiparis epulis victitanti, vomitio simul & deiectio sanguinis cócreti & picis instar nigri repentè contigit. Conquerebatur antea de ventriculi dolore & hypochondrii sinistri tensione. *D. Baccalauree, Symptomatis huiusce causam exponas, euentum prædicas, & summa curationis capita perstringas velim.*

BACCALAVREVS

Suam de proposito affectu sententiam ostendit.

SAnguis ater & grumosus, qui egregio viro per superiora & inferiora erupit, à splene per eas venas, quas ha-

bet cũ ventriculo communes, fluxisse videtur. Meam opinionem confirmat tensionis sensus in hypochondrio sinistro, cum dolore ventriculi. Sanguis quippè melancholicus sub præcordijs fluctuans, cùm ob lienis obstructionem, ab eo recipi non possit, hinc inde in ramos venæ portæ remeat; sícque venas quæ ad ventriculum & intestina feruntur repleuit, vt earum tunicæ prçter modum distentæ fuerint reseratæ. Vnde superfluus sanguis exiliens, tenuior quidem in ventriculum effusus, vomitu reijcitur; crassior verò intestina de lapsus per aluum detruditur. Hic affectus hæmateria dysenteria impropriè vocatur: Splenici fluxus nomen magis illi quadraret. Iis plerúmque accidit, quibus aliquod membrum abscissum, aut neglecta exercitatio est. Quòd ad prognosim attinet, metus est, ne æger concretum sanguinem vomendo, repentè suffocetur. Periculum insuper ne profusiori hæmorrhagia perseuerante, in hydropem incurrat: néve sanguis in ventre coagulatus alia inuehat symptomata longè perniciosis-

ſima, quocirca curationi diligenter incumbendum. Ad demendam plethoram adminiſtranda protinus phlebotomia. Ampla dein cucurbitula ſupra ſplenem aut medium ventrem apponenda. Immoderatus ſanguinis fluxus ſumptis & admotis medicamentis quamprimùm ſiſtendus, quia vires mirum in modum deijcit. Iulepus ex ſuccini ʒ. j. ſyrupi acetoſi ℥. j. & aquæ portulacæ ℥. iiij. paratus, ex vſu erit. Fotus ex æquis partibus aceti & aquæ portulacæ, circa hypochondrium ſiniſtrum cum ſpongia adhibendus. Farina hordei in oxycrato cocta ſupra lienis regionem applicanda. Poſt fotum inijciendus clyſter ex decocto hordei & roſarum, cum melle roſato. Vtendum ſyrupo acetoſo, cum aqua chalybeata & pauco aceto, ad impediendam ſanguinis in ventre coagulationem. Sanguinis fluxu vtcúnque ſedato, pergendum eſt ad ſplenis obſtructionem expediendam. Sed id præſtandum medicamentis aperientibus minimè calidis, ne ſua caliditate venas recludant, fluxúmque accerſant. Quale erit apozema pro

pluribus dosibus paratum, ex decocto radicum cichorij, rubiæ maioris & tamarisci, herbarum capillarium, borraginis & portulacæ, seminum frigidorum maiorum, florum cordialium & genistæ, in aceto & aqua absynthij Rom. facto: cuius colatura saccharo sit condita, ac santalo albo & cinnamomo aromatizata. Post vsum apozematis, cathartica potio bis in hebdomade decernenda, ex polypodij querni ℥. j. seminis carthami ℥. ß. folior. Oriental. ʒ. iij. & epithymi ʒ. j. decoctis in iure galli antiqui, passulis & capparibus farcti, in cuius colatura mannæ ʒ. j. cum syrupi rosar. pallid. ℥. ß. fuerit dissoluta. A purgatione opiata conficienda erit, ex conserua florum cichorij & tamarisci, capparibus in aceto conditis & puluer. diarrhodon, cum syrupo acetoso, horis matutinis ad quantitatem auellanę exhibenda. Interim victus ratio tenuis & refrigerans instituenda.

DOCTOR

DOCTOR III.

DE DYSENTERIA Hepatica, ab intemperie calida, historiam Baccalaureo recitat.

STRENVVS Miles annum trigesimum quintum agens, temperamẽto calido & ſicco, æſtate ſuperiori, à piperatis eduliis, quæ in deliciis illi erant, ac vini meracioris liberaliori potu, Tertiana febre longè acutiſſima tentatus eſt, quæ in continuā lentam tandem degenerauit, ictero comitatam: cuius conſectaria fuit cruenta deiectio loturæ carnium recens mactatarum ſimilis, ad hunc vſque diem perſeuerans. Celerior etiamnum pulſus, vrina flauo colore ſaturata, oris amaritudo, proſtrata appetentia, ſitis vehemens, frequens vomitus, virulentus & æruginoſus. *Perdocte Baccalauree, tuæ partes ſunt, affectus ſpeciem, cauſam & ſedem demonſtrare, euentum præſagire, accurationem perſequi, ſi qua ſperanda eſt. Sed paucis id præſta verbis.*

BACCALAVREVS.

Suum de Affectus diagnosi, prognosi, & therapia, iudicium promulgat.

HIc affectus Dysenteria hepatica dicitur, licet impropriè, quia non à læsis intestinis, sed per illæsa intestina ab hepatis ἀτονίᾳ fit. Debilitatis autem hepatis causa, est intemperies calida, ægrotantis ætati, complexioni, tempori, ac victui, morbóque præcedenti consentanea, quam color faciei flauus, celerior pulsus, vrina flaua, deiecta appetentia, sitis inexhausta & vomitus biliosus manifestè produnt. Calor quippè præter naturam humidum primigenium, caloris natiui (qui omnium est functionum opifex) pabulum absumit, spiritus eò perfusos exoluit, proinde vires prosternit. Itaque nihil mirum si hepar imbecillius à calida intemperie reddatur.

Quod ad prognosim attinet, hic morbus longè periculosissimus est. Grauis quippe metus ingruit, ne biliosa sanies (cuius magnum intempe-

tiescalida prouentum facit) per substantiam iecoris effusa, nec opportuno tempore expurgata putret; ipsúmque parenchyma (cuius est proprium munus hæmatosis) labefactet, & tandem corrumpat: & ita corpus atrophia, & tabe conficiat. Quamobrem, vt imminés exitium auertatur, aggredienda quamprimùm curatio. Ad quam moliendam decernenda quæ refrigerando & corroborando, biliosam illuuiem expurgant, & iecoris obstructionem soluunt. In eum scopum parandus syrupus solennis, quo singulis hebdomadis vtatur, ex ℔. j. decoctionis radicum cichorii, oxalid. oxylapath. folior. agrimon. hepaticæ, plantag. semin. frigid. maior. florum cordial. rosar, & passular. cum pari quantitate sacchari rosati, cui infusio ℥. iiij. rhabarbar. el. & ʒ. ij. cinnam. santal. citrin. rasur. ebor. & corn. cerui fuerit admixta. Exhibeantur ℥. ij. pro dosi, in aqua cichorii & agrimon. dissolutæ. Frequens etiam cassiæ vsus, profuturus est, modò eius humiditas puluere rhabarbari emendetur. Aliis diebus quibus non pur-

gabitur, capiat tabellam vnam electarii trionsantalôn, cum rhabarbaro triplicato: vel electarii ex rasura eboris, cornu cerui, corallo rubro, margaritis, terra sigillata, & saccharo in aqua agrimoniæ dissoluto, parati. Adhibeatur hypochondrio dextro fotus ex absynthio, agrimonia & rosis rubris in oxycrato coctis: & litus ex cerato santalino in oleo cydoniorum dissoluto, vel ex succis absynthii, & agrimoniæ, in aceto & oleo rosato coctis, addito mastiches momento. Æger interim alimentis vescatur euchymis & eupeptis. Abstineat à salsis & piperatis, à fructibus horariis, & iis qui facilè corrumpuntur & putrescunt. Vinum, etsi morbo occasionem dedit, vsurpandum tamen est, sed aqua agrimoniæ aut cichorij dilutum. In iusculis incoquantur, ad iecoris robur tuendum, bilem per vrinas educendam, & calidam intemperiem emendandam, agrimonia, pimpinella, cerefolium, cichorium, oxalis, oxylapathum, buglossum & borrago. Si quæ sit curationis spes, his mihi videtur tentanda remediis: non venæ sectio-

ne, quæ in tanta virium imbecillitate mihi suspecta est; nisi fortè parca manu sanguis detrahatur, vtpote ad ℥. ij. vel iij. non vacuationis, sed reuulsionis & ventilationis ergô.

DOCTOR IV.

DE FLVXV HEPATICO, ab intemperie frigida, historiam Baccalaureo enarrat.

MONACHVS quidam sexagenarius, pituitosus, carniuorus, somnolentus, crudorum fructuum esui, & in ingressu lecti intempestiuo frigidæ potui assuetus, ingruẽte Hyeme fluxu sanguinis aquosi, loturæ carnium recens mactatarum haud absimili, correptus est. Color faciei pallidus, pulsus tardus, vrina alba, aliàs tenuis, aliàs crassa, ingens appetentia, nulla sitis. *D. Baccalauree, tuum est ex hac symptomatum exegesi, diagnosim, prognosim, ac therapiam morbi recludere.*

BACCALAVREVS

De proposito morbo suam affert opinionem.

CRuenta alui proluuies, qua religiosus vir iamdiu laborat, non est vera dysenteria, ab intestinorum exulceratione profecta; quia sine torminibus fit. Sed fluxus est crudi sanguinis, ortus ab hepatis imbecillitate, quam frigida contraxit intemperies, diagnosticis pituitosæ (cuius est soboles) cacochymię signis cōspicua; cùm antecedentibus, vt ægrotantis complexione, ætate, viuendi consuetudine, & anni tempore; tum consequentibus, vt pallido faciei colore, pulsu tardo, vrina alba, & aliis symptomatis. At non ab attractricis, sed alteratricis facultatis debilitate oritur. Cùm enim facultas attractrix imbecillior est, non attrahitur chylus è ventriculo & intestinis in hepar, sed in aluum descendit. Hepate verò attrahente, sed non alterante chylum, simile quid loturæ carnium, aut sanguini, quem aqua diluerit, excernitur; quia frigidiore hepate alteratrix

infirma eſt. Itaque crudior adhuc ſanguis, nec coctione craſſitiem adeptus elabitur, vnde per interualla excretus loturam carnium repræſentat. Quòd ad Prognoſim attinet, morbus profectò chronicus eſt, nec periculi prorsùs expers. Minatur enim hydropem, niſi quāprimùm illi occurratur. Quocirca curationi diligenter incumbendum. Ad quam methodo inſtituendam, pituita in corpore luxurians, primùm præparanda, dein purganda, & quolibet modo iecoris obſtructio liberanda, frigida demum intemperies corrigenda, imbecilliórque facultas roborāda. Ad propoſitos curandi ſcopos conſequendos, præſcribendum imprimis apozema, pro pluribus doſibus, ex decocto radicum enulæ campanæ, cichorij, aliarúmque aperientium, folior. agrimon. abſynth. hepaticæ, chamædryos & capillarium omnium, ſemin. aniſ. fœnicul. florum anthos & ſtœchad. ac paſſul. in quo ſyrupus de ʒ. rad. & ſyrupus è cichor. diſſoluantur. Cathartica deinde potio imperanda, ex rheo, agaric. & foliis Orientalibus, in

præfato decocto hepatico separatim infusis, quorum colaturæ syrupus rosar. siccarum adijciatur. Tum opiata concinnanda, ex conseruis florum cichorij, betonic. rosarum, symphyti maior. carne cydon. & myrabolan. conditis, aromatico rosato, corallo rubro, rasura eboris & corn. cerui, cum syrupo de absynthio, qua vtatur æger manè & vesperi ad crassitiem auellanæ. Extrinsecus etiam adhibendus fotus ex radice enulæ campanæ, cyperi, calami aromatic. folior. absynth. agrimon. puleg. origan. semin. anis. & fœnic. floribus chamæmel. melilot. & rosis rubris, in aqua & vino rubro decoctis. Et litus ex oleo rosato, absynthino, cerato santalino, mastiche, & tantillo ceræ. Victus interim nec tenuior, nec plenior, ex euchymis alimentis, & concoctu facilibus, decernatur. Vino rubro aqua chalybeata diluto vtatur. A frigidæ potu, ab acetarijs & à fructibus horarijs abstineat.

DECRETVM MEDICÆ Facultatis à Decano pronuntiatum.

PErdocte Baccalauree, tuis ſagaciſsimis reſponſis ſatisfeciſti nobis. Ego Medicæ facultatis authoritate fretus, impetratâ medendi licentiâ, coronam tuis meritis dignam tibi dabo.

IN CLARISSIMI VIRI

D. N. AB. FRAMBESARII,

OPERA MEDICA, CVM Gallico, tum Latino idiomate, denuò edita.

HEXASTICHON.

GAllis HIPPOCRATES quòd FRAMBESARIVS audit,
Hoc habet ex illo quô iuuat auxilio:
Dum tamen ille suâ, ast hic linguâ pollet vtráque,
Hôc certè maior creditur HIPPOCRATE:
Scilicet ille suis tantùm sua scripserat olim,
Hic scribítque suis, scribit & hic aliis.

GVIDO PATINVS, *Bellouacus,*
Doctor Medicus Parisiensis.

Euchariſtica hæc Anagrammata

D. FRAMBESARIO,

CELEBERRIMO DOCTORI
ac Profeſſori, Regióque
Medico,

Georgius Baugnonius Virduneus Medicus.

D D.

NICOLAVS ABRAHAMVS
FRAMBESARIVS.

NOBIS SACRA FIAS MVSARVM
LAVREA.

Abdita Muſarũ penetrat labor improb⁹, illũ
Expetis, vt fias laurea ſacra mihi.

AN LABOR HIC, SIT FAMA AVREA
SVRSVM?

Inuigilaſſe juuat Muſis, labor aureus eſſe
Dicitur, an manet hunc aurea fama polis?

EMENDANDA.

PAg.57.l.25. & p.65.l.12. *lege* colore *pro* calore.p.95.l.15. vera *pro* verò. p. 101. l. 21.prolectantes *pro* proluctantes. p.133. l.18.respirationem.p.158.l.26. tubercula *pro* tabernacula.p.187.l.19. alterna *pro* altera. p. 190.l.18. sed *pro* seu. p. 205. l.1. *lege* sanguis *pro* sanguinis.p.207.l. 27. *in margine* melancholicæ *pro* pituitosæ.p.209.l.11. ἢ *pro* τοῦ. l. 12. λύσιν *pro* λύσει.p.213.l.24.sanguis *pro* sanguinis.p. 229.l. 4. per effluxum,aut καί. p. 243.l.18.proritant *pro* pruritant.p.249.l.20. τετάρτῳ *pro*. p. 254. *in margine* Myurus *pro* Myrrhus.p.255.l.6. vsum *pro* vsuum.l.19.aliæ externæ,aliæ internæ. p.256.l.7. at *pro* ac. p. 259.l.11.cacochymia.l.19. contenti *pro* contenta.p.260.l.3. magnis *pro* magis. p.272.l. 15.corpore *pro* coopore. p. 281.l.26. singularem *pro* singularum. p. 291. l. 14. item *pro* idem.p.301.l.10.calor *pro* color.l.15.turbida fuerit. p. 363. l.2. conseruationem *pro* conuersationem.p.364.l.6.vniuersim,an sensim ac.p.366.l.3. Causa duplex statuitur.p. 368. l.10. πυκνότερον *pro* πορώτερον.p.377.l.19.ætatibus. p.383.l.18.tutius *pro* totius.p.384.l.9.octauo ac nono.l.15.clystere vel balano.l.18.in ventriculo, aut in vicinis partibus exuperet. p. 408. l. 15. demendæ *pro* demenda p. 416. l. 14.aeriâ *pro* aëreo.p.425.l.8. affuerit *pro* affueri. p. 438. l. 10, calefactas *pro* calectas. p. 440.l.26 *dele* in.p.452.l.16 *lege* Hæ *pro* Has. l.27.est *pro* & p.454.l.11.refrigerans *pro* re-

frigeratis.p.493.l.8.retunditur *pro* retundit. p.496.l.23. aut bis in hebdomade purgatio repetenda.p.505.l.2. corpus *pro* corporis. p. 516.l.1.& 517.l.9. interpellet *pro* interpolet. p.517.l.27.crassescit vel pigrior. p. 525. l. 6. morbifico *pro* mortifico. p. 534. l. 25. ὁλίγῳ χρόνῳ. p. 541. l. 28. altius *pro* alius. p. 552. *in margine dele* catapotia. p. 560. l. 12. rectè *pro* recto.p.570 l.21 Quotidianæ *pro* Quartanæ. p.579.l.8.discernitur *pro* decernitur. p. 595. l. 28. Galenus *pro* Galenum. p.597. l.1. alimento *pro* alimeno. p. 599. l.22. aquæ *pro* aqua.p.600.l.16. conciditur *pro* concidatur. l. 25. miscentur *pro* misceantur. p. 602 l. 15. perculsis *pro* perculsus. l.16. sitis, nec ardor insignis.p.610.l.9 qualia *pro* quia.p.620.l.3. Hic *pro* Hæc. p. 627. l.3. foliis *pro* folii. l. 16. putat *pro* putet. p.641.l.1. immodico *pro* immodica. p. 668.l.18. metus est nisi. p. 670.l. 25. aqua *pro* aquæ.



DISPVTATIONVM MEDICARVM IN Frambesarianis Scholis habitarum Index.

QVÆSTIONVM MEDICARVM in Frambesarianis Scholis agitatarum Series.

Disputationis 1. Quaestiones. pag. 1.

QVid Medicina. Definitur ex fine à Galeno dupliciter: ex effectis ab Hippocrate: ex subiectis ab Herophilo. Prima Galeni definitio oppugnatur. Defenditur. Altera item cõuellitur. Discutitur. Hippocratica Medicinæ definitio exagitatur. Soluitur. Herophilea Medicinæ definitio disceptatur. Propugnatur. Obiect. Responsio. Quot sint Medicinæ partes. Proposita Medicinæ partitio oppugnatur. Defenditur. Quæ ad consummatam Medicinæ cognitionẽ requirantur. Quæ & quot sint res naturales. Physiologiæ definitio & dichotomia.

De Elementis. 24.

Quid elementum. Obiectio. Solutio. Quo differant elementa à principijs. Quot sint elementa: Quo-

Quid pars latè ſumpta, propriè dicta. Partium prima diuiſio. Quæ continentes partes. Earum diuiſio. Quæ ſimilares partes. Earum diuiſio. Quæ & quot partes ſpermaticæ. Obiectio. Solutio. Quæ partes ſanguineæ. Quæ partes diſſimilares. Cur organicæ dictæ. Organicarum partium diuiſio. Quæ partes animales, vitales & naturales dicantur. Quæ princeps. Quæ ſubminiſtrantes. Princeps organum functionum animalium. Quotuplicia organa illi ſubminiſtrantia. Quæ organa facultatem animalem deferentia. Quæ propria ſingulorum ſenſuum organa. Quæ motus voluntarij organa. Princeps organum functionũ vitalium. Quotuplicia organa illi ſubminiſtrãtia. Quę reſpirationis organa, deducentia, excipientia, mouentia. Quæ pulſus organa. Princeps organũ functionũ naturaliũ. Quotuplicia organa illi ſubſeruientia. Quæ nutritioni famulentur. Organa inſeruientia alimento præparando, expurgando, diſtribuendo. Generationi organa, cõmunia, propria. Venarũ genera 2. Vetuſtũ, Nouum.

ſapor, vſus. quibus dominatur, & quando. quid bilis alimentaria. Eius natura, temperamentum, color, ſapor, vſus. quid bilis excrementitia, quibus bilis dominatur, & quando. quid melancholia alimentaria. Eius natura, temperamentũ, color, ſapor, vſus. quid melancholia excrementitia. qua ætate dominatur, & quando. quid pituita alimentaria. Eius natura, temperamentum, color, ſapor, vſus. quid pituita excrementitia. qua ætate pituita dominatur, & quando. qui & quot ſint ſecundarij humores. quomodo humores præter naturam euadant. quomodo humores naturales ſint cauſæ ſanitatis: ac humores præter naturam cauſæ morbificæ. quomodo ſanguis à naturæ modo deſciſcat. quomodo bilis præter naturam euadat. quomodo intra venas bilis pallida, vitellina & atra fiat: extra venas verò porracea, æruginoſa & cærulea. quomodo melancholia præter naturam euadat. quomodo pituita præter naturam euadat, cùm in venis, tum extra venas. quid pituita acida. quomodo fiat ſalſa. quæ pituita

Quid mors. Quomodo facultas respirandi, & pulsifica, sint vitalis ministræ. Cur facultas irascibilis & concupiscibilis, ad vitalem sint referendæ. Obiectio. Responsio. Quæ & quotuplex sit facultas naturalis. Quæ sit facultas altrix. Quæ facultates altricis sint ministræ. Quæ sit facultas attractrix, quæ retentrix, quæ concoctrix, quę expultrix, quę sit facultas auctrix, quæ generatrix, quæ immutatrix, quæ formatrix. Trium facultatum consensus. Ordo procreationis: dignitatis: necessitatis.

De Actionibus. 84

Quid & quotuplex sit actio. Intellectualium & sensibilium actionum discrimen. Actionum voluntariarum & naturalium differentia. Quotuplices sint actiones voluntariæ. Quæ omninò liberæ sint. Quæ affectibus corporis subditæ: Functionum vitalium distinctio. An respiratio animalis sit, vel naturalis actio. An pulsus sit animalis vel naturalis motus, quotuplices actiones naturales. Quid nutritio. Quomodo fiant quæ nutritionis ministræ. Quomodo fiat attractio, re-

---

matis nomen deductum. Summa symptomatum genera. quotuplex actionum læsarum differentia. quot modis actio lædatur. Noxæ functionum animalium, principum, sensilium & motricum. Noxæ functionum vitalium & naturalium. Cur actionum lęsionem, excretorum & retentorum ametria sequatur. Quid & quotuplex excremẽtorum ametria. Quid intelligitur substantiæ, quantitatis, & qualitatis vitio. Cur retentorum, nedum excretorum, ametria dicatur. Quæ ad retentorum ametriam symptomata pertineant. Cur sensibiles corporis affectus, excrementorum ametriam sequantur. Quotuplicia sint symptomata in sensibilibus corporis affectibus. Qui sint visibiles corporis affectus. Qui audibiles. Qui odorabiles. Qui gustabiles. qui tãgibiles.

De signis. 221

Quid signum, quotuplicia signa, quotuplicia insalubria, quæ diagnostica, quæ anamnistica, quotuplicia diagnostica, quę ad prognosim necessaria: Cur pathognomonica inter prognostica recenseantur, quid epige-

do criticus. Dies indices, qui & quot sint. Dies intercalares, qui & quot sint. Cur reliqui dies vacui appellantur. Cur Medicinales dicti.

Cur Author Candidatum de arte Sphygmica sit interrogaturus. Quid Pulsus. Quid diastole. Quid systole. Absolutæ Pulsuum differentiæ. 1. à mouente, vnde Pulsus vehemens, imbecill⁹, moderatus. 2. à morbili, vnde Pulsus durus, mollis, mediocris. 3. à Spatio, in quo fit motus, vnde Pulsus magnus, paruus, mediocris. 4. à tempore motus, à quo Pulsus velox, tardus, moderatus. 5. à tempore quietis, à quo Pulsus frequens, rarus, mediocris. Vt simplices Pulsus sæpius coniuncti percipiantur. Comparatæ Pulsuum differentiæ. A proportione, vnde Pulsus εὔρυθμος, ἄῤῥυθμος Ab æqualitate, vnde Pulsus æqualis, inæqualis. Ab ordine, vnde Pulsus ordinatus, inordinatus. Quid Rhythmus. Vnde nomen deducitur. Quotuplex Rhythmus. Quid proprius Rhythmus. Quotuplex inæqualitas, in vna pulsatione & vna parte arteriæ. Pulsus dis-

diocris. Claræ, turbatæ, turbidæ, confusæ. Cur aliàs turbetur, aliàs non turbetur vrina. Causæ copiosioris & parcioris vrinæ. Causæ colorum qui in vrinis apparent. Causæ vrinarum albarũ, nigrarum, rubræ, viridis, liuidæ, pallidæ, citrinæ, flauæ, subflauæ, rufæ, subrufæ, fœtidæ. Quid paryphistamenon homogeneon. Cur Paryphistamena homogenea loco discrepent. An sit eadem sedimenti materia in sanis atque ægris. Causa hypostaseos Farinaceæ, Squamosæ, Furfuraceæ. Causa vrinæ cruentæ & purulentæ. Quî distinguatur pus à semine, & à pituita. Causa arenosæ & mucosæ vrinæ. Vnde prodeant filamenta per mediam vrinam volitantia. Quid corona. In qua vrina appareat. Quo colore prædita. Causa spumæ & bullarum. Causa pinguedinis in vrinæ superficie innatantis.

Quæ vrina morbos certò denuntiat. Quæ propriam vrinæ significationem peruertãt. Quid indicet vrina tenuis: crassa. mediocris. Quid clara: turbata:

trospiciat. Quid alienus linguæ color indicet. Quid sapor. Quid siccitas & asperitas. Quæ hypochondria optima. Quæ pessima. Quid mollia, æqualia & anodyna significent. Quid dura, tensa, renitentia, & dolorifica. Quid crassa & extenuata.

Disputationis IV. Quæstiones.

De Indicationibus. 353

Quibus constituatur curandi methodus. quid indicatio. quotuplices indicationes. Cur indicatio à viribus prima perhibeatur, quid indicant Vires, quid indicant affectus præter naturam, quotuplex indicatio ab affectibus præter naturam, Cur indicatio à causa morbifica præmittatur. Cur indicatio à morbo statuatur, cùm sublata continente causa protinus soluatur. Cur indicatio à symptomatis vltima. Obiectio. Solutio. quotuplex indicatio à causa morbi, quotuplex indicatio à morbo, quæ in composito morbo præmittenda indicatio, quid coindicatio. Vnde sumantur co-

ſio, deriuatio. Quæ ſecanda vena, ad plenitudinis vacuationẽ, ad reuulſionẽ ad deriuationẽ. Quæ ſanguinis quãtitas demenda. Vnde morbi magnitudo æſtimãda. Vnde vires æſtimandæ. Quî lãguidas vires ab oppreſſis dignoſcere liceat. Animaduerſiones in ſanguine mittendo. Cur in ſanguine mittendo obſeruetur temperamentum, habitus, ætas, regio, anni tempus, cœli ſtatus, ſpontanea vacuatio, cõſuetudo. Quomodo mittẽdus ſanguis. Quo anni tẽpore adminiſtrãda phlebotomia. Quo morbi tẽpore. Quo die, & quâ horâ, quo prægnationis tẽpore mulieri grauidæ ſecanda vena. Quæ ante venæ ſectionẽ præparatio afferẽda. An perpetuò venę ſectioni præmittẽda præparatio.

De Medicamento. 385

Quid medicamentum, quotuplicia medicamẽta, quæ euacuantia. Qualia cacochymiæ cathartica conueniant. Quæ alterantia. Qualia morbo ſint adhibenda. Quàm valida eſſe medicamẽta debeant vt medicamenti quãtitas definienda ſit. Cur ad pharmaci quantitatem decernendam, ſpectandus corporis, humoris at-

ceutica methodus, tàm Analytica, quàm Synthetica, ſcitu neceſſaria ſit Medico. Cur Chymica remedia nobilibus aptiora ſint. Cur accuſentur ab Aduerſarijs 1. Argumentum Aduerſariorum. Quòd remedia Chymica integrorum reſpectu, non inutilia ſint. Cur analyſi quàm ſyntheſi præſtet præparari remedia. Quòd remedia Chymicè pręparata vires ſuas non amittant. Quòd partes à toto auulſæ ſuas retineant vires. Quòd ſi infuſa & cocta ſuas retinent virtutes, multò magis Chymica. Quòd non ſubiecti reſpectu Chymica remedia inefficacia ſint. Quòd peritus Artifex Chymicus non ſit cauſa deprauati remedij. Quòd facultates remediorū Chymicorum validiores ſint, quàm integrorum. 2. Argumentum Aduerſariorum. Quòd Chymica remedia non ſint periculoſa. Quòd calida, quantumvis acria, intrò quoque accipi poſſint. Quòd facultates vtiles, licet increſcant, periculoſum remedium nequaquam reddant. Quòd alio fine miſceantur ab arte remedia, alio à natura. 3. Argumentum Aduerſariorum. Quod

DISPVTATIONVM



DISPVTATIONVM MEDICARVM

IN EXAMINE PRACTICO habitarum Index.

QVÆSTIONVM MEDICARVM IN EXAMINE PRACTICO agitatarum series.

tens oriatur, quotuplex sit, quo pacto exquisita quartana discernatur à notha. Cur exquisitæ ac spuriæ curatio diuersa, quæ in exquisita quartana victus ratio conueniat. Cur præparantia insuper ac purgantia requirantur medicamenta. Medicamenta interna humorem morbificum præparantia. Syrupi. Oxymeli. Apozemata. Vina medicata. Catapotia. Opiatæ. Externa remedia. Fotus. Litus. Emplastrũ, quæ purgantia hîc conueniant, quando ex vsu sint, quando secanda vena. Cur hæmorrhoïdôn prouocatio suspecta, quibus emeticis vtendum, quãdo vsurpanda sint. Peculiaria remedia ad contumaciam humoris coërcendam. Topica ad horrorem discutiendum. Remedia ad quartanę nothę curationem adhibenda. Victus conueniens. Medicamenta interna humorem morbificum præparantia. Iulepus. Apozema. Purgatio. Venæ sectio. Vomitio. Externa remedia. Fotus. Litus. Balneum. Cur quartana notha breuior, quàm exquisita. quartana salutaris, quî terminetur. quid crisis nomine hîc intelligatur. quæ

Disputationis III. Quæstiones. 575

ſcopi. Ordo indicationum curandi rationem conſtituentium. Vnde ſumitur indicatio. 1. 2. 3. Quibus medicamentis peſtifera lues expellatur. Obiectio. Reſponſio. Simplicia Alexipharmaca peſti propellendæ dicata. 1. Antidotum aduerſus peſtem. 2. 3. 4. 5. Tempeſtiuus antidoti vſus. Obiectio. Reſponſio. quòd reliqua duo curationis capita vna victus ratione obtineãtur, quo pacto ſit inſtituẽda, ad vtrúmque finem conſequendum. Obiectio. Reſponſio. Cibandi tempus, & modus. Specialior eſculentorum deſcriptio, quomodo in febre peſtilenti parari debeat conſumptum. Gelatina. Expreſſum. Aqua carnis. Deſtillatum inſtaurans. Potulentorum deſcriptio. quomodo in peſtilenti febre parari debeat hydroſaccharum. Hydromeli. quando ſanguinis miſſio & purgatio ex vſu ſint. Cur neutra morbi initio decernenda, quomodo characteriſtica peſtilentiæ ſymptomata curanda ſint, qua methodo curanda peſtilens febris notha, quomodo hîc adminiſtrãda phlebotomia, quæ apozemata hîc interponenda, quæ cathartica hîc eli-

xilijs aurium dolor leniendus sit.

De gustu deprauato. Quomodo gustus deprauetur. Quibus remedijs curetur. Quibus ex causis linguæ asperitas, nigredo & fissuræ contingant. Quibus remedijs curentur.

De Inquiete. Quid Inquies. Quibus ex causis oriatur. Quæ ad quietem procurandam adhibenda remedia.

De Syncope. Quid Syncope. Quibus ex causis fiat. Quæ remedia.

De Dyspnœa. quibus ex causis oriatur. Quibus signis causæ internoscantur. Quibus remedijs eius molienda curatio.

De *Tussi.* Quibus ex causis oriatur. Quam ægro noxam inferat. Quæ ad leniendam tussim adhibenda remedia.

De deglutiendi difficultate. Vnde oriatur deglutiendi difficultas. Quæ incurabilis. Quæ remedia curationi adhibenda.

De Anorexia. Quæ eius causa. Quæ remedia.

De *Boulimo.* Quid Boulimus. Quæ eius causa. Quæ huic curatio adhibenda.

IN PRIORE BACCALAVREORVM EXAMINE.

IN POSTERIORE
BACCALAVREORVM
EXAMINE.

DECANVS recentem de Abſceſſu in Meſenterio hiſtoriam poſtridie Baccalaureo recenſet.

Baccalaureus morbi diagnoſim patefacit, Prognoſim auguratur, Curationem ſuſcipit.

Doctor II. De cruenta vomitione & deiectione hiſtoriam refert Baccalaureo.

Baccalaureus ſuam de propoſito affectu ſententiam oſtendit.

Doctor III. De dyſenteria hepatica, ab intemperie calida, hiſtoriam Baccalaureo recitat.

Baccalaureus ſuum de affectus diagnoſi, prognoſi & therapia iudicium promulgat.

Doctor IV. de fluxu hepatico ab intemperie frigida, hiſtoriam Baccalaureo enarrat.

Baccalaureus de propoſito morbo ſuam affert opinionem.

Indicis Scholarum Medicarum.
FINIS.

AVTHOR
ad Lectorem.

ANtequàm vniuersa opera mea Latina, in vnũ corpus aggregata maiori forma ederētur, LECTOR, *Scholas Medicas nouissimè locupletatas, à Philiatris iamdudum expectatas, minori forma separatim excudendas esse putaui, quò faciliùs à Candidatis vbique circumferri possint. Si hoc opusculum grato animo exceptum fuisse percepero, dabo operã vt magnum opus, quod Gymnasium Apollinare nominaui, in lucem subinde prodeat. Vt singula quæ in eo docentur intelligas, operæ pretium me facturum esse duxi, si sequentem Elenchum subijcerem.*

GYMNASII APOLLINARIS Elenchus.

SVb fausto LVDOVICI IVSTI Christianissimi Galliarum Regis auspicio, tandem imposui Gymnasio Apollinari coronidem, cuius iampridem fundamenta HENRICO MAGNO regnante iacta fuêre. Non aliorum more, in definito loco situm extat, sed ad mortalium omnium salutem, vbique terrarum indesinenter ambulaturum est, vt cunctis nationibus eo frui liceat. Septem

classes complectitur. Quid in singulis agatur, aperiam paucis.

In prima Classe: PHILOSOPHIA NATVRALIS, quæ præbet ad Medicinam aditum, præuia prælegitur, ac sophismatis haud intricata, historico genere breuiter & luculenter explanatur, ad Principatum Hominis per omnes Mundi creaturas demonstrandum.

In secunda Classe REGIMEN SALVBRE cuilibet ad tuendam Sanitatem perutile præscribitur. Ad regendam valetudinem, rectus armorum naturalium vsus, necessarius perhibetur. Sex eorum genera enumerantur, aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excrementa, animi pathemata. Vt singula sint idonea qualitate, decenti quantitate, modo conuenienti, & opportuno tempore vsurpanda; atque insuper cuique temperamento, sexui, ætati, regioni, anni tempori, cælique constitutioni accommodanda, expromitur.

In tertia Classe, METHODVS MEDENDI Catholicis legibus cōstituta, ac singularibus exemplis illustrata traditur. Medicæ leges in tres distinguuntur ordines. Collocantur primò Diagnosticæ, quibus affectus species, causa, sedésque internoscuntur: secundò, Prognosticæ, quibus morbi euentus præsagitur: tertiò, Therapeuticæ, quę in curatione agenda iubent, prohibéntque contraria. Singulæ leges subnexis consultationibus in praxin traducuntur. Communis autem Medendi ratio imprimis proditur, deinde propria singulis affectibus internarum corporis

partium, triplici ordine, primo animalium, ſecundo vitalium, tertio naturalium digeſta, morborum tandem articularium acceſſione locupletata.

In quarta Claſſe, CHIRVRGIA ſuccinctis ſancita canonibus, ampliſſimis explicatur ſcholiis, quibus recta Chirurgis via ſternitur, ad externa corporis vitia propellenda.

In quinta Claſſe PHARMACIA docetur, in duas partes diſtributa: Paraſceuaſticam, quæ generales & ſpeciales, principes & miniſtrã-tes, primarias & ſecundarias materiæ medicamẽtariæ præparationes accuratè delineat; ac Proſtacticam, quæ ſimplicium & compoſitorum, tàm internorum, quàm externorum medicamentorum in Officinis apparandorum formas graphicè repræſentat.

In ſexta Claſſe LIBERALES ARTES, quibus conciliantur Gratiæ ad Apollineam Laureã cõſequẽdã neceſſatiæ, non minùs perſpicua quàm cõpẽdiaria methodo deſcribũtur.

Ad Gymnaſij coronidem SCHOLAE MEDICAE, demùm conditæ, in quibus Phyſici Medicinæ alumni, Humanitatis artibus inſtructi, ad Apollinarem Lauream impetrandã examinantur. De Medicinæ definitione, ſubiecto, fine & partitione interrogantur, omnes Medicinæ partes exagitãtur, de rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, ad perfectam Medicinæ notitiam adipiſcendam neceſſariis, diſputatur. De generalibus theorematis in praxin traducendis deinceps agitur, in ſingulis Febrium ſpeciebus, ac ſymptomatibus curandis. Hæc claſſium Gymnaſij Apollinaris, ac rerum in ſingulis tractandarum, ſeries.

PAr grace & Priuilege du Roy, il est permis au sieur de la Framboisiere, Docteur en Medecine, & l'vn des Conseillers & Medecins ordinaires de sa Maiesté, de faire imprimer toutes ses œuures, ou partie d'icelles, par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choisir, durant le terme de dix ans: Auec défences à tous autres de quelque qualité ou condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer, vẽdre ny debiter lesdites œuures, ou partie d'icelles, durant ledit temps, si ce n'est du cõsentement dudit sieur de la Framboisiere, ou de celuy qui aura charge de luy, comme plus amplement est declaré en l'original des lettres données à Reims, le 11. Iuin 1632. & signées,

Par le Roy en son Conseil,

ROVSSEAV.

Et ledit sieur de la Framboisiere a permis à Iean Iost, marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, *Scholæ Medicæ, multò quàm antehac, ampliores, ac locupletiores*, pendant ledit temps de dix ans; suiuant l'accord fait entr'eux, le 20. Nouembre, 1635.

Acheué d'imprimer le 22 Nouembre, 1635.

